

An. dom.

duo, & præter hos, quinque aliorum episcoporum vicarii. Metropolitani episcopi præfuerunt, Mausona Emeritensis, Leander Hispalensis, quem Lucas Tudensis primatem Hispaniae fuisse dicit & legatum Romanæ ecclesiæ, Euphemius Toletanus, Pantardus Barensis, Nigetius Narbonensis, Stephanus Tarragonensis. Archiepiscopus Toletanus, & illum sequuti alii nonnulli, ait ut Helladium Toletanum huic interfuisse concilio, sed hic aliquanto posterius Toletanam rexit ecclesiæ, vt ex Beato Alfonso constat. Petrus Antonius Beuter affirmat Sanctum Idalium Barcinonensem episcopum in hoc fuisse concilio, sed nomen illius in codice Conciliorum non inuenio. Ab his partibus condemnatum est, & Hispaniae finibus exterminatum Arianorum dogma, quo nobilitas Gothica per ducentos tredecim annos infœcta fuerat. Ioannes Abbas tradit, summam synodalis negotii 10 fuisse in hoc concilio penes Sanctum Leandrum Hispalensem episcopum, & beatissimum Eutropium, monasterii Seruitani Abbatem. In huius concilii decimo quarto capite statutum, ne quis Iudæus fungi possit officio publico. Hoc concilium alii alio anno ponunt, ego codicem Conciliorum sequor, in quo etiam in diuersis editionibus constanter legitur, celebratum Æra sexcentesima vigesima septima. Idem habent Annotationes marginales libri Alcobaciensis in Sanctum Isidorum. Si igitur anno Christi quingentesimo octogesimo nono addas annos triginta octo, habebis Æram Cæsaris sexcentesimam vigesimam septimam. Ricaredo orthodoxo quieta pace regnanti domesticæ tenuit insidiae. Nam quidam ex cubiculo eius, & prouinciarum dux, nomine Argimundus, tyrannidem affectans aduersus Regem conspirat, ita vt eum, si posset, regno priuaret & vita. Sed nefandi eius consilii detecta machinatione comprehensus, & vinculis ferreis constrictus, habita quæstione, socii eius impia molimina confessi, digna sunt ultione imperfecti. Ipse vero Argimundus qui regno inhiabat, primum verberibus cæsus, deinde turpiter decaluatus, posthac dextera amputata exemplum omnibus asino insidens Toleti dedit, ne famuli aduersus dominos insurgant. Ioannes Abbas. Usq; ad hunc annum prosequutus est Chronicon suum Ioannes Abbas, quod exorsus fuerat ab anno lustini Imperatoris primo. Fuit hic episcopus Gerundensis, natione Gothus, prouincia Lusitanus, natus (vt inquit Diuus Isidorus) Scalabi. Qui cum septendecim annos Constantinopolis studiisset, & Graece Latinaeq; doctus, in Hispaniam reuersus, à Leouigildo Rege, quod Arianam nollet hæresin profiteri, decennali multatus exilio, Barcinonem relegatus fuisse: tandem à Ricaredo 30 Rege Christianissimo reuocatus, monasterium Biclarientis (vulgo Valclara) condidit, & monachis suis doctrina & exemplo vita præluxit, multaque ingenii monumenta reliquit. Ex Sancto Isidoro & Ioanne Trittemio.

590. Cum Ricaredus Rex constitutionem superius dictam in concilio Toletano contra Iudeorum perfidiam edidisset, ii in quos prolata fuerat, rectitudinem mentis regie infletere, pecuniarum summam offerendo, moliti sunt. Sed Rex Catholicus Dei iudicio placere studens, innocentiam auro prætulit. Quod factum in epistolis suis libro 7. Diuus Gregorius meritis laudibus extollit. Eodem fere tempore, Ricaredus post conuersionem suam, munera ad sedem Apostolicâ cui tum Diuus Gregorius præerat, misit per Abbates quosdam & Probinum presbyterum. Pro quibus muneribus Diuus Gregorius accurata epistolâ gratias egit, & vicissim illi misit clauim ferream ex catena, qua Diuui Petri Apostoli collum in martyrio ligatum fuerat, & crucem, in qua lignum Dominicæ crucis, & capilli beati Ioannis Baptista inerant, & pallium pro beato Leandro. Ex epistolis Diuui Gregorii. Eodem anno celebratum est primum concilium Hispalense ab octo episcopis, præidente beato Leadro, eius ecclesiæ episcopo metropolitano, pridie Nonas Nou. Ex conciliis.

591. Hoc tempore floruerunt in Hispania multi viri, tum vita sanctitate, tum eximia eruditio celebres. Mausona Emeritensis, de quo iam diximus. Leander Hispalensis. Eutropius Abbas, deinde episcopus Valentinus. Seuerus episcopus Malacitanus. Licinianus primum Carthaginensis, deinde Malacitanus episcopus, Constantinopolis ab æmulis veneno extinctus, multa scripsit. Ioannes Trittemius & Sanctus Isidorus, Sanctus Fulgentius, episcopus primus Astigitanus, deinde Carthaginensis, Sancti Leadri frater, Hebrei, Graeci, Arabici, Syri, ac Latini sermonis peritissimus, scripsit in Euangelia, Esaiam, duodecim prophetas, Pentateuchum & libros Regum: interfuit concilio Toletano, in quo damnata est Ariana hæresis & omnis Paganorum perfidia: obiit anno ætatis sua sexagesimo sexto Calendis Ianuarii. Ex Breuiario Hispalensi. Ioannes Abbas, deinde episcopus Gerundensis, de quo iam diximus.

594. Clotoinda Childeberti Mediomaticum in Francia Regis soror, Ricaredo Reginabit, & pax inter vtrumque populum facta foedere coit. Ex Paulo Amilio & Annalibus Francorum.

Hoc

Hoc tempore Beatus Gregorius Papa, missus in Hispaniam Ioanne defensore, iussit Ia-^{An. dom.}
natum Malacitanum sedis episcopum, coniuratione quorundam episcopatu suo deiectum 598.
restitu, ac tam nefariæ impietatis autores debita pœnitentia multari. Ex epistolis Diui
Gregorii.

Ricaredus quum per annos quindecim Gothis tata benignitate imperasset, vt merito 601.
Pater patriæ salutaretur, reliquo maximo sui desiderio, rebus humanis sublatus est Toleti.
Hic leges Gothicas in compendium contraxit, Romanos multis præliis vicit, & eorum
multas vrbes ditioni suæ adiecit, Gothorum imperium florentissimum reddidit, atq; Hi-
spaniam omni hæreseos labo perpurgauit, vt Alfonsus Episcopus Burgensis affirmet, ab e-
ius tempore nullam postea hæresin aliam in Hispania publice repertā. Idem Rex religio-
fissimus, coronam suam auream Gerundæ ad altare Diui Felicis obtulit, vt autor est Ro-
dericus Archiepiscopus Toletanus libro 3. capite 8. Mortuo Ricaredo successit Loiba si-
ue Luiba filius, anno Mauricii 19. De quo Sanctus Isidorus ad hunc ferme modū : Luiba
ignobili quidem matre progenitus, sed in dolo virtutis insignis. Quem in primo flore ado-
lescentia Tintericus sumpta tyrannide, innocuum regno deiecit, præcisaq; dextera occidit
anno etatis suæ decimosexto (quoniam in Alcobaciensi codice erat vicesimo) regni ve-
to secundo. Ex quibus Sancti Isidori verbis colligo, hunc Lubam fuisse nothum. Nam con-
stat quidem Ricaredum patrem duas habuisse uxores, sed priorem, nempe Baddam, Ar-
turi Britanniæ Regis filiam fuisse aiunt, posteriorem regio Francorum sanguine manife-
stum est editam.

Beatus Leander Hispalensis Archiepiscopus tertio Idus Martii ex huius vita miseriis 603.
est in cœlestium contubernium translatus. Relegatus in exilium ab Arianis multa scrip-
ta, atque egregiam eruditionis ac sanctitatis famam reliquit, quam plurima post mortem
auxerunt miracula. Successit illi Sanctus Isidorus frater ipsius germanus. Eodem anno,
nempe Mauricii duodecimo, Viðericus (Vintericum alii vocant) regnum Gothorum oc-
ciso Lubam inuidit, vir ille quidem bello strenuus, sed parvus felix. qui quum Romanos va-
riis lacesteret præliis, semper decessit inglorius. Hic quum variis probris regni sui decus
obscurauit, tum illo præcipue, quod Arianæ hæresin reuocare conatus sit, vt autor est Lu-
cas Tudensis. Regnauit annos septem.

Hoc anno Mahometem pseudoprophetam Cordubæ hæresecos suæ virus diffundere 605.
in Hispanos conatum produnt. Quæ res quoniam Sancto Isidoro qui id temporis Roma, quo
ad concilium à summo Pontifice vocatus fuerat, redibat, innotuisset, atq; ad capiendum
illum misisset : ille siue à dæmons, siue ab illo quopiam admonitus, fuga sibi consulens, in
Africanam rediit. Ex Fortalitio fidei, & Breuiario Eborense.

Theodoricus Mediomaticum Rex, Hermembergam Viðericici Regis filiam, iustam 607.
uxorem suam ad patrem remisit, integrum ab se, aduerso rumore, quod ferretur pellicibus
ad insaniam usque deuinctus, sancti nobilissimique connubii usum perfuerit, & virginis flo-
rem delibare non posse, velut maleficis artibus carminibusque prohibitus. Paulus Æmi-
lius, qui Viðericum Bertricū appellat, sicut Robertus Gaguinus Detericum, qui causam
huius diuortii Brunechildi adscribit.

His temporibus fuit Aurasius, Toletanæ sedis metropolitanæ episcopus, virtute, auto- 609.
ritate, atque eruditione clarus, & Catholicæ doctrinæ acerrimus defensor & custos, vi-
xit in sacerdotio temporibus Viðericici, Gundamiri, & exordiis Sisebuti, duodecim ferme
annis. Ex Beato Alfonso. Eodem anno Viðericus inter epulas coniuratione suorum oc-
ciditur, & iusto Dei iudicio, sicut innocenter Lubam gladio peremerat, ita vicissim gla-
dio periit. Sanctus Isidorus. Nihil in vita gessit præclarum, nisi quod Seguntiam per du-
ces suos Romanis ademit. Corpus eius viliter elatum, vilius est sepultum. Idem.

Occiso Viðericico Gundemirus, siue (vt alii appellat) Gundamirus, Rex Gothoru crea- 610.
tur, & regnat annos duos, incepit regnare anno Phocæ Imperatoris sexto, qui secundum
alios incidit in annum præcedentem. Sed Sanctus Isidorus addit, quod Æra sexcentesi-
ma quadragesima octava, hoc est, anno Domini sexcentesimo decimo, quem ego sequor,
non alios qui initia regni eius anno sexcentesimo decimo quarto adscribunt. Gundemi-
rus in principio statim regni sui cauit, ne violarentur qui ad loca sacra cōfugissent. Alfon-
sus Burgensis. Idem Vascones una expeditione vastauit, altera militem Romanum obse-
dit. Sanctus Isidorus. Hoc tempore Mahometes tres uxores duxit, sed his non contentus,
nefaria ac promiscua octodecim uxoru libidine pollutus est, & variis elusionibus ac præ-
stigiosis technis, miraculum sui apud imperitam plebem fecit. Ex Roderico Toletano in
historiis Arabum. Maximus Cæsaraugustanus episcopus, vir eruditus claret, qui scripsit
de rebus gestis Gothorum in Hispaniis. Sanctus Isidorus, & Ioannes Trittemius.

- An. dom.** Gudemirus propria morte decessit Toleti, cui successit Sisebutus, Rex optimus & religionis Catholicae cultor acerrimus, quippe ad bellicam gloriam eloquentiae atque eruditio[n]is decus adiecit, ut autor est Rodericus Toletanus. Regnauit annos octo. Sanctus Isidorus. Isidorus Pacensis, Lucas Tudensis, Matthaeus Palmerius hoc anno regnum iniisse constanter scribunt. Equidem nescio, qua autoritate alii contrarium sentiant. Ferdinandus Perez scribit hunc stabiliuisse in Hispania immunnitatem ecclesiarum, & ne qui ad eas confugerent, violarentur: quod alii Gundemiro tribuunt.
- 612.** Hoc anno secundum aliquos, secundum alios vero sequenti, Deus dedit factus est Romanus Pontifex, qui ad Gordianum Hispaniarum ecclesiarum episcopum epistolam dedit contra eos qui sabbato Paschali die proprios filios suos ex sacro lauacro suscepserant, quos iubet ab uxoribus suis iam commatibus perpetuo abstineret, utque uxores dotem recipiant. Fragmentum epistole in priori Conciliorum tomo extat, sed non additur, cuius ecclesia Gordianus ille episcopus fuerit.
- 613.** Sisebutus Iudeos coegit Christum agnoscere. Eorum tamen aliquot millia in Galliam effugerunt, qui iuncti veteribus sectae suae incolis ingentem numerum fecerunt. Turpe videbatur Franco, à Gothis electos religionis nostrae hostes indomitos, finibus suis receptos diutius retinere, ac Gothis religione cedere. Dagobertus igitur Rex diem praestituit, intra quam quicunque mortalium religionem nostram non profiterentur, hostes iudicarentur, comprehensique capite luerent. Plures tum eorum exilium pietati antetulere: reliqui Christiani effecti, incolumes masere. Hoc veræ religioni datum, certo documento est Sisebutus Rex, qui hanc palmam Iudeorum vel animo sanctorum, vel procul exigendorum prior ferēs, milites Romani imperii qui Hispano limiti tutando praesidebant, cie-
cit, quasq[ue] in extremis finibus urbes, oppida, castella, arces, vicos, fines, iuga montium te-
nebant, regno suo adiūxit. Hæc fere Paulus Amilius. Addit Iacobus Meyerus, eadem tem-
pestate Anglos à Rege Carcomberto sublatis idolis vera religione imbutos. Sunt qui dicant, hoc à Sisebuto principio regni sui factum: sed Diuus Isidorus dicit in Etymologiis libro 5. capite vlt. quod anno Heraclii quinto, & Sisebuti quarto. Quo loco in libris im-
pressis perperam legitur, Sepulti Sisebuti. Memoria proditum est, plusquam triginta Iudeorum millia hac Regis promulgatione ad Christi fidem conuersa. Hoc tempore floruit
venerabilis Helladius, Toletanus sedis metropolitanus episcopus, quæ sanctitatis præco-
nio clarum Toletana veneratur ecclesia, ut ait Rodericus Toletanus lib. 2. capite 17. Fuit
vero Helladius ex aulico monachus, in monasterio Agalieni, in quo & beatus Alfonius:
deinde ex monacho episcopus, sed inuitus, Aurasi successor iam senio confectus, exem-
pli vita quam scriptis clarior. Rexit ecclesiam Toletanam octodecim annis, & ultimo vite
sua tempore Beatum Alfonsum Leuitam fecit, atque in principio Sisenandi Regis gloriam
celestis regni bona plenus senectute consequitus est. Ex Sancto Alfonso.
- 617.** Mahometes quinto Sisebuti Regis anno, prediuitis viduae nuptiis locupletatus, ingen-
teis animo spiritus concepit, nec contentus opinione prophetæ, ad regnum animum ad-
iecit, & Africam atque alias prouincias haud irrito conatu, ad rebellionem contra Roma-
nos incitauit. neque huic rebellioni euentus defuit. Nam Agareni rerū aduersus Roma-
nos potiti, primum in Africa, deinde Damasci in Syria, Mahometē Regem alacri studio
consalutarunt. Ex Roderico Toletano in historia Arabum. Primus annus regni Arabum.
Isidorus Pacensis.
- 618.** Hoc anno, aut circiter, Agapetus ex milite prophano monachus, deinde episcopus Cordubensis, reuelatione diuina inuenit corpus Sancti Zoili martyris Cordubensis, quod solenni pompa, comitante clero ac populo, translulit in Ecclesiam Sancti Felicis. D. Laurentius Padilia & alii multi. Verum hic non Agapetus, sed Agapius appellandus est, ut ex secundo Hispalensi concilio colligitur, ubi Diuus Isidorus dicit, illum fuisse ecclesiastica disciplinæ ignarum, ut facile colligi possit, ex milite factum episcopum.
- 619.** Anno Sisebuti septimo, mense Decembri, celebratum est Hispali secundum concilium ab octo episcopis, presidente Sancto Isidoro, contra Acephalos hereticos qui duarum in Christo naturarum proprietate negabant, ita dictos, quod nullus inueniatur autor, a quo sint orti. Interfuit huic Synodo episcopus quidam Syrus, acerrimus predictæ heresies pro-
pugnator, qui post longam disputationis pertinaciā, argumentis Sancti Isidori & aliorum sanctorum patrum conuictus, ad rectam & orthodoxam fidem conuersus est, ut ex duodecimo capite ipsius concilii constat.
- 620.** Mahometes in Arabia cum Sergio monacho sectam Sarracenorum inchoat pernicio-
sissimam, magnum æterni Dei prophetam se dicens. Quæ tam dira lues quum paruo ne-
gotio extingui initio potuisset, desidia & ignavia Romanorum Principum eo crevit, ut
Asiam

Asiam totam atque Africam, & bonam tandem Europæ partem contaminauerit. Quos vero populos tam tetricis opinionibus imbuit, Sarracenos ex Dei precepto vocari dicebat, à Sarra legitima vxore Abrahæ, quasi legitimos diuinæ promissionis successores. Ex Iacobino Meyerio ac Matthæo Palmerio. In schedis quibusdā Nicolai Clenardi, viri vnde cuncte doctissimi, legi, quas ille in Africa Fesæ conscripsit, dum illic Arabicarū literarum petitiam, ad hellum Antimahometricum quod parabat, si longiorem lucis usuram Dominus Deus concedet voluissest viro longissima vita dignissimo, indefatigabilī studio consectabatur: legi, inquam, in schedis illis, totum Mahometisnum decem Iudeorum commentum fuisse: hoc Iudeos excoxitasse, vt Christianis insignem aliquem excitarent hostem, ac de ea re librum extare apud Iudeos. Idem mihi oīm Hispali retulit Germanus quidam, vir probus & eruditus, qui multos annos in Africa suorum negotia gesserat, & dum redditum pararet in Hispaniam, sinistris auspiciis captus, diram apud Mautos seruitutem fetuuerat. Is mihi affirmauit, audisse se à viris grauibus in Africa, Iudeum quēdam astutum, angelum se mentitum, Mahometi nocturnis illusionibus persuasisse, vt ridicula multa & a natura rerum abhorrentia Alcorano suo inficeret, vt iudeos tam stulta legis ludibrio a secta Mahometica auerteret.

Sisebutus anno regni sui octauo, mense sexto, rebus excessit humanis, quem alii proprio morbo, alii immoderato medicamenti haustu, alii veneno scribunt interfecit, ut autor est Sanctus Isidorus. Sisebuti Regis duas leges reperi, alteram, qua omnes successores suos sub perpetua maledictionis censura obstringit, quicunque Regum mancipium Christianū Iudeo seruire vel famulari permiserit: alteram, vt omnis aut in expeditionem exercitus non progrediens, aut de exercitu fugiēs, testimonio dignitatis suæ irreuocabiliter careret. Quam posteriorem, vt duram & Reipublicæ damnosam, temperamento suo mitigauit Flavius Eringius. Ex duodecimo concilio Toletano. Hic Astures rebelles, misso in eos exercitu, imperata facere coegit, bis de Romanis triūphauit, in prælio felix, post victoriam adeo clemēs, vt hosteis captos persoluto pro iis precio remitteret immunes, atque omnem thesaurum in captiuorum redemptionem benigne profunderet. Idem Toleti ecclesiam Sanctæ Leocadiæ miro opere fundauit. Ex Sancto Isidoro & Luca Tudensi. Post mortem patris regnat filius eius Recaredus adhuc parvulus, sed tum propter ætatem adhuc tenellam, tum propter regni breuitatem, nihil relatu dignum gesit. ideo à Diuo Isidoro & Luca Tudensi in catalogo Regum non ponitur. Hunc Isidorus Pacensis ait tres tantum menseis regnasse: Rodericus Toletanus septem, quem sequitur Alfonsus episcopus Burgensis. Eodem anno, nēpe Heraclii Imperatoris decimo, creatus est Rex Gothorum Suintilla, Recaredi primi filius, vt ait Michael Ritius, cui subscribit Lucas Tudensis, qui addit eum sub Sisebuto Rege duxisse exercitum, & Theodoram dicti Regis filiam duxisse vxorem, ex qua Sisenandum & Cindasunthum filios sustulisse: quod tamen falsum est, vt ex sequentibus patebit. Hic primus omnium Gothicæ nominis Regum, expulsi profligatisque Romanis, Hispaniæ monarchiam consequutus est, vt ait Sanctus Isidorus. Ex hoc loco, sicut ex aliis nonnullis, constare videtur, apud Gothos non fuisse motem, vt filii necessario patribus in regno succederent, sed eos regnasse qui à magnatibus & populo digni regno iudicati eligerentur. Imo vero si quis alia ratione Regiæ maiestatis ambiret fattigium, Catholicorum confortio priuandus, & diuino anathemate condemnandus censemperatur, vt patet ex quinto concilio Toletano.

Vascones Tarragonensem prouinciam infestabant, quos Suintilla Rex, duxto in eos exercitu, in ordinem rededit, atq; ad expiandam rebellionis culpam, ciuitatem Oligitim propriis ipsorum stipendiis ædificare compulit. Sanctus Isidorus. Hanc ciuitatem alii in Nauarra dicūt esse eam quæ vulgo dicitur Olit, alii in Castella veteri, quæ vernaculo nomine Valladoliit nuncupatur: sed adhuc sub iudice lis est.

Ioannes ex monacho episcopus Cæsar Augustanus, Maximi, de quo iam diximus, successor, vir scriptis & eruditione clarus, sed clarior sanctitate & exemplo vita, præfuit ecclesiæ sue duodecim annis, & scriptis nonnulla de ecclesiasticis officiis & inquitenda solemnitate Paschali, temporibus Sisebuti & Suintillanis Regum. Ex Beato Alfonso.

Usque ad hunc annum, nempe quintum Suintillanis (sic enim declinat Sanctus Isidorus & B. Alfonius) Gothorum historiam prosequutus. S. Isidorus, & numerat ab exordio Athanarici Regis usque ad hunc annum, ducentos quinquaginta sex annos. Posuit vero principium Athanarici Aera quadringentesima septima, hoc est, anno Domini trecentesimo sexagesimo nono, cui summa si addas ducetos quinquaginta sex, prope ad amissim responderet calculus. Fiunt enim anni sexcenti viginti quinque. Porro vnius anni in tanto temporum interuallo modica est differentia. Hoc additum volui, ne quis arbitretur, me

An. dom. temere ac sine delectu potius sequutu Diuum Isidorum in ratione temporis subducenda, quam alios. Evidem frequenter admiror, quo auctore Rodericus Toletanus ab eotam constanter dissentiat, quum tamen Lucas Tudensis cum illo per omnia conueniat, tamens si numero annorum ad prodigium usque mendoza. Nam in Chronicis regis Alfonsi minus mirandum, si errores sequuta Toletani ad eundem impegerint lapidem.

628. Mortuus est anno Heraclii decimo septimo Mahometes, & sepultus in inferno. Qui cum prædixisset se decimo regni sui anno moritum, sed tertio post mortem die resulcaturum iri, discipulus quidam ipsius nomine Albimar, experiri volens, num vera prædicaret, venenum obtulit. quo ille hausto, ut sensit imminere mortem, dixit astantibus, quod per aquam essent accepturi remissionem peccatorum, & continuo expirauit. Discipuli vero custodiebant corpus expectantes rei euentum, sed tandem factoris impatientes reliquerunt, quod undecimo post die quū reuiserent, inuenierunt à canibus laceratum. Hæc fere Lucas Tudensis. Eodem anno tremuit terra, & gladii figura per dies fere triginta in cælo apparuit. Chronica Regis Alfonsi. Mortuo Mahometi successit in regno Arabum Abubacar, de genere Mahometis, & regnauit tribus annis. Lucas Tudensis.

629. Suintilla Rex Rechimirum filium in regni societatem cooptauit, simulque cum copiis auspiciis regnum administravit. Qui Rechimirus quia eodem fere cum patre mortuus est tempore, ideo in ordinem Regum non venit, sed cum patre confunditur, ut post Rodericum Toletanum annotauit Michael Ritius.

630. Hoc anno Suintillanem Regem fatali morbo peremptum & honorifice elatum scribunt Hispani scriptores, qui Regē istum variis laudibus optimo Rege dignis cumulant, pauperum patrem appellantes. Et fieri quidem potest, immo non dubito, quin principio regni talis fuerit, alioquin nunquam Sanctus Isidorus Regem illaudabilem falsis ornasset præconiis. Sed quod mutauit ingenium, neque regale diadema ad finem usque vitæ tueri potuerit, ex Paulo Æmilio constat, qui scribit ad hunc modum: Mortuo Sisebuto Regi clarissimo, haudquam pari gloria successerat Sintilla (ita enim appellat) cuius cum Vesegothos ferocem gentem puderet pœniteretque, Sisenandus æmulus regni, in Franciam ad Dagobertum Regem profectus, auxilium impetravit. Abundatius & Venerandus duces, nobilitatem Burgundionum Cæsaraugustam duxere: continuoque Vesegothi à Sintilla ad eum quem Dagobertus Regem dabat, defecere. Is decem pondo autem Francis appendit, quæ ædi Diui Dionysii absoluendæ attributa sunt. Hæc ille. Neque vero solum fascibus regni sui exutus, verum etiam communis patrum decreto excommunicatus est, in quarto concilio Toletano, ut ex ipsius concilii actis constat libro ultimo ubi ad hunc legimus modum: De Suintillane vero (Simitilanem codices impressi vocant, sed mendoza) qui propria scelera metuens, seipsum regno priuauit, & potestatis fascibus exuit, id cum gentis consultu decernimus, ut neque eum, vel uxorem eius, propter mala quæ commiserunt, neque filios eius vnitati nostræ vnquam consociemus, nec eos ad honores à quibus ob iniuriam deieci sunt, aliquando promoueamus. Quique etiam, sicut in fastigio regni habentur extranei, ita à possessione rerum quas de miserorum sumptibus auxerunt, maneant alieni, præter id quod pietate piissimi Principis nostri fuerint consequuti. Non aliter & Geillanem memorati Suintillanis & sanguine & seelere fratre, qui nec in germanitatis fide stabilis extitit, nec fidem glorioso domino nostro pollicitam conseruauit. Hunc ergo cum coniuge sua, sicut & ante factū est, à societate gentis atque cōsortio nostro placuit separari: nec in amissis facultatibus, in quibus per iniuriam creuerant, reduces fieri, præter id quod consequuti fuerint pietate clementissimi Principis. Hæc ibi. ubi illud quoque obiter annorandum, quanta fuerit id temporis episcoporum autoritas tam apud Reges, quam in populo, ut etiam in ipsos Reges censuram suam exercerent. Suintillane ad hunc modum regni fascibus deturbato, Sisenandus Rex creatus, quem Lucas Tudensis ac Michael Ritius Suintillanis filium fuisse affirmat, sed falso, ut ex actis quarti cōcilii Toletani modo relatis cōstat. Regnauit annos quinq; mensis undecim. Isidorus Pacensis ait, Sisenandum per tyrānidem regnum inuasisse. Eodem anno Abubacar defuncto, Emer Arabum succedit imperio, & regnat annis decem. Ex Isidoro Pacensi & Roderico Toletano. Alii Homer appellant, sed Isidorus Pacensis Emer constanter nuncupat.

633. Anno Sisenadi Regis 3. celebratū est 4. Concilium Toletanum, mēse Decembri, in templo S. Leocadię. Interfuerūt huic concilio episcopi metropolitani, S. Isidorus Hispalensis, Iustus Toletanus, Julianus Bracarēsis, Stephanus Emeritensis, Audax Tarracōensis, Silua Narbonēsis, cū aliis 60. episcopis, inter quos fuit Sisiclus Eborēsis episcopus. Præter hos fuerūt & octo aliorum episcoporum vicarii. Rodericus Archiepiscopus Toletanus dicit huic

hunc interfuisse concilio sexaginta episcopos connumeratis eorum vicariis qui iustis de causis impediti venire non potuerunt, inter quos Mironem vicarium Emeritensis episcopi metropolitani. Isidorus Pacensis dicit 66. fuisse episcopos. Neque desunt qui septuaginta in hoc concilio episcopos fuisse dicant. In hac Synodo excusum est ac disputatum, an qui à Sisebuto Rege vi adacti fuissent ad accipendum baptismum, obligarentur ad seruandam Christianæ fidei professionem: decretumq; à patribus, vt qui iam sacro lauacro tincti essent, cogerentur ad seruandam fidem quam acceperant: sed ne posterius Iudæi compellerentur ad baptismum. Ex ipsis Conciliis. In hoc concilio inter alia multa præclara duo præcipue instituta sunt, alterum iussu Regis Sisenandi, vt omnes ingenui clerici pro officio religionis, ab omni publica inductione atque labore habeantur immunes, vt liberi Deo seruant, nullaq; præpediti necessitate, ab ecclesiasticis officiis retrahantur, idque capite 46. alterum, ne Iudæi, aut qui ex Iudæis sunt, officia publica appetant, quod sub hac occasione iniuriam Christianis facerent. Præter ea in eiusdem concilii capite octavo, causa benedictionis cerei in vigilia Dominicæ Resurrectionis exponitur, ideo scilicet benedici, vt sacræ Resurrectionis Christi mysterium, quod tempore huius noctis votive aduenit, benedictione sanctificati luminis suscipiamus. In nono quoque capite salutari constitutione præcipitur, vt oratio Dominica quotidie dicatur, quotidiana enim orationem esse, & quotidiana ac minima peccata delere. Denique toto capite Dominicæ orationis virtus & efficacia docetur.

Nontinus siue Nonnicus, Ioannis in Gerundensi episcopatu successor, professione 643 monachus, simplicitate conspicuus, actibus sanctus, non hominum diutina deliberatione, vt inquit B. Alfonso, sed Dei per homines celeri definitione in pontificatum fuit adscitus. Assiduus hic fuit ad sepulchrum S. Felicis martyris, rexit ecclesiam magis meritorum exemplis, quam verborum edictis. Hic & viuus & defunctus multis dicitur clarius semiraculis. Vixit temporibus Suinthilanis & Sisenandi Regum. Ex B. Alfonso.

Iustus præsul Toletanus, Helladii in disciplina monastica discipulus, & in episcopali 646 dignitate successor, sed præmatura morte sublatus, acri vir ingenio, quiue ecclesiæ videntebatur profuturus, si vita respondisset ingenio. Verum quia diaconus adhuc, Helladio præceptori & præsuli suo fastu superbiæ insultauerat, ipse tertio pontificatus sui anno in reprobum versus sensum, ob intemperantiam morum, à ministris altaris sui, dormiens laqueo strangulatus expirauit. Scripsit ad Richilanem Agaliensis monasterii patrem epistolam, in qua astruit susceptum gregem nullo modo relinquendū. Ex eodem. Huic Iusto cum Gerontius quidam presbyter, Principis sui gratia & fauore fretus, per contemptum aduersaretur, tam repentina motu vim perdidit intellectus, vt omnia medicorum experimenta non medelam conferrent, sed morbum grauarent. Eo deniq; crevit commotio mentis, vt ante mortem & colloquium ipsius & aspectus horroci esset omnibus. Ex eodem. Hoc anno, nempe sexto Sisenandi Regis, Iudæi Toletani qui à Rege Sisebuto ad fidem compulsi fuerant, vltro ceremonias & ritus Iudaicos abiurauerunt, professi, si quem ad eos deficere deprehenderent, eum se lapidibus obruturos, aut si Rex vitam illi concedere vellet, bona eius cederent fisco, & perpetuam seruiret seruitutem. Ex Fortalito fidei, vbi nomina Regum depravata leguntur. Eodem anno, decimo nono die post Iustum episcopum, obiit Sisenandus Rex Gothorum. Ex B. Alfonso. Mortuus est autem Toleti, vt ait Tudensis. Defuncto Sisenando succedit Cinthilla, quem nonnulli, & inter eos Michael Ritius & Petrus Antonius Beuter, affirmant fuisse filium Suinthilanis Regis, sicut & Sisenandum: sed neutrum mihi fit verisimile ex iis quæ ex quarto Concilio Toletano annotauit. Regnauit annis sex.

Primo anno Cinthillæ Regis celebratum est Toleti quintum Concilium, in templo 647 S. Leocadiæ, à 24. episcopis, præsidente Eugenio præsule Toletano. In quo Cōcilio Braulii (quem Braulionem alii appellant) Cæsaraugustani episcopi magistralius extitit, qui Ioannis episcopo cuius superius mentionem fecimus, successit, ac præter alia opuscula scripsit vitam S. Æmiliani monachi. Præfuit ecclesiæ Cæsaraugustanæ ferme 20. annis, obiit tempore Cindasunthi Regis. B. Alfonso. In hoc concilio dicitur S. Isidorus mortem suā prædictissimæ. Eugenius iste Toletanus episcopus qui huic concilio præfuit, vel saltē interfuit, Helladii in monastica disciplina discipulus extitit, cum Iusto præcessore suo lectoris functus officio, vir cum aliarum disciplinarum, tum vero Astronomiæ ad miraculum usque peritus. Hunc Helladius ad pontificatum tractus, ē monasterio secum duxit, atque ad ecclesiasticos ordines promovit. Gubernauit Ecclesiam Toletanam vnde decim annis, regnibus Cinthilla, Tulgane, & Cindasuntho. Ex B. Alfonso. Ab hoc Eugenio cum Lusidius diaconus amicitia seculari astricetus, violenter honorem presbyterii & prædia-

An. Dom. quædam extorsisset, in reprobum versus sensum, tali vexatus est morbo, ut vita tædio mortem optaret, tanto miseror, quanto desiderata mors diutius differebatur. Ex eodem. Eodem anno S. Isidorus Hispalensis ecclesiæ metropolitanus episcopus & Hispaniæ pri- mas, celebrato sacro, ouibus suis cœlesti pabulo pastis, quum mortem suam prædixisset, & sublatis in cœlum manibus, data benedictione supremum vale populo dixisset, sancti- simam animam auctori suo reddidit pridie Nonas Aprilis. Hunc B. Alfonius ait, quadra- ginta ferme annis Hispalensem rexisse ecclesiam, ac tanta in dicendo gratia polluisse, vt auditores sæpe in stuporem verteret. Aiunt examen apum ipsi infanti visum in os ingredi & egredi, & in cœlum vsq; euolare: quod de B. Ambrosio legitur. Idem iam factus episco- pus collegium construxit Hispali, vbi bona ingenia erudirentur, in quo multi flouere, inter quos Beatus Alfonius post Tolitanus episcopus, & Braulio Cæsaraugustanus. Ex Breuiario Eborensi. Lucas Tudensis & alii mortem eius aliquot annis posteriorem faci- unt, sed cum ex actis Conciliorum manifestum sit, ipsum inter quintum ac sextum Con- cilium Toletanum hanc vitam caducam & temporariam æterna beatitudine commu- tassem, veritatem ipsam quam aliorum iudicium sequi malui. Quam utilem sanctus iste na- uauerit operam ecclesiæ catholicæ, cum ex aliis multis, tum vero ex decretis constat, quorum non minima pars ex huius Diui lucubrationibus decerptra est. S. Isidorus ince- polygraphos merito numeratur, atque hæc reliquit ingenii sui & omnimodæ eruditio- nis monumenta:

<i>De ortu & obitu Sanctorum patrum.</i>	brum unum.
<i>De differentiis rerum libros duos ad Fulgen- tium episcopum fratrem suum.</i>	<i>De heresibus, librum unum.</i>
<i>Librum proæmiorum Sacrae scripturae.</i>	<i>De perfectione virginitatis ad Florentiam sororem, libros duos.</i>
<i>Synonymorum, sive de consolatione anima- rum, libros duos.</i>	<i>De viris illustribus.</i>
<i>De natura rerum, ad Regem Sisebutum.</i>	<i>De regula monastica, librum unum.</i>
<i>De genere officiorum, libros duos.</i>	<i>Historiam Regum Gothorum, Vandolorum & Sueorum.</i>
<i>Sententiarum libros tres ex moralibus D. Gregorii.</i>	<i>Questionum in Pentateuchum, libros duos.</i>
<i>De Arithmeticâ.</i>	<i>Etymologiarum libros viginti, ad Brauli- um sive Braulionem Cæsaraugustanum episo- pus.</i>
<i>De nominibus Legis & Euangeliorum, li-</i>	

638 Anno Cinthillæ secundo, sexto Idus Ianuarii, celebratum est Toleti sextum Concili- um in Ecclesia S. Leocadiæ, sub episcopis metropolitani Eugenio Toletano, Honorato Hispalensi, Iuliano Bracarensi, Protasio Tarragonensi, Silua sive Selua Narbonensi, & quadraginta quatuor aliis episcopis, & sex eorum vicariis qui iustis de causis impediti no- poterant intetesse. Huic concilio quoq; interfuit Sisiclus Eborensis episcopus. Ex con- ciliis. In huius concilii Canone tertio, a Patribus cum consensu Regis & optimatum at- que illistrum virorum statutum & sanctum est, vt quisquis succendentium temporum regni sortiretur apicem, non ante concenderet regiam sedem, quam inter reliqua conditionum sacramenta polliceretur, nullum se non catholicum permisurum in suo regno degere. Si vero, postquam ad regni gubernacula accessisset, huius ipse temerator exilie- ret promissi, esset anathema maranatha in conspectu sempiterni Dei, & pabulum effice- retur ignis æterni. Similiter & omnes qui cum eo consentirent. Quam sanctorū Patrum sententiam pie sequutus Ferdinandus Rex cognomento Catholicus, dum regnorum suorum finibus expulit atq; exterminauit Iudeos & Sarracenos, vt etiam annotauit R. pa- ter F. Bartholomæus Carranza Mirandensis, vir pius & eruditus, qui Concilia omnia pio atq; utili studio in epitomen redigit.

639 Hoc tempore celebris fuit Tonantius (Conantium in libris antiquis lego) post Mau- filanem Palentinæ sedis episcopus, vir & animo & corpore reuerendus, & ordinandis ecclesiasticis officiis præcipue intentus. In cantu ecclesiastico multa edidit. Orationes etiam conscripsit de omnium proprietate psalmorum. Vixit in pontificatu plus triginta annis, nimirū ab ultimo tépore Viñerici Regis, vsq; ad tempora Cinthillæ. Ex B. Alfonso.

641 Moruo Cinthilla, regnat Tulcas annis duobus, iuuenis inde regia prædictus, & o- mnibus virtutibus optimo Principe dignis ornatus, quiq; de regno Gothorum & Hispa- nia tota bene meriturus videbatur, si vita longior contigisset. Mortuus est Toleti, magno sui desiderio relicto: Tulganem alii appellant. Sigebertus Abbas ait, propter pueritiae le- uitatem regno priuatum, atq; ad ecclesiasticos ordines relegatum. Cæterum nisi Sige- ber-

bertus fidelior est in historia, quam supputatione temporum, de iis loquor quæ ad Reges Gothorum pertinent, non magnam illi fidem habeo. Mortuo Omar Rege Arabum, imperat Mauris Autumar, vel secundum alios Azamam, duodecim annis. quo regnante multum decrevit imperio Romanorum, magna que regno Maurorum accessio facta est. Hic Attuman Isidoro Pacensi dicitur, & Attoman.

Mortuo Tulca anno regni sui secundo, Cindasiunthus vacuam Gothorum regiam 642 occupat, & regnat solus sex annos, & cum filio Flauio Reccesiuntho quatuor, ac septem menses, vt ex Isidoro Pacensi, Luca Tudensi, Chronicis Alfonsi decimi, & annotationibus Alcobaciensibus colligo, quanquam inter eos depravatione librorum magna sit differentia. Hic à summo Pontifice priuilegium obtinuit, vt primatus Hispaniæ pro arbitrio episcoporum esset, vel Toleti, vel Hispali. Huius tempore tota Hispania summa tranquillitate conquieuit. Lucas Tudensis.

Theodiscus Græcus Honorato in Hispalensi præsulatu successerat, vir multarum lin- 643 guarum peritus, qui quamuis esset speciosus pelle decora, introrsum tamen turpis, astutam vulpem, imo vero lupum rapacem sub specie ouis occultabat: quod re ipsa comprobauit. Siquidem D. Isidori libros de naturis rerum & medicina, atque arte notoria, nondum editos corrupit, in odium fidei, & adulterauit, optima quæque refecans ac falsa supponens, atque ita in linguam Arabicam opera cuiusdam Arabis transtulit. Propter quod & alia multa quibus perfidia ipsius innotuit, synodali sententia ab Archiepiscopali dignitate depositus, ad Arabes se contulit, & sectæ Mahometicæ adhæsit, atque ob hanc causam primatus Hispaniæ ab Ecclesia Hispalensi in Toletanam translatus est. Ex Luca Tu- densi.

Anno Flauii Cindasiunthi quinto celebratum est Toleti septimum concilium, deci- 645 mo quinto Calendas Nouembri, præsidente Orontio Emeritensi metropolitano epi- scopo. Præter hunc interfuerunt alii tres metropolitani, Eugenius Toletanus, Antonius Hispalensis, Protasius Tarragonensis, & alii episcopi, numero omnes quadraginta, tam- et in Conciliis vulgo impressis tantum numerentur triginta octo. forte duo fuerè alio- rum episcoporum vicarii. Isidorus Pacensis & illum sequutus Rodericus Archiepisco- pus Toletanus, dicunt in hoc concilio triginta tantum fuisse episcopos cum omni clero, & vicariis eorum qui vel morbo impediti, vel inopia, venire non poterant, & palatino collegio. Fuisse vero inter episcopos & vicarios eorum quadraginta. In hoc cōcilio Taio (alonem alii appellant) Cesaraugustanus episcopus, ab Rege & vniuerso concilio Ro- man missus est ad quærenda moralia Beati Gregorii, quæ in Hispaniis quorundam ne- gligentia perierant. Cumque à summo pontifice (opinor Theodoro, vel Martino primo) de die in diem reiiceretur, quasi in tam numerosa bibliotheca non possent reperiri: pius episcopus in basilica Apostolorum Petri & Pauli, noctem vnam in orationibus & lachry- mis traduxit insomnem, ac circa medium noctis beatorum Apostolorum atque ipsius S. Gregorii ac S. Augustini monitis & indicio voti compos effectus, magna cum gloria re- uertit ad suos. Ex iisdem autoribus.

Hoc anno, secundum Isidorum Pacensem, secundum Lucam Tudensem, sequenti, 647 Flauius Reccesiunthus à patre Cindasiuntho cooptatus regnauit, vt diximus, cum patre annos quatuor, menses septem, solus vero octodecim annos, menses vndecim. Fuit hic deuotus Catholicæ fidei cultor, & sacrarum literarum perquam studiosus, templa & sa- cra altaria variis ornamenti exornauit. Partim ex Isidoro Pacensi & Luca Tudensi, par- tim ex Archiepiscopo Toletano.

Eodem anno mortuo Eugenio Toletano præsule, subrogatus est alter Eugenius, qui 651 postea fuit in diuorum numerum relatus, is videlicet qui B. Alfonsum in illius ecclesiæ regimine præcessit. Hic cum esset Ecclesiæ Toletanæ clericus, vita delectatus monacho- rum, Cesaraugustam profectus, monastico sese mancipauit instituto, & martyrum sepul- chris assidue deuotus inhæsit. Vnde principis imperio reuocatus, & præter voluntatem suam ad episcopatum Toletanum promotus, eruditione, scriptis, & sanctitate vitæ nomē scribi fecit celeberrimum. Scripsit librum de S. Trinitate, atque alia nonnulla tam carmine quam prosa, & Dracontii Hexameron iam vetustate vitiatum, suo nitori restituit, & de septimo die, quæ in Dracontio desiderabantur, suppleuit. Tenuit episcopalem digni- tatem duodecim ferme annis, temporibus Cindasiunthi & Reccesiunthi Regum, sepul- tus tandem in basilica S. Leocadiæ. Ex B. Alfonso. Dracontius iste fuisse videtur Hispa- nus, quantum ex S. Isidoro colligi potest, floruit temporibus Iustiniani Imp. & Athana- gildi Regis Gothorum, composuit Hexameron creationis mundi.

Mortuus est Toleti morte naturali Cindasiunthus Rex, quem tamen aliqui veneno 652

produnt periusse. Ex Chronicis Alfonsi decimi. Hoc quoque anno, nempe quinto Regni cesunthi regis, celebratum est Toleti octauum concilium, in basilica prætoriens Apolorum Petri & Pauli, sexto Calendas Ianuarii, præsente rege. Cui concilio interfuerunt quatuor metropolitani episcopi, Orontius Emeritensis, Eugenius Toleranus, Antonius Hispalensis, Potamius Bracarensis, & alii episcopi quadraginta octo, ac decem aliorum episcoporum vicarii, abbates cum Archipresbytero & primicerio Tolerano duodecim, Comites vero & viri illustres quindecim. Interfuit huic cœcilio Abientius episcopus Eborensis. Videtur & B. Alfonsus huic interfuisse concilio. Nam inter abbates refertur Ildephonsus Abbas. Certum est enim S. Alfonsum qui & Hildephonsus dicitur, id temporis abbatem fuisse monasterii Agaliensis, quæ nunc est ecclesia sanctorum Cosmae & Damiani in sububio Toletano. Ex actis huius concilii colligi posse videtur, maiori ea tempestate dignitatis fuisse Comites quam Duces. Ita enim scribitur: Ella Comes & Dux. Fandila Comes & Dux. In hoc concilio inter alia multa singularem pietatem spirantia, hoc quoque memorabili exemplo statutum est, ut solus ille accedat ad sacra Dei mysteria tractanda, quem morum innocentia & literarum splendor reddunt illumitem. Illud præterea cautum est, quod hodie proh dolor nimis multi pessimo exemplo negligunt, ut si quis sine ineuitabili necessitate atque fragilitate, aut euidenti languore, seu etiam impossibilitate ætatis, diebus quadragesimæ carnibus vesci præsumeret, non solum reus esset resurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab eiusdem diei sancta communione, præterea toto illo anno ab omni carnium esu abstineret. Quos vero vel ætas, vel languor, vel necessitas excusaret, non ante prohibita violare præsumerent, quam à sacerdote permisum accepissent. Hæc ibi canone 8. & 9. Ex posteriori tomo Conciliorum.

653. S. Irene ad Nabanim Lusitanæ fluuium, in oppido Thomar, pro pudicitia & amore Christi passa est ab iis quorum libidini castitatem suam virgo Deo dicata prostituere noluit, proiecta ab occisoribus in Nabanim, per Tagum delata est Scalabim, ubi sepulta non men virbi dedit. Huius gloriose virginis martyrium L. Andreas Resendius latius explicavit in Breuiario Eborensi. Eodem anno Autumar siue Azaman Arabum rege à suis intercepto, Moabias regnauit annis viginti quinque. Rodericus Toletanus. Isidorus Pacensis ponit anno superiore.

654. Anno septimo Reccesiunthi regis, mense Nouembri, celebratum est Toleti concilium nonum à sedecim episcopis, in basilica beatæ Mariæ semper virginis, sub Eugenio præsule Toletano. Ex Conciliis. In huius concilii decimo canone decretum fuit, ut filii clericorum cuiuscunque ordinis, ab episcopo ad subdiaconum, non solum hereditatem paternam nunquam acciperent, sed etiam in seruitutem illius ecclesiæ, de cuius sacerdos tis vel ministri ignominia natuerent, iure perenni traderentur.

655. Anno octavo eiusdem regis celebratum est Toleti in ecclesia Apostolorum Petri & Pauli decimum concilium Toletanum, sub beato Eugenio Archiepiscopo Toletano, & Fugitiuo Hispalensi, & Potamio Bracarensi, & viginti duobus aliis episcopis, in quo institutum est festum beatæ Mariæ semper virginis, quod etiam nunc tota Hispania celebratur, octauo die ante nativitatem Christi feruatoris nostri. Quo die celebratur id officium quod celebrari consuevit in festo Annunciationis eiusdem sacratissimæ virginis. Institutum vero est hoc festum, quia dies solennis annunciationis, frequenter cadit in diem ita propinquum passioni aut resurrectioni Dominicæ, ut ab ecclesia & populo Christiano proprio die de more celebrari non possit. Ex Conciliis. In eodem cœcilio venerabilis Potamius Bracarensis ecclesiæ metropolitanus episcopus, non sine multis aliorū sanctorum Patrum lachrymis ac suspiriis, propria atq; ultronea confessione se administratio episcopatus sui abdicari postulauit, quod tactu fæmineo sorduisset. Subrogatus est illi S. Fructuosus ecclesiæ Dumensis episcopus, ita tamen, ut Potamius nomen retineret episcopi, quod ipse sibi propria sui criminis confessione abstulerat. Ex conciliis. Vt in omnibus hoc tempore vitam ecclesiasticam professi, hoc peccatum perinde exhorreverent, aut humana fragilitate commissum pari pœnitentia contenderent expiare. Ioannes Trittemius memoriæ prodit, festum diuæ virginis, de quo diximus, à diuino Alfonso institutum, & esse illud quod nunc communis consuetudine & consensu celebratur sexto Idus Decembris. Sed errat tota via. Quanquam non negauerim festum hoc celebrius factum Hispanis, propterea quod beatissima virgo Maria eo die S. Alfonso apparuit, ut suo loco dicemus. Trittemii errorem sequutus est Gregorius Gyraldus, dicens festum Conceptionis diuæ virginis à beato Alfonso institutum. S. vero Fructuosus qui in hoc Toletano concilio electus est Archiepiscopus Bracarensis, regio stemmate clarus, & Ducus exercitus Hispaniæ filius, Conantii episcopi cuius superius meminimus, discipulus, multorum mona-

monasteriorum in Hispania, atque inter ea Complutensis cœnobii (quod aiunt hodie appellari Sant Iusto daltar) in Gallegia conditor extitit, demum Bracarensis ecclesie præfus, & viius adhuc, & præsenti vita defunctus, multis effulsiis miraculis. Huius opus est monasterium prope Bracaram, in modico colle situm, quod nunc quoque S. Fru-
tuosi dicitur, atque à deuotis ac religiosis fratribus ordinis D. Francisci, sed rigidioris obseruantie habitatur. In quo facile antiquam structuram & in structuræ ratione vene-
randam conditoris sanctitatem agnoscas. Ibi adhuc sepulchrum sanctissimi viri visitur,
sed corpore Compostellam translato vacuum, nisi quod fimbria vestis sacerdotalis cum
qua de more sepultus fuit, & os vnum ex reliquiis ipsius, paucis ab hinc annis in eo fuit
inuentum, dum in eo monasterio Guardianum, ut ipsorum more loquar, ageret vir pro-
bus ac pius F. Christophorus à Vimaranis, qui mihi hæc retulit. Eodem anno Solis ecli-
plis, & stellæ in meridie visæ, Hispaniam omnem territauerunt. Isidorus Pacensis.

Mortuo Beato Eugenio Toletanæ sedis episcopo metropolitano subrogatur S. Alfon- 662.
sus (quem alii Illefonsum, alii Ildefonsum, atque etiam Hildephonsum appellant) claro
natus loco, & S. Isidori discipulus, cuius tempore duo hæretici ex Gallia Gothica in Hi-
spaniam venerunt, & inuiolatam beatissimæ semper virginis Mariæ virginitatem sacri-
lego ore polluere conati sunt, insanum ac blasphemum Heluidii dogma restaurare vo-
lentes. Horum alteri Teudio nomen, alteri Pelagio fuit. Quos beatus Pontifex Alfonsus
& facundiæ gratia & scripturarum testimonii ita refutauit, vt confusionis & verecun-
diæ plenos Hispania cedere coegerit. Quod obsequium tam gratum sacratissimæ virginis
matri extitit, ut sanctorum agminibus stipata ipsi apparuerit, cum B. Alphonsus ad matu-
tinias horas de nocte se conferret clero comitatus & populo, librum quem de perpetua i-
psius virginitate scripserat, manu gestans, idque 15. Calendas Ianuarias, quo die (vt di-
ximus) ex decimi cōcilii Toletani decreto commemoratio Annunciationis gloriosissi-
mæ virginis tota Hispania celebratur, neque solum apparuerit, sed vestem etiam sacram
quain facienda re diuina vteretur, dederit, tanquam diuinæ gratiæ & fauoris sui pignus
& obsidem. Quæ vlestis etiam hodie, summa cum religione, in adytis ecclesiæ Toletanæ
seruatur, quanquam non desunt qui in Ovetensi ecclesia esse dicant. Neque post bea-
tum Alphonsum quisquam præfus Toletanus ausus est ea veste vti, præter Sisebertum
Archiepiscopum, qui temeritate sua de dignitate & sede episcopali deturbatus, in exilio
vitam miseram ac tristem exegit. Hæc fere ex Roderico Archiepiscopo Toletano, qui
tamen in hoc lapsus est, quod alterum horum hæreticorum Heluidium appellauerit,
quum impium Heluidii dogma multis ante annis à D. Hieronymo non minus erudite
quam pie fuerit extinctum. Ex hoc tempore festum illud sacratissimæ virginis, quod fe-
stum Expectationis diuæ virginis hodie plerique appellant, crediderim celebrius factum
Hispanis, quum tamen decem ante annis plus minus institutum sit, quamvis multi libri
Hispano sermone conscripti contrarium dicant. Ordinatus est episcopus S. Alfonsus in
ecclesia S. Leocadiæ, cuius sanctissimæ virginis corpus, postquam per multa secula latue-
rat ignoratum, ipsa se illi reuelante, primus patefecit. Ex breuiario Eborense. Liber vero
ipsius quem de perpetua diuinæ matris virginitate scripsit, contra Iouiniani, Heluidii, &
Pelagi hæresin, quemque sanctissima virgo Maria tanto munere & elogio commenda-
uit, etiam hodie in plerisque Hispaniæ ecclesiis extat manu scriptus, præsertim in Eborense.
Ex eo sunt lectiones eius festi, de quo iam diximus. Equidem miror nondum typis
excusum, præsertim quum stylo sit pro illo seculo satis eleganti, & pietatem spiret sanctis-
imo præfule dignam.

B. Alfonsus quum ecclesiam Toletanam rexisset annos nouem, menses duos, præsen- 671.
tis vitæ miserandos labores æternæ gloria & perpetua quiete commutauit, sepultus in ec-
clesia sanctæ Leocadiæ, ad pedes B. Eugenii præcessoris & auunculi sui. Qui propter elo-
quentiæ suavitatem, os aureum, hoc est, Chrysostomus dictus est, & propter soliditatem
doctrine, Ancora fidei. Res gestas Gothorum ab anno quinto Suintillæ regis, ubi finem
scribendi fecit S. Isidorus, usque ad hunc annum, nempe decimum octauum Flauii Rec-
cesiunthi prosequutus est. Ex Juliano Archiepiscopo Toletano. De vita S. Alfonsi vide
breuiarium Eborense, qui illic S. Ildephonsus dicitur.

Flauius Reccesiunthus quum regnasset annos octodecim, menses undecim, fatali 672.
morte decepsit Toleti, Calendis Septembbris, ut inquit Rodericus Toletanus, relicto fi-
lio Theodofredo patre Roderici vltimi Gothorum regis, ut autor est Lucas Tuden-
sis: sepultus est in oppidulo quodam suo quod tunc Gerticos, nunc Bamba dicitur, in ter-
ritorio Palentino. Lucas Tudensis dicit obiisse Calendis Aprilis, sed arbitror librum
mendosum. Eodem die quo Reccesiunthus fato concessit, inter ipsos ploratus ac lamen-

An. Dom.

ta, regnum Bambæ (alii Wambanem appellant) ab omnibus delatū est, qui superstite ad huc Reccesiuntho, multorum tacitis præiudiciis rex Gothorum destinatus fuerat. Sed nullis precibus aut lachrymis adduci potuit, vt regnum susciperet, vsque dum quidamē ducibus ense stricto extrema illi minatus est, nisi in preces Gothorum concederet. Cefit tandem minis magis quam precibus, atque vnde vigesimo post die Toleti vñctus est in regem. Ceterum dum Toleti in primaria ecclesia beatæ Mariæ semper virginis vngere- tur à Quirico primate, in omnium conspectu vapor quidam fumo similis è capite illius visus est ascendisse, in modum columnæ, & apis ē vertice in altum subuolare. Professus est de more fidem Catholicam cum sacramento iurisiurandi, & leges priorum regū confirmavit, atque ita omnes in verba illius solenni carmine iurauerunt. Ex Iuliano Archiepiscopo Toletano, Luca Tudensi, & Roderico Toletano. Petrus Antonius Beuter ait Bambam filium fuisse Reccesiunthi, sed nescio quo autore. Aliqui memoriaz proditum reliquerunt, Bambam agricolam fuisse, atque diuino indicio ab aratro ad regni sceptra pertractum verius quam ductum. Sed ego fabulam speciose confictam arbitror, præstitionem cum in veterum monumentis nulla huius rei mentio fiat.

673. Initia regni Bambæ nouarum rerum studio turbatiora fuere. siquidem Hildericus Ne-
mausensis vrbis Comes, auxilio Gumildi Magalonensis episcopi, & Ramiri Abbatis con-
tra Gothorum statuta, Iudeos in patriam reuocauit, & totam Galliam Gothicam à fide
regis perfida rebellione abduxit. Cuius impio conatui quia venerabilis Aregius Nemau-
ensis episcopus assentiri noluit, sanctum virum sede sua deturbauit, & tyrannica temeri-
tate Ramirum Nemausensem episcopum creatum, contra sacrorum Canonum statuta,
à duobus episcopis coniurationis suæ sociis fecit consecrari. Huius rei Bamba certior fa-
ctus, Paulum ducem cum iusto exercitu contra illos misit, hominem Græca origine & fi-
dei, qui fidei oblitus, ac suæ gentis ingenium referens, copiis regiis contra ipsum regem el-
abusus, & perfidia cum hostibus communicata, rex ab iis salutatus, omnia hostilia contra
Bambam cui sacramenti religione fidem suam obstrinxerat, molitus est: & vt conatui vi-
res suppeterent, ecclesias omni auro atque argento dispoliauit, ac Francorum & Vasco-
num auxilia ingenti pecunia redemit. Sed vt nunquam bene succedunt facta improba,
Bamba coniuratæ rebellionis conscius, præmissis copiis ac diuiso exercitu, ipse suble-
quutus, rebelles ciuitates & inter eas Gerundam ac Barcinonem partim deditio-
nem, partim vi, breui recepit, ac proditorum potitus est tam gloria victoria, vt angelorum dia-
tur præsidii tam arduum bellum tam paruo tempore, nempe sex mensium spatio, tam feliciter confeisse, præsertim quum tam procul abesset. Consequutus vero est hanc victo-
riam, quo die primum regni sui annum compleuir, hoc est, Calendis Septembribus, vt
iam diximus. Post victoriam & coniuratos in potestatem suam redactos, Bamba Nema-
si ruinas restituit, quæcumque Pauli auaritia sacris ædibus fuerant ablata, summa diligen-
tia reddi iubet, Argebadi Narbonensis Archiepiscopi precibus qui ad hoc sacris induit
vestibus venerat, proditoribus vitam condonat, supplicium sibi referuat. Lupum Fran-
corum ducem qui dicebatur hostilia moliri in Biterrensi regione, sola aduentus sui fama
in fugam conuertit. His ex animi sententia peractis, Toletum gloria plenus reuertitur,
sesto post mense quam illinc decesserat, vbi solenni gratulatione, faustis acclamationi-
bus & maximo omnium applausu receptus est. Hostes suos in triumpho duxit, raso capite
& barba, nudis pedibus, saccis indutos & camelis impositos. Sed Paulus omnium cory-
phæus, qui regis titulum usurpauerat, corona picea insignis, longa suorum comitante ca-
terua, ludibrium factus omnium, tandem cum suis omnibus perpetuo carceri mancipa-
tur, scilicet, vt qui se supra meritum extulerant, pro merito viuerent ac morerenturinglo-
rii. Hanc historiam copiosius explicarunt Hispanicarum rerum scriptores tam Latini
quam Vernaculi, præcipue vero Iulianus Toletanus præfus, qui de hac coiuratione com-
mentarium conscripsit: nobis summam rei paucis perstrinxisse sufficiat. Bamba composi-
tis rebus, Toletum muro, turribus, & ædificiis elegantibus exornauit, atque in turri qua-
dam hos versus marmori insculpendos curauit:

EREKIT FAVTORE DEO REX INCLYTUS VRBEM

BAMBA, SVÆ CELEBREM PROTENDENS GENTIS HONOREM.

Consimiliter & hos versus in porta proxima ponti qui dicitur Dalcantara:

VOS DOMINI SANCTI, QVORVM HIC PRÆSENTIA FVLGET,
HANC VRBEM ET PLEBEM SOLITO SERVATE FAVORE.

675. Bamba anno regni sui quarto, pacato regno res quoque ecclesiasticas vt componeret,
concilium Toleti indixit, & celebrari fecit à Quirico vrbis Regiae primate, & sedecim
episcopis, ac nonnullis aliorum episcoporum qui iustis de causis venire non poterant,

vicariis. Qua Synodo vehemēter recreati sunt patres. nam decimus octauus annus erat, ex quo non fuerat facta copia concilii. Celebratum vero septimo Idus Nouembri. In hoc concilio Bamba suos cuique metropolitano suffraganeos episcopos assignauit, & episcopatus omneis Hispaniae & Galliae Gothicæ suis terminis de Patria consensu distinxit, sequutus in ea re priorum Regum exempla, quorum ante se historias & res gestas hac de causa legi publice iussit. Licensem ac Legionensem ciuitatem nulli metropolitano subiectam esse voluit, sed immunem utramque manere, sicut ad ea usq; tempora fuerant. Præterea statutum hac Synodo, ut clerici omnes seruarent regulam S. Isidori. Item si quis Regi aliquid daret pro beneficio ecclesiastico, anathemate perpetuo feriretur. Hæc omnino Lucas Tudensis. Quæ si vera sunt, mirum sane videri debet, tantum Carthaginensis prouincia conuocatos fuisse episcopos, quum omnium res ageretur. Illud vero de beneficiis vel ordinibus per munera consequendis, non in hoc, sed sexto & octavo concilio veritum reperio. Quod vero concilium hoc non generale totius Hispaniae & Galliae Gothicæ, sed prouinciale Carthaginensis prouincia fuerit, ex ipso concilii principio constat. Vbi sic legitur, In nomine sanctæ Trinitatis, collectis in unum Carthaginensium prouinciarum Sacerdotibus, &c. Proinde suspicor, quæ de episcopatum distinctis terminis referuntur, in alio concilio statuta esse, præsertim quum ex fine huius concilii constet, Wambanum (ita enim ibi appellatur) tunc instituisse, ut singulis annis concilium celebraretur. Eodem anno celebratum est Bracarae tertium concilium nouem Episcoporum, præsidente Leodigio Archiepiscopo Bracarensi, cui concilio interfuit Iulianus Hispalensis episcopus metropolitanus. In alio Conciliorum codice inuenio decem huic concilio interfuisse episcopos.

Ducentæ septuaginta naues Arabum quæ ad Hispaniae litora appulerant, & maritima 676. omnia cædibus ac rapinis fœde vastauerant, missa Bambæ exercitu igni conflagrarunt, & Arabes omnes partim gladio cæsi, partim in captiuitatem abducti. Lucas Tudensis & alii.

Moabius Arabum Rex moritur, succedit Hizit filius, & regnat annos tres. Toletanus. 678. Idorus Pacensis dicit fuisse Maulæ filium.

Bamba vitam monasticam professo succedit Eringius (quem alii Eruigium appellant) 681. per tyrannidem ad hunc modum. Regnante Cindasiuntho, vir quidam nobilis nomine Ardaustus ab Imperatore suo pulsus, è Græcia venit in Hispaniam, atque in fidem Regis se commisit, quem Cindasiunthus non solum benignè accepit, sed etiam consobrina sua nuptum illi data, affinem sibi fecit. Ex eo coniugio Eringius natus, qui nutritus & educatus in domo regia, non contentus inter Comites referri, ad regnum etiam aspirauit, ad quod viam quacunque ratione affectans, tandem Bambæ Regi letiferam miscuisse potionem dicitur, cuius haustu mox Regis memoria turbata est, ac mox ipse Rex paulatim alienari mente cœpit. Quod cum animaduertisset Quiricus, urbis Regiarum metropolitanus episcopus, & proceres peiora veriti, Sacramentis ecclesiæ communiendum Regem in omnem euentum decreuerunt, quæ Sacraenta religiosus ac pius Rex deuote suscepit, ac demum sibi redditus, regno nuncium remisit, vitam monasticam professus in oppidulo quodam quod vulgari sermone Pampliga dicitur, prope Burgensem ciuitatem. Regnum Eringius inualit, excluso Theodofredo Reccesiunthi Regis filio, iusto ac legitimo regni hærede. Ita uno ore produnt omnes Hispanicarum rerum scriptores, quos ego quidem videre potui, à quibus tamen multum discrepant acta concilii Toletani duodecimi, in cuius concilii capite primo confirmatur electio Eringii Regis, & vniuersa Synodus testatur sibi & scriptis & testimonii constare, Eringium a Wambane (ita enim appellat) electum Regem, antequam se monasticæ vitæ consecraret, & consecrationem ipsius ab eodem Rege Iuliano præsuli studiose commendatam. Regnauit Bamba annos nouem, mensem unum, vixit in monasterio septem annos. Archiepiscopus Toletanus. Eringius initio regni leges Gothicas recognouit, & à S. Isidoro institutas nomine suo fecit euulgari. ne ecclesiæ nomine forum iudiciale agi videretur, Romanæ sedis assensu cauit, vt nullus Archiepiscopus subditus esset primati. Præterea Cixilonem filiam suam Egicæ, primario inter Gothos viro, Bambæ Regis consobrino vxorem dedit, metu (ut aiunt) Theofredi, ne principia regni eius turbaret. Lucas Tudensis & alii. Vxor huius in concilio decimo tertio Liubigotto appellatur. Eodem anno, hoc est, Flavii Eringii primo, celebratum est Toleti duodecimum concilium mense Ianuario, cuius modo mentionem feci, in basilica Apostolorum Petri & Pauli. Cui concilio Isidorus Paçensis dicit triginta quinque episcopos interfuisse, sed ego unum & quadraginta reperio, præter Annibodium Subdeimeri Complutensis episcopi vicarium. interfuerūt præterea

An. Dom.

quinq[ue] abbates, & tredecim viri illustres. Præsedit Julianus Hispalensis Archiepiscopus, cui adfuerunt Julianus Toletanus, pro quo in Conciliis mendose legitur Julius, Lui-
ba Bracarensis, Stephanus Emeritensis, Cyprianus Tarragonensis. Interfuit huic concilium Tructimundus Eborense episcopus. Ex huius concilii capite sexto constat iam tum electionem episcoporum fuisse Regum Hispaniæ, sed quæ electio debeat ab episcopi-
& præcipue Toletano, cui erat à summo Pontifice generalis faciendi concilii potestas, probari. Idem etiam constat ex epistola Braulionis Cæsaraugustani episcopi ad S. Igido, rum, quæ præfixa est operi etymologiarum S. Isidori, in qua scribit ad hūc modum: Spe-
ciali quoque gratia fretus, speciali Domino, in quo vires sanctæ ecclesiæ consistunt, filio: ut quia Eusebius noster metropolitanus discessit, habeas misericordiæ curā, & hoc lo-
filiolo tuo nostro Domino suggeras, vt illum illi loco præficiat, cuius doctrinæ sanctitas
cæteris sit vitæ forma. Atq; sic respondet S. Isidorus: De constituendo episcopo Tarr-
conensi, non eam quam petisti, sensi sententiam Regis, licet tamen & ipse adhuc ubi cer-
tius conuertat animum, illi manet incertum. Hæc ibi. In eodem concilio fit mentio S. Pi-
neuii confessoris, cuius corpus in monasterio quodam oppiduli cuiusdam Emeritenis
dœcessis debito quiescebat honore. In hoc concilio abrogati sunt episcopatus quidam, à
Wambane Rege in oppidulis quibusdam obscuris non satis consulto instituti. Hæc o-
mnia ex actis ipsius concilii, tomo posteriore. Hizit Arabū Rege mortuo, successit Maula
filius, qui tertiam partem tributi omnibus condonauit, hac liberalitate gratus omnibus,
sed sexto regni sui mense rebus humanis sublatus est. Inde regnum Arabum in Maroan
& Abdaliam diuisum, & incertum etiam vulgus studia in contraria scismum est, atque ex
hac dissensione regnum per quatuor fere annos infinitis cædibus & bellis intellinis male
affectum est. Maroan vt vires sibi contra riualem compararet, pollicitus est Constantino
Pogonato Imperatori tributum annum auri pondo tria millia, seruorum honestorum
& equorum totidem, ea lege vt ipsi contra æmulum faueret. quod tributum per nouem
annos solutum ait Isidorus Pacensis. Quare offensi Arabes, repudiato Maroan, omnes ad
Abdaliam descierunt. Ex Archiepiscopo Toletano & Baptista Egnatio, qui ait hoc tri-
butum à Mauia Saracenorum duce promissum. Annotauit hoc etiam Petrus Antonius
Beuter.

684. Anno Eringii Regis quarto celebratum est Toleti decimum tertium concilium To-
letanum, pridie nonas Nouembris, in ecclesia Apostolorum Petri & Pauli, à quadraginta
octo episcopis, Archiepiscopis tribus, Toletano, Bracarensi, Emeritensi, iisdem quiduo-
decimo interfuerant, sed Tarragonensis & Narbonensis miserunt suos vicarios. Ex Ar-
chiepiscopo Toletano. Hoc concilium aliqui anno 683. celebratum aiunt, nempe Ara-
gentingentesima vigesima prima, & à quinquaginta octo episcopis. In cuius quinto capite
graui comminatione prohibetur, ne quis vel Rex, vel cuiuscunq[ue] conditionis alius, de-
functi Regis vxorem superstitem connubio sibi copulare, aut adulterina pollutione con-
taminare audeat. Qui contra fecerit, ab omni Christianorum communione secludatur,
& sulphureis cum diabolo contradatur ignibus exurendus.

685. Celebratum est Toleti decimum quartum concilium Toletanum, quod inter concilia
vulgo impressa non extabat, donec Reuerendus Pater F. Bartholomæus Carranza, in-
stituti D. Dominic, hæc quoque quatuor concilia quæ ignorabantur, ex antiquis bibli-
othecis, & præcipue monasterii S. Facundi in lucem eruit. Interfuerunt sedecim episcopi
& vicarii absentium, metropolitani suos miserè vicarios: Luiba Bracarensis Resefun-
dum, Florisindus Hispalensis Gaudentium, Stephanus Emeritensis Maximum abbatem,
Sumifredus Narbonensis Pacarum abbatem, vel (vt ait Toletanus) Ioannem, Cyprianus
Tarragonensis Vitellianum: celebratum vero 12. Calendas Decembri, die Dominico.
Hoc concilium non fuit generale totius Hispaniæ & Galliæ Gothicæ, sed prouinciale, à
septemdecim episcopis Carthaginensis prouinciae celebratum, 18. Calendas De-
cembris. assentibus tamen vicariis primarum sedium iam nominatis, vt eadem in aliis
quoque Hispaniæ prouinciis conuocato in omnibus concilio, tractata & confirmata in-
star essent generalis concilii. Quod eo tempore fieri non potuit, tum propter hyberni
temporis iniurias, tum quod pontifices non ita pridem à generali concilio domum re-
uersi, cōmode cōgregari tam cito non poterant. Causa vero huius cōcilii hæc fuit, quod
Romanus Pontifex ad Flauium Eringium Regem & episcopos Hispaniæ miserat acta
Concilii sexti Constantinopolitani, quod aliquot ante annis sub Constantino quarto cō-
uocatum à Dono Rom. Pont. sub Agathone cœptum, sub Leone II. absolutum fuerat, ad
cōdemnandum errorem illorum qui Apollinaris errorem atq; hæresin renouantes, duas
in Christo naturas negabant. Ea voluit Romanus Pontifex Leo ab omnibus Hispaniæ
episco-

episcopis Synodali auctoritate confirmata, per totam Hispaniam & Galliam Gothicam duulgari, quemadmodum factum est. Fuit id temporis Archiepiscopus Toletanus Julianus Pomerius, stirpe quidem Iudaica, sed parentibus Christianis natus, & Toleti cuius urbis ciuius etat sacro baptismatis lauacro lotus, Catholicę fidei cultor acerrimus, vir eruditus, & multis ingenii sui monumentis clarus, quibus Hispaniam omnem illustrauit, tantavtæ sanctitate, vt Toletanæ ecclesiæ inter diuos referatur, S. Eugenii discipulus. Hæc fere ex Archiepiscopo Toletano & Hagiographis Hispaniæ. Archiepiscopus Toletanus hoc loco significare videtur, hunc Julianum Pomerium alium esse ab eo qui interfuit duodecimo concilio Toletano. In quo vehementer hallucinatur, siquidē Julianus iste Quirico successit, vt ipsemet alio in loco affirmat, & rex ecclesiæ Toletanam annis decem, mense uno, & septem diebus, nempe usq; ad tertium annum Egicæ sive Egicanis Regis, quo anno ex hoc sæculo migravit ad Dominum, pridie nonas Martias, vt ait is qui vitam illius beato Alfonso subiunxit, qui neq; Pomerii cognomentum illi tribuit, neq; Iudaicæ originis mentionē villam facit. Vnde suspicor eos qui hæc de illo prodiderūt, eo fuisse deceptos, quod alias fuit Julianus Pomerius, de quo scribit S. Isidorus, de quo & nos superius su; loco scripsimus. Fuit vero huic sancto viro luliano indiuidua societas, & plusquam fraternal amicitia cum Guidila Leuita viro sancto, cū quo pietatis studiis innutritus, vitæ semonasticæ mancipare decreuerat: sed Deo aliud disponente, Guidila diem suum obiit anno Bambæ Principis octauo, sexto Idus Septembris, sepultus in monasterio S. Felicis, in Canensi oppido: Julianus vero post mortem Quirici ad ecclesiæ Toletanæ promotus est primatum. Ex eodem vitæ eius scriptore. Eodem anno Abdalia Sarracenorum Rex moritur, aut saltem regno expellitur, regnat Abdemelic annis 21. vt ait Archiepiscopus Toletanus, tamensi Chronica Regis Alfonsi tantum dicant regnasse octodecim annos. Isidorus Pacensis dat illi annos 20. & dicit regnare cœpisse Æra septingentesima vigesima prima, hoc est, anno Domini sexcentesimo octogesimo tertio. Isidorus Pacensis memoria tradidit, tempore Eringii maximam fuisse famam tota Hispania.

Eringius Toleti propria morte defunctus, postquam septem regnasset annos, regnum 688. Egicæ sive Egicanis genero suo reliquit. Qui vt primum fuit inauguratus regno vxorem suam Eringii filiam repudiauit, propter nefarium scelus quod Eringius in Bambæ Regem auunculum ipsius Egicæ cominiferat, filium tamen Vitizam ex ea suscepit regni heredem destinauit, quem voluit in Tudensi Gallicæ oppido residere, proinde quasi filius Rex esset Sueorum pater Gothorum. Lucas Tudensis.

Egica primo anno regni sui concilium decimum quintum indixit Toleti, in quo absolu- 689. vii postulauit quum ab aliis rebus, tum vero à iure iurando quod Eringio contra ius & æquum præstiterat. Celebratum vero concilium hoc quinto Idus Maii, in ecclesia Apostolorum Petri & Pauli, sub Juliano Primate presule Toletano, Maximo Emeritensi, Faustino Bracarense, Floresindo Hispalensi, Sunfredo sive Sunifredo Narbonensi, Sisuldo vicario Cypriani Tarragonensis. Fuerunt in hoc concilio præter quinque vicarios absentium, unus & sexaginta episcopi. Quo tempore quia in Narbonensi prouincia inguinali pestelaboratum est, episcopi qui ad eam prouinciam pertinebant, ab hoc concilio excusati sunt, sed ea lege, vt acta huius Concilii in singulis ecclesiis Cathedralibus publice recitarentur atque admitterentur, contrarium facientia anathema & quinta facultatum portionis mulcta, poena esset. Ex Archiepiscopo Toletano & aliis. Bientio ante Julianus Toletanus Præful librum respōsionis fidei suæ, vel suo, vel omnium Hispaniæ Præsulū nomine, ad Benedictum secundum tunc Romanum Pontificem miserat, in quo affirmabat tres in Christo substantias, verbum, corpus, & animam, præterea alia quædam axiomata Theologica. Quæ omnia Benedictus incautius, vt est in ipso concilio, lecta improbavit, & Julianum ad retractanda quæ dixerat, aut saltem testimoniosis atq; scripturarum & do- citorum autoritate munienda, non scripto, sed nuncio adhortatus est. In hoc igitur Con- cilio Julianus omnia illa cum sexaginta episcopis diligenter excussa, rationibus, sacræ scri- pturæ testimoniis, & ecclesiasticorum scriptorum autoribus, pie ac catholice dicta con- firmat, atq; assertionem tot episcoporum subscriptionibus munitam, Romam ad sedem Apostolicam misit, cum versibus aliquot in laudem Imperatoris (opinor Iustiniani 11.) Quæ Romæ benigne accepta, & ab omnibus recepta atque approbata sunt, ipso etiā Imperatore subscribente, atq; *Laus tua Deus in fine terra*, saepius acclamante. Legati ad eam rem missi, cum honore & gratiarum actionibus reuersi sunt. Partim ex actis ipsius Con- cilii, partim ex Roderico Toletano libri 3. capite decimotertio. In summa conciliorum dicitur Idibus Maii celebratum, & interfuisse etiam Galliæ pontifices, & decima faculta- tum pars statuta huius Concilii violata multa constituitur.

- An. Dom.* Mortuo Iuliano Archiepiscopo Toletano pridie Nonas Martias, ut diximus, successit illi Sisibertus, is cuius mentionem superius anno 662 fecimus.
- 693 Anno sexto Egicæ siue Egicanis Regis, nonis Maii celebratum est Toleti decimum sextum Concilium, in quo Sisibertus Toletanus Archiepiscopus merito culpæ sua de se de ac dignitate sua depositus est ab vniuersa Synodo. Decreuerunt vero Patres de nulla re agendum in Concilio, priusquam pastor ac præsul daretur ecclesiæ Toletanae. Igitur Felix Hispalensis Archiepiscopus translatus est ad ecclesiam Toletanam, Faustinus Bracarensis ad Hispalensem, Felix Portugalensis episcopus ad Bracarensem. Emeritensis, ac Narbonensis, iidem quos superiore Concilio posuimus, Vera Tarragonensis. Ex Archi-episcopo Toletano. Causa depositionis Sisiberti siue Sisiberti in ipsius Concilio nona capite declaratur, qui scilicet ad depositionem Regis Egicæ attentauit, in cuius facinoris pœnam, loco & honore, in exilium perpetuum relegatus, priuatus est, bonis omnibus confiscatis, & à Concilio excommunicatus, ita ut nisi in mortis articulo, ad communio-¹⁰ nem non posset admitti, secundum antiquorum Canonum sanctionem. Statutum quoque, ut quicunque religiosi, cuiuscunque religionis, aut ordinis, aut honoris, talia in Principem suum attentarent, simili pœna multarentur.
- 694 Quinto Idus Nouembris celebrata est Toleti decima septima Synodus, in ecclesia S. Leocadiæ, in qua corpus eius tum requiescebat, ab iisdem episcopis qui Concilio superiori interfuerunt. In qua Synodo Egica Rex humili prostratus, Patrum orationibus devote se commendauit, & ad multa, de quibus ad ipsos referebat, responderi sibi postulauit. Ex Toletano & aliis. Hic obiter annotandum quod in margine Roderici Toletani manu scripti, cuius mihi copiam fecit Serenissimus ac Reuerendissimus Dominus meus D. Henricus Cardinalis & Infans Portugalliae, adscriptum reperi, Felicem istum Bracarensem Archiepiscopum in hoc Concilio, se Bracarensem ac Dumensem episcopum scribere in libro Canonum. Quæ res eorum opinionem adiuuat, qui Dumensem ecclesiam arbitrantur, non Mindoniensem, ut quidam volunt, sed eam quæ prope Bracaram etiam hodie S. Martini Dumensis dicitur. Hoc tempore Iudei perfidi non solum tunicam sa-cri baptismatis Christiani quam suscepserant, macularunt, sed etiam contra regem re-gnumque conspirare ausi sunt. in quos hæc pœna statuta, ut omnibus suis rebus nudati, tam ipſi perfidi, quam vxores eorum & filii, ac reliqua posteritas per cunctas Hispania-¹⁰ rum prouincias, seruituti subiacerent perpetuæ, manerentq; vsquequaq; dispersæ. Præterea quicunque eosdem Iudeos in seruitutem reciperent, in nullo eos permitterentri-tuum suorum ceremonias celebrare aut colere. Filii vero eorum à septimo ætatis anno nullam cum parentibus suis habitationem aut societatem habere permetterentur, sed fi-delissimis Christianis nutriendi traderentur, & filiæ eorum ac filii Christianis in mar-¹⁰ monium darentur, ne infidelium patrum suorum semitas quibuslibet occasionibus ite-rare possent. Ex eiusdem Concilii cap. octauo.
- 698 Egica tribus annis ante mortem iam senio grauis, filium suum ex Cixilone vxore Vi-tizam regni hæredem fecit & consortem, ac Tudæ in Gallecia, cui regno ipsum peculi-riter præfecit, sedem habere voluit. Vbi etiam Fafila dux Cantabriæ, filius Cindasunthi Regis agebat, in exilium ab Egica nouarum rerum metu relegatus. Eum Vitiza instigan-te vxore Fafilæ, cum qua Vitiza clam consueuerat, clava in capite ita percussit, ut ex eo vulnere paucis post diebus obierit prope Vrbicum fluuium, in oppido quod tunc Duo-decim manus, nunc Palatium dicitur. Fuit hic Fafila, pater Regis Pelagii, instauratoris Hispaniæ. Ex Luca Tudens. & Archiep. Toletano.
- 701 Egica Toleti propria morte decepsit, & honorifice sepultus est: quem Lucas Tudensis sapientis ac patientis elogio decorat, ac ter cum Francis dubia victoria pugnasse scribit, quod tamen apud alios non inueni. Mortuo patri successit Vitiza, Rex flagitosus, & omni scelerum ac libidinum genere inquinatissimus. qui quanquam principio regni cle-mentiam ac liberalitatem simulata pietate mentiretur, tamen mox ad proprium ingenium rediit. Primo anno regni concilium in Ecclesia S. Petri, in suburbio Toletano, super ad-ministracione regni cum episcopis & primatibus celebrauit. Theodofredum Cordubæ exulantem eritis oculis excæcauit, ne, quia gratiosus erat populo & Rege Reccesuntho natus, aliquando ad regnum aspiraret. Idem moliebatur & Pelagio, Fafilæ ducis filio, sed ille in Cantabriam profectus, fuga sibi salutem quæsiuit. Ex Luca Tudensi & Roderico Toletano.
- 702 Mortuo Felice præsule Toletano, successit Gundericus, vir eruditione, sanctitate & miraculis clarus. Ex iisdem & Isidoro Pacensi. Vitiza hactenus occulte malus & impu-dicus, deposito omni pudore, publice cœpit habenas laxare libidini, & vxores mul-

tas, plures concubinas domi habuit, ac proceres regni, exemplum suum vt sequerentur, horratus est, nec non & plebi idem impune licere voluit. Verum pontifices ac sacerdotes veritus, ne tam effreni proteruitati obuiam irent, & populum ab obsequio tam perdit Regis censuris ecclesiasticis deterrent, eos quoque eadem voluptatis illecebra sibi deuinciendo duxit. Edixit igitur sacerdotibus, vt quot quisque vellet aut posset, vxores vel concubinas domi alerent, neue constitutionibus Pontificiis contrarium iubentibus obtemperarent. Ex iisdem autoribus.

Defuncto Gunderico Archiepiscopo Toletano suffectus est Sinderetus, quo præfule 704
Toletum venit in potestatem Maurorum. Archiep. Toletan.

Vitiza per speciem pacis ciuitates omnes Hispaniæ, præter Toletum, Legionem, & A- 707
sturicam, muris nudauit, videlicet metum alicuius rebellionis conscientia sibi suggerente. Ex Luca Tudensi. Archiepiscopus Toletanus addit, eum omnem armorum usum susculisse, ne haberent quo ipsi resisterent, sed hoc Lucas Tudensis à Roderico Rege factū scribit, idque subdolo consilio Iuliani Comitis. quippe qui mentitus amicum, autor illi fuerit, vt quoniam tranquilla pace frueretur, neque ullus esset alicunde belli metus, iuberet arma omnia in Galliam Gothicam asportari & Africā, aduersus nec opinatos Francorum & Maurorum insultus. Eodem anno mortuo Abdemelic, imperat Mauris Vlit annis undecim. Hic Hispaniam Gothis ademptam imperio suo adiecit. Archiepiscopus Toletanus.

Vitiza ne pensi aliquid habere videretur, Sinderedum Archiepiscopum sede Toleta- 709
na quo iure quaque iniuria deturbat, & Oppam fratrem suum (aliqui filium arbitrantur) ingerit, & ne quicquam sibi ad extremam impietatem reliqui faceret, ecclesiarum priuilegia & prærogatiwas violat, Iudæos velut postliminio in Hispaniam reuocat, & eos maioriibus immunitatibus, quam quibus ecclesia gaudere solet, donat. Ex eodem.

Theodofredus dux, quem diximus à Vitiza oculis captum, Cordubæ, ubi tanquam in 710
exilio procul aula regia vivebat, vxorem duxit Recilonem, regio Gothorum sanguine natam. Ex ea filium sustulit Rodericum, cui Roderico nonnulli scriptores Costam fratrem addunt. Huic Roderico Vitiza eandem irrogare cætitatem, quam patri suo, meditabatur. Sed cautus ille ac prudens ad Romanos, opem contra tam crudelēm tyrannum imploraturas, confugit. Quorum auxilio propter Reccesiunthi aui gratiam benigne adiutus, prospere contra Vitizam pugnauit, & prælio captum ac regno deturbatum eodem suppicio merito affecit. quo ille Theodofredum præter omne ius & fas multauerat, sibi que regnum Gothorum suffragiis & Senatus Romani fauore vendicauit. Vitiza suo presus exemplo, regno & oculis orbatus, Cordubæ vitam miseram & ingloriam in exilio traxit. Ex eodem & aliis. Hanc de Vitiza vindictam nonnulli rerum Hispanicarum scriptores Costa Roderici fratri adscribunt, quem annos quinque regnasse affirmant: sed neq; hoctemporum ratio patitur, neque Isidorus Pacensis, Lucas Tudensis, Rodericus Toletanus, Rex Alfonsns decimus, præcipui Hispanæ historiæ scriptores, Costam in catalogo Regum Gothorum ponunt, imo ne nomen quidem Costæ monumētis suis proditum reliquerunt. Quos ego autores sequutus, illuum quoque missum feci.

Rodericus inauspicato sortitus Gothorum imperium, non dissimilis fuit Vitizæ, siue 711
morum crudelitatem spectes, siue libidinis intemperantiam. nam & filios Vitizæ Sisibertum & Ebam, non contentus regno spoliasse paterno, multis probris atque iniuriis affecit & exiles fecit, & Iuliani Comitis filiæ Cabæ, quæ in domo regia inter alias illustrium matronarum filias de more educabatur, dum pater regio nomine legationem in Africa obibat, vitium obtulit, in municipio quod vulgo dicitur Pancoruo. Quæ fuit prima mali labes Hispaniæ, & sequentium calamitatum seminarium.

Iulianus Comes ira stupratæ ab Rege filiæ siue (vt quidam volunt) vxoris percitus, 712
priuatam iniuriam publico malo vlcisci desiderans, in Africam ad Muzam illius prouinciam cæ praefectum se contulit, atque ei se totius Hispaniæ imperium traditurum promittit, si iustum exercitum & auxilia necessaria dare non recuset. Muza rem omnem ad Vlit Arabinum Imperatorem (Miramolinum ipsi vocant) defert. Qui fraudem veritus, non fidendum Iuliani pollicitis censem, fidem illius in paucis militibus explorandam, si promissis respondeat, tum demum ampliores illi copias credi posse. Igitur ex præcepto Vlit dantur Iuliano centum equites, quadringenti pedites. Quos ille per angustias freti Herculei traductos, gentilitio suo exercitui iunxit. Quibus copiis Beticæ ac Lusitanæ oram redire depopulatus, milites Africanos, præda & bellicis spoliis onustos, ad Muzam reduxit. Ex Roderico Toletano & aliis. Sindericus Toletanus præfulus tam periculoſo Reip. statu conterritus, relictis quibus in Italiam decessit, tanquam mercenarius,

An. Dom. non pastor. Qui aetate atq; auctoritate præstabant, Urbanum, virum sanctitate insigne, episcopum elegerunt. Nam Olpas quem Vitiza fratrem suum, expulso Sinderedo, per vim ac nefas in Toletanam sedem intrusera, iam regnante Roderico, nullo numero apud Toletanos erat. Ex eodem & Isidoro Pacensi. Hic Sinderedus Romæ interfuit & subscripsit concilio quod Gregorius tertius celebrauit, anno Leonis Augusti sexto. Ex posteriore Conciliorum tomo.

713 Muza iam expertus fidem Iuliani, duodecim millia militum illi dat duce Tarif Stra-bo, quos Iulianus clam mercatorum nauibus impositos, in montem Calpen traducit, qui mons & locus à Duce Sarracenorum nomen mutuatus ac dictus Gebel Tarif, hoc est mons Tarif, hodie corrupto vocabulo Gibraltar dicitur. Idem & Tarifæ vrbi à se capti nomen dedit, quam alii Carteiam, alii Mellariam prius dictam contendunt. Hic exercitus Hispalim muris nudatam & alias vrbes diripit, totam Baeticam & bonam Lusitaniz partem prædis ac rapinis infestam reddit. Quæ res vbi ad aures Roderici Regis peruenisset, Eneconem siue Inachum (quem alii Sanctum appellant) consobrinum suum cum exercitu per tumultum collecto Mauris obuiam misit. Sed Gothi armorum longa pace insolentes, facile ab hostibus bello exercitatissimis victi sunt. Ea victoria maiores Iuliano & Africanis spiritus subdidit. Ex Luca Tudensi & Roderico Toletano.

714 Rodericus vbi animaduertit hostium audaciam & numerum crescere (infinita enim Barbarorum multitudo, Hispanicarum opum cupiditate ac spe illecta, sese ex Africa in Hispaniam effuderat) & rem ad exitium regni vergere: conscripto exercitu & conuocata omni nobilitate regni, sed nondum congregatis omnibus, contra hosteis mouit, reperi-tisq; hostibus ad amnem qui Guadalete vulgo dicitur, rebusque omnibus ad confitum comparatis, prope Assidonam vrbe quam Xeritium appellari dicunt, die Dominico, pridie nonas Septembr. classicum cani iussit. Pugnatum est vttinq; per octo dies dubio fere Marte, quamuis Gothi & longa pace & duorum annorum fame fracti, multum de pristino robore amiserant. Adfuit iis præliis spectator, & suæ cuiusque virtutis testis Rex Rodericus, corona aurea, regali trabea, calceis gemmis auroque distinctis, curru eburneo insignis. Ita enim solenne erat Gothis, Reges aedeſſe conflictibus, ut milites tanquam pro capite regio defendendo fortius pugnarent. Sed octauo die qui erat Dominicus, Gothi iam longo labore labientibus, Rex Rodericus, ut semel aleam rerum experiretur, equo suo Orelia vectus, ac suos ad conseruandam ac tuendam gloriam tot annis patram cohortatus, magnam in Sarracenos stragem edidit. Sed in tanta hostium multitudine, dum semper integri fessi succedunt, Gothi impetum illorum diutius sustinere non potuerunt, præsertim filiis Vitizæ Regis, quibus cornua exercitus Rodericus commilitat, viatoriam hosti spe regni sibi facta prodentibus. Ita vertentes terga occidione cxi sunt, & imperium Hispaniæ quod per annos tam multos tenuerant, amiserunt. Ex Roderico & aliis. Antonius à Gueuara in epistola ad Alfonsum Burg. Episc. scribit, hoc prælium infaustum, die Dominico, tertio nonas Iulias commissum, sub auroram, ad fluuium Bedalac. In hoc prælio omnis Gothorum nobilitas cecidit, tota Hispania inditionem Sarracenorum venit, præter Astures & Cantabros, qui mortalium ultimi in Romanorum potestatem venerant, & nouissimi ab eis defecerant, & cuna Gothi Hispanis iura darent, nunquam imperata fecere, suis semper legibus vsi. Paulus Æmilius. De Roderico Rege quid actum sit ignoratur: alii in acie occisum affirmat, alii negant. Sunt qui equum ipsius & insignia regalia in volutabro quodam inuenta produnt, corpus vero nusquam apparuisse. Apud Viseum ciuitatem Portugalliarum monumentum extat, cum huiusmodi epitaphio:

HIC IACET RODERICVS, VLTIMVS REX GOTHORVM. MALEDICTVS FVROR IMPIVS IVLIANI, QVIA PERTINAX, ET INDIGNATIO, QVIA DVRA VESANVS FVRIA, ANIMOSVS FVRORE, OBLITVS FIDELITATIS, IMMEMOR RELIGIONIS, CONTEMPTOR DIVINITATIS, CRVDELIS IN SE, HOMICIDA IN DOMINV, HOSTIS IN DOMESTICOS, VASTATOR IN PATRIAM, REVS IN OMNES, MEMORIA EIVS IN OMNI ORE AMARESCET, ET NOMEN EIVS IN AETERNUM PVTRESCET.

Neque vero impius Iulianus tam nefarium scelus impune tulit. Siquidem Ferdinandus Nunius Pincianus, vir multifariæ lectionis, ex antiquis historiis memoria prodiit, vxorem Iuliani à Barbaris præditionem laudantibus, sed nō proditorem, lapidibus obru-

nam, filium è turri Septensi præcipitem actum, ipsum vero Iulianum omnibus possessio-
nibus exutum, miseram mortem obiisse in vinculis, in Aragonia, in arce quadam terri-
torii Oscensis: quanquam de Iuliano alii diuersum sentiant, ut suo loco dicemus. Dura-
uit regnum Gothorum à primo anno Athanarici Regis, secundum supputationem diui-
lidi, trecentos quadraginta quatuor annos. Mauri hoc rerū successu elati, quanquam
sedecim millia hominum eo bello amisissent, totam ferme Hispaniam partim vi, partim
deditio ac metu, partim promissis in potestatem redigunt, octo mensium spatio, vt ait
Antonius à Gueuara, vt alii, quatuordecim, secundum alios biennio. Quanquam nō de-
sunt qui annos quinque in ea re consumptos asseuerent, hac opinor ratione moti, quod
quinto demum post anno, Pelagius restaurandæ Hispaniæ natus, apud Astures declara-
tus sit Rex. Interea Mauri Hispaniam omnibus opibus misere despolarūt, inter alia men-
sam Smaragdinam sustulerunt immensæ magnitudinis atque inæstimabilis precii. Ea
præda illecebra vsque adeo efferauit Maurorum duces in mutuam perniciem, vt Mi-
chael Ritus autor sit, intra viginti annos, quindecim in Hispania Maurorum Reges fuisse.
In Alcobaciensi codice annotatum reperi, quod Sarraceni Gothos de regno suo expul-
erunt Æra septingentesima quadragesima nona, hoc est, anno Domini septingentesimo
vndecimo, & potiti sunt Hispania anno sequenti, hoc est, septingentesimo duodecimo,
postquam Gothis dominati essent Hispaniæ trecentos octoginta tres annos. Egressos au-
tem Gothos de terra sua Æra trecentesima quadragesima nona, anno scilicet Domini
trecentesimo vndecimo, venisse vero in Hispaniam Æra trecentesima sexagesima sexta,
nempe anno salutis humanæ trecentesimo vigesimo octauo, nimurum decimo octauo
anno, postquam egressi sunt patriam suam. Isidorus Pacensis hanc Hispaniæ calamitatem
Æra septingentesima quinquagesima, hoc est, anno Domini septingentesimo duodeci-
mo ponit, alii alio. nos vulgatiorem opinionem sequuti sumus. In alio codice peruetusto
manu scripto inueni hæc verba: In Æra quadringentesima cooperunt Gothis regnare, vi-
que in Æram septingentesimam quadragesimam septimam. Qui per trecētos quinqua-
ginta duos annos, & menses quatuor, & dies quinque Hispaniam obtinuerunt, donec in-
gressus fuit transmarinus dux Sarracenorum nomine Taric. Qui Roderico ultimo Rege
Gothorum, die quinta feria, hora sexta, Æra septingentesima quadragesima octaua inter-
festo, totam ferme Hispaniam armis cepit, & tunc Sarraceni in Asturiis annos quinque
regnauerunt. Hæc ibi. Atque ita Hispaniæ excidium cadit in annum Domini septingen-
tesimum decimum quartum, quo anno nos ponimus. Sed numerus Æræ ab Alcobaci-
scodice variat: quod eo fit, quia alii alio anno Gothos regnare cœpisse testantur.

Dominica Palmarum Toletum fraude Iudæorum proditū fuit Isinahelitis sive Mau-
ris, dum Christiani nihil minus suspicantes, extra urbem ad diuæ Leocadiæ de more va-
carent audiendo verbo diuino. Ex Fortalitio fidei. Eodem anno Muza Africæ præfectus,
auditis rebus quas Tarif in Hispania præclare ac feliciter gesserat, motus inuidia atque a-
varitiae stimulis agitatus, venit & ipse in Hispaniam cum magnis Barbarorum copiis, &
iunctus Tarif, ab eo prædam omnem quam habebat maximam, abstulit, deinde simul,
quamvis mutuo inuicem odio flagrantes, Cæsaraugustam & alias Hispaniæ ciuitates ac
municipia expugnat.

Dum Hispania tam miseris laceratur modis, pientissimus Deus non oblitus misericor-
dix sūx, Pelagio Fafile Cantabriæ Ducis, vt diximus, filio, misit in mentem, vt è Canta-
briæ bilatebat, in Asturias veniret, atque animum ad opem patriæ ferendam adiiceret.
Erat ei forte soror facie venusta ac liberali, cuius amore perditus Numatius sive Munuza
(nam vtroque modo appellatur) Christianus quidem ille, sed Sarracenis foederatus, & ab
illis Gigionensi territorio præfectus, quum nullam inueniret aliam rationem potiundæ
illius, Pelagium per speciem legationis ad Muzam ablegavit, atque interim sororem eius
interposita matrimonii fide violauit. Quam iniuriam Pelagius reuersus, vt par erat, indi-
gneferens, tamen pro tempore dissimulauit, atque accepta sorore in interiora Asturia-
rum se contulit, in omnem vindicandæ iniuriæ occasionem intentus. Munuza vicissim
ablatam sibi vxorem, seque contemptum dolens, Pelagium apud Sarracenorum præfe-
ctos detulit, tanquam qui nouis rebus studeret. Illi vero istiusmodi conatibus tempestiue
obuiam eundum rati, confessim Munuzæ magnas copias ad opprimendum Pelagium
mittunt. Cumque parum abesset, quin illum nec opinantem opprimerent, Pelagius cer-
tior factus, transito Ponia fluuio, in vallem Canicen peruenit, ubi multos Christianos
meru hostium latitantes inuenit, quos facta spe auxiliī diuini, ad audendum aliquid pro
salute patriæ adhortatus, alacres admodum ad quoduis pro vindicanda patria & religio-
ne Christiana subeundum periculum reddidit, adeoque sibi obnoxios fecit, vt omnes

An. Dom. cum communi suffragio ducem elegerint, Regemque salutauerint. ad quem quotidie plures, tanquam ad asylum quoddam diuinitus datum confugiebant. Exercitus Arabum infecta re voti irritus, Cordubam est reuersus. Regnauit Pelagius annis 19. Sicut in A. sturiarum montibus Pelagium, sic quæ ex Cæsaraugusta & aliis Aragoniæ ac Nauarræ oppidis in monteis Pyrenæos se receperant Christianorum reliquæ, Garsiam Ximeniū, inclito Gothorum sanguine natum, regem consalutarunt. Hic multis rebus aduersus Sarracenos præclare gestis, cum sexcentis equitibus (non enim maiorem habebat exercitum) ditionis suæ pomœria non mediocriter ampliauit. Regnauit annis quadraginta duobus, sepultus ad Diui Ioannis à Pegna. ita enim ecclesia illa à rupe vasta cognominatur, quam à Ioanne Anachoreta viro sancto extructam, & à duobus fratribus Cæsaraugustanis religiose habitatam, rex hic Garsias Ximenius ædificiis & censu nobilitauit, celebre postea multorum regum monumentum.

717. Interim multi Christiani dulcedine patriæ pellesti, in variis Hispaniæ ciuitatibus manere, qui tributarii & vestigales permitti sunt in instituto & lege Christiana viuere, atque omnibus vti ritibus ecclesiasticis. Inter quos præcipue florueri viri sanctitate, eruditio-
ne, atque etiam miraculis clari, Vrbanus Toletanus, qui reliquias omneis Toletanæ ec-
clesiæ in Asturias transtulit, Frodoarius Accitanus episcopus, Euantius Archidiaconus
Toletanus, quorum doctrina & exemplis Christiani in tuenda fide Catholica, & feren-
dis patienter aduersitatibus, non mediocriter confirmati sunt. Clariuit hoc tempore, pre-
ter alios episcopos viros religiosos, Hispali Joannes episcopus, sanctitate vitæ, sacratum li-
terarum peritia, miraculis celebratus, qui ad doctrinam posterorum, sacram scripturam
in linguam Arabicam transtulit. Hi omnes quandiu vixerunt, Pontificalibus officiis fun-
cti sunt, & Christianis verbum salutis annunciare non cessauerunt. Durauit vero hæc li-
bertas Christianis vsque ad Almohadum in Hispaniam aduentum, qui nullos omnino
Christianos inter suos viuere passi sunt, sed quotquot capere poterant, aut fidem Christi
abnegare coegerunt, aut crudeli martyrio peremerunt. Erant & Almohades Arabum ge-
nus, qui in Hispania Barbaris imperare cœperunt tempore Alfonsi septimi, de quibus suo
loco dicemus. Christiani vero qui inter Arabes, quo-diximus modo, viuebāt, Mozarabes
dicebantur, hoc est misti Arabibus. Vnde & officium ecclesiasticum quo illi à S. Leandri & S. Isidoro instituto tunc vtebantur, & omnis Hispania vfa est vsque ad tempora Al-
fonsi sexti, quo tempore autoritate Gregorii Papæ septimi mutatum est, etiam hodie Mo-
zarabe nuncupatur. Hoc officium hodie quoque seruatur Toleti in sex parochiis, & in
ecclesia cathedrali, in sacello F. Francisci Ximenii Cardinalis, & Archiepiscopi Tolera-
ni, Salmanticæ quoque statim diebus in sacello Doctoris Talabrigensis, quod est in peri-
stylio templi summi.

Cuius officii modum & ordinem non abs refuturum arbitror, si summatis perstrin-
gam. paucis enim cognitum existimo, quum alioqui multum habeat pietatis. Eisdem ce-
lebratur vestibis sacris, quibus hodie vulgo vtuntur sacerdotes, & ad singulas vestes sin-
gulis vtuntur precationibus. Deinde sacerdos facta exhomologesi ad altare, capite de-
misso, dicit ad hunc modum: Per gloriam nominis tui Christe fili Dei viui, & per inter-
cessionem sanctæ Mariæ virginis, & beati Iacobi, & omnium sanctorum tuorum, auxilia-
re & miserere indignis seruis tuis, & esto in medio nostri Deus noster, qui viuis & regnas
in sæcula sæculorum. Respondetur, Amen. Mox convertit se ad libram in dextro altaris
cornu positum, ac dicit antiphonam in modum introitus, cum duobus versibus, & Glo-
ria & honor Patri & Filio & Spiritui Sancto in sæcula sæculorum, Amen. Sicut etiam in
concilio Toletano quarto cautum est, vt ad eum modum dicatur. Ad quemlibet versum
repetunt partem antiphonæ, more responsiorum nostrorum, vt vulgato more loquar.
Gloria in excelsis, dicitur integre more Romano. Sacerdos cantando dicit, Per omnia
semper sæcula sæculorum. Neque ante orationem dicitur, Oremus, neque in fine, Per
Dominum, sed tantum respondetur, Amen. Deinde dicit sacerdos, Per misericordiam so-
tuam Deus noster, qui es benedictus, & viuis & regnas in sæcula sæculorum. Responde-
tur, Amen. Postea Dominus sit semper vobiscum. Respondetur, Et cum spiritu tuo. Le-
ctio libri Esaiæ Prophetæ. Respondetur, Deo gratias. mox legitur prophetia. Qualecta-
rursum sacerdos, Dominus sit semper vobiscum. Respondetur, Et cum spiritu tuo. Inde
dicitur tractus duorum vel trium versuum. Quo finito sacerdos inquit: Silentium facie.
Sequentia epistolæ Pauli Apostoli, &c. Respondetur, Deo gratias. Mox canitur siue reci-
tatur epistola. Post quam libro in alterum altaris cornu translato, continuo dicitur Eu-
gelium ad hunc modum: Dominus sit semper vobiscum. Respondetur, Et cum spiritu tuo.
Lectio sancti Euangelii, &c. Respondetur, Gloria tibi Domine. Finito Euangeliō
respon-

respondet Amen. mox sacerdos Dominus sit semper vobiscum. Respondetur Et cum spiritu tuo. Postea dicitur Alleluia cum versu, sicut nunc ante Euangelium. quod dum cantatur, sacerdos offert hostiam cum calice, vtens orationibus aliquot deuotis, quas hic referre longum esset: mox thura adolet, non secus atque hodie fit. Quibus peractis, sacerdos ante medium altaris dicit alta voce, Adiuuate me fratres in orationibus vestris, & orate pro me ad Deum. Respondet chorus, Adiuuet te Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Deinde cantatur sacrificium, nempe antiphona cum duobus vel tribus versibus. quod dum fit, sacerdos lauat manus dicens, Lauabo inter, &c. ac benedit oblationem tribus digitis: postea inclinatus ante altare, summissa voce dicit, Accedat ad te in humilitate spiritus, &c. nam oratio longiuscula est, sed valde deuota, quam claudit elatiore voce dicēs, Per te Deus meus, qui viuis & regnas in sæcula sæculorum, Amen. Incipit nunc missa. Sacerdos: Dominus sit semper vobiscum. Respondetur, Et cum, &c. Oratio de tempore vel sancto, sine Oremus: in cuius fine respondetur, Amen. Deinde sacerdos: Per misericordiam tuam Deus noster, qui es benedictus & viuis, & omnia regis in secula seculorum. Respondetur, Amen. Si est festum alicuius sancti, prius legitur aliquid de vita sancti, deinde fit oratio faciens mentionem etiam de miraculis vel doctrina sancti. Mox sacerdos eleuat manibus dicit, Oremus. Respondet chorus: Hagios, Hagios, Hagios, Domine Deus Rex æternæ gloriae, tibi laus & gratia. Deinde fiunt orationes pro ecclesia catholica, pro captiuis, infirmis, & tribulatis, cum commemoratione Apostolorum, Martyrum, quorum multa nomina recitantur, & Pausantium. quo nomine illic intelligi puto sanctos Dei confessores, qui in Domino & sancta pace quiescunt, nam multa nomina recitantur, & inter ea Ambrosii, Augustini, Fulgentii, Leandri, Isidori, &c. & omnium pausantium. Deinde dicit sacerdos aliam orationem festo ac diei congruam, qua finita respondetur, Amen. Sacerdos: Quia tu es vita viuorum, sanitas infirmorum, ac requies omnium fidelium defunctorum in sæcula sæculorum. Chorus: Amen. Mox fit oratio ad pacem, qua finita dicit sacerdos, quia tu es vera pax nostra, &c. mox sublatis in cœlum manus dicit: Gratia Dei patris omnipotentis, & dilectio Domini nostri Iesu Christi, & communicatio Spiritus Sancti, sit semper cum omnibus nobis. Respondet Chorus, Et cum hominibus bonæ voluntatis. Rursus presbyter: Quomodo astatis, pacem facite. tunc Chorus cantat responsum, Pacem meam do vobis, &c. Interea sacerdos accipit panem de patina, dicens: Habete osculum dilectionis & pacis, ut apti sitis sacrosanctis mysteriis Dei. mox dat panem diacono vel pueru, puer populo. Sacerdos iunctis manibus inclinatus dicit, introibo ad altare Dei. Respon. Ad Deum, &c. Postea manus super calicem positis, inquit, Aures ad Dominum. Respon. Habemus ad Dominum. Sacerdos: Sursum corda. Respon. Leuemus ad Dominum. Sacerdos inclinatus iunctis manibus, Deo ac Domino nostro Iesu Christo Filio Dei, qui est in cœlis, dignas laudes, dignasque gratias referamus, & dicens hæc postrema verba, attollit manus in altum. Respondet Chorus: Dignum & iustum est. Sacerdos: Dignum & iustum est, &c. sequitur enim longa & deuota illatio, post quam dicitur, Sanctus, fere more nunc vñitato. Deinde post duas orationes breues, fit consecratio iisdem omnino verbis, quibus hodie vñit ecclesia: mox leuatur sacrosancta Eucharistia. Postea dictis duabus orationibus succinctis, sacerdos accipit corpus Domini de patina, & ponit super calicem apertum, ut hodie quoque fit, ac dicit alta voce, Dominus sit semper vobiscum. Respon. Et cum spiritu tuo. Sacerdos: Fidem, quam corde credimus, ore autem dicamus: & eleuat secundo corpus Christi, ut videatur à populo. Mox cantatur symbolum fidei, ita ut est in concilio Niceno. Quod dum fit, Sacerdos frangit Eucharistiam per medium, & ponit diuidiatam partem in patina, & ex altera parte facit quinque particulas, ex altera vero quatuor, deinde ponit omnes simul in patina in modum crucis, habetque suum quæque particula nomen. Quinque priores dicuntur Corporatio, Natiuitas, Circuncisio, Apparitionis, Passio: quatuor reliquæ, Mors, Resurrectio, Gloria, Regnum. Postea digitis super calicem accurate purgatis, & cooperto calice, facit Memento pro viuis, ut ipsorum more loquar. Mox dicitur oratio Dominica ad hunc modum: Verbum patris quod caro factū est, ut habitares in nobis, præsta nobis, ut qui te venisse iam credimus, ab omni peccatorum crux contage, cum preceptionis tuae oraculis proclamauerimus in terris: Pater noster, qui es in cœlis. Respondetur, Amen. & eodem modo respondetur ad singulas petitiones, præterquam ad illam. Panem nostrum, &c. ad quam respondetur, Quia tu es Deus. Deinde dicit orationē deuotissimam, quæ incipit, Liberati à malis, &c. & tundendo peccatus dicit, Pone Domine finem peccatis. Qua finita, acceptam particulam, quæ dicitur Regnum, præmissa oratione ponit super calicem: mox addita alia immittit in il-

An. Dom.

lum. Post hæc dicit: Humiliate vos benedictioni, & certis quibusdam formulis benedit populo. Mox fit secundum Memento, vt sic loquar, pro defunctis. Quo peracto, recipit corpus & sanguinem Domini cum quibusdam deuotis precationibus, arque interim cantatur à choro, Gustate & videte, quam suavis est Dominus, &c. Absoluta communione cætatur antiphona, Refecti Christi corpore, &c. & libro in sinistrum cornu altaris translato, dicit sacerdos orationem, in cuius fine respondeatur, Amen. Deinde sacerdos, Per misericordiam tuam Deus noster, qui es benedictus, & viuis, & omnia regis in sæcula sæculorum. Respondeatur, Amen. Dominus sit semper vobiscum. Respondeatur. Et cum spiritu. Postea presbyter vel diaconus: Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Iesu Christi, votum nostrum sit acceptum cum pace. Respondeatur, Deo gratias. Quam diu sacris operatur sacerdos, nunquam se conuertit ad populum. Atque hic erat modus celebrandi apud Hispanos tempore Gothorum, quo etiam postea usi sunt, usque ad tempora Alfonsi sexti, sicut diximus. Quomodo vero sublatus sit, suo loco dicemus. F. Ioannes Laziardus Cœlestinus in epitome vniuersalis historiæ mentionem facit huius sacrificandi ritus, sed paucis, vbi illud addit, quod quando leuat Eucharistia, diaconus cantat alta voce, Videte, in quem creditis. Sed hoc in Hispania non seruatur.

717. Eodem anno, nempe 717. Muza & Tarif Barbarorum duces vocati sunt ab Vlit Miramolino ad reddendam rationem rerum gestarum. Qui dum se itineri accingerent, Muza filium suum Abdulaziz Hispaniæ præfecit. Qui cum sedem Hispali fixisset, Egilensem Roderici Gothorum Regis vxorem duxisse fertur, de qua re paulo post dicemus. Tarif certior factus, quod Pelagius collectis ad se Christianorum reliquiis, Rex ab eis salutatus esset, agere ferens rem iudicio suo tam indignam, Alchaman virum rei bellicæ pertitum, contra eum cum magnis copiis misit, cui addidit Oppam Hispalensem quondam Archiepiscopum, si forte vel verborum lenocinio, vel promissis, vel etiam minis ipsum ab instituto posset auertere. De quorum aduentu, quum nunciatum Pelagio esset, cum suis omnibus in Auseuam moitem progressus, mille secum selectiores in specum quandam prægrandem duxit, reliquos qui bello videbantur minus idonei, iussit in præcipitiis mortis euentum rei expectare. Mox Oppas (Olpam alii appellant) ad Pelagium missus, dolere se ex animo vicem illius dicebat, qui tam exiguis atque imbellibus fretus copiis, resistere se posse tanto exercitui vanam spe crederet. Gothorum potentiam & bellicam gloriam Arabum virtute fractam, atque ad nihilum redactam: quid se futurum speraret, cuius nullæ essent vires. Proinde ne se ac miseram gentem in vnius horæ discrimen daret, sed rebus suis consuleret, dum aliqua misericordiæ spes in viatoris clementia esset. Quod ni mature faciat, eam subeundam fore fortunam, quam hostis iratus dederit. Ad quæ Pelagius animo intrepidus fere in hunc respondit modum: Satis illum iam verborum Christiano nomini dedisse, desineret tandem falsis persuasionibus miserorum animos ludificari, atque à tuenda religione Christiana auertere. Se non suis copiis confisum, quas sciebat quam haberet exiguae, tam numero hostium agmini resistere ausum esse, sed diuini spe auxiliis fretum, contra cuius numen nulla quicquam valeat humana potentia: hac spe fulsum, non illius technas, non hostium minas, non Barbarorum tela timere, sed quicunque futurus sit rei exitus, forti animo ad ferendam omnem pro Christi fide afferenda fortunam paratum esse, neque dubitare se, quin tandem futuru sit, ut clementissimus Deus suorum misereatur. Postquam animaduertit Oppas constantiam Pelagii, regressus ad Barbarorum duces, ait verba nihil prodesse, nullam nisi in armis spem esse. Continuo cœperunt Barbari specum, in qua cum suis latitabat Pelagius diuinam opem ex intimis animi pentalibus implorans, omni tormentorum ac telorum genere oppugnare: sed Dei singulari beneficio factum est, ut tela retro in suorum perniciem verterentur, sine ullo Christianorum incommmodo. Dicuntur propriis telis circiter viginti Barbarorum millia perire. Quæ res tam ingenteis spiritus Christianis subdidit, ut specu egressi, magnam in reliquos stragem ediderint, Alchaman ducem hostium occiderint, Oppam cuperint, de quo quid actum sit, memoriarum proditum non reperitur. Quicunque Barbarorum hanc stragem effugere potuerunt, in abrupta montium fugientes, partim Christianorum armis perierunt, partim montis ruina oppressi sunt. Hanc tam insignem victoriam diuino munere consequuti sunt Christiani anno Domini septingentesimo decimo octauo.

718. Eodem anno Tarif & Muza ad Vlit Miramolinum profecti sunt: sed anteuerentes Tarif, ita Muzam apud Miramolinum detulit, ut non solum non fuerit benigne susceptus, sed etiam gradi pecunia multatus. Ex qua re paulo post dolore cōtabuit. Hāc horum dum vocationem Rases dicit fuisse quarto anno post cladem Hispaniæ: Isidorus Pacenū deci-

decimo quinto mense. Paucis post diebus mortuo Vlit, Zuleima frater ipsius Arabum successit imperio, regnauitque annis tribus. Alahor siue Alhor (hunc Zuleima in locum Muzæ præfecerat, quamvis alii Vlit adhuc superstite missum dicant) ubi audiuit stragem suorum Pelagii auspiciis factam, suspicatus insidias à Iuliano & filiis Vitizæ, bonis omnibus illos & vita multauit. Quod quidam Muzæ quoque adscribunt.

Abdulaziz, qui, ut diximus, ducta Roderici Regis vxore, Hispali sedem regni fixerat, 719. cum vxoris suasu contra Maurorum consuetudinem, titulum ac diadema regium usurparet, coniuratione suorum, dum orationi vacaret, tertio regni sui anno obtruncatur. Existimabant enim illum ad Christianorum sectam desciuisse. Post quem regnauit Aiub menses quinque, dies viginti, qui sedem regni Cordubam transtulit, ut ait Rases. Post Aiub regnat in Hispania Alahor Abderamenis filius, annos duos, menses nouem. Hic Arabes qui in prima Hispaniæ expugnatione fuerant, crudeliter habuisse dicitur, ut thesauros quibus eos potitos existimabat, extorqueret. Rases Alahor post Abdulaziz, quem ipse vocat Abelaaziz, & Aiub ponit, sed meo iudicio illi in numerum præfectorum siue Regum Hispaniæ non recte veniunt, quippe qui legitimo imperio functi non sunt. Quin & hos alii aliis annis ponunt: ego eum numerum sequor, qui mihi visus est vero propior. Eodem anno, nempe Æra septingentesima quinquagesima septima (ut ait Isidorus Pacensis) eclipsis solis fuit per totam Hispaniam, ab hora secundum alios sexta, secundum alios septima, usque ad horam nonam tantum, ut stellæ tanquam de nocte lucearent. Zuleima Homar & Igitur filios fratris sui, successores imperii Arabici designat.

Mortuo Zuleima, Homar & Igitur imperium Arabum assument, sed mox Homar rebus humanis sublato, solus Igitur regnat annis quatuor. Hic misit Adham filium Melic in Hispaniam, qui aliis dicitur Abrahem. is Hispaniam rex annis duobus cum dimidio, quem Rodericus Toletanus nunc Adham, nunc Azam appellat, atque eius iussu pontem Cordubensem constructum ait. Addit Rases hunc à Mauris quintam partem bonorum omnium petiisse, per speciem dandi pauperibus, sed re vera, ut eos ita oppimeret, ne in illum possent aliquando resurgere. Toletanus ait illum oppidis & castellis in Hispania per vim capti quintam partem, deditiis vero decimam fortunarum omnium tributi nomine imposuisse. Mortuus est Dertosæ, ut inquit Rases, dum à vastatione Turiassonensis ciuitatis rediret, ut inquit Toletanus. Eodem tempore Arabes Pyrenæos montes transgressi, Galliam Gothicam misere vexant, & capta Narbone, Tolosam obsident, duce Zamam, ut inquit Toletanus, cui à Gallis occiso Abderamenem sufficiunt, donec alias à Miramolino dux mitteretur. Chronica Regis Alfonsi hunc Zamam eundem faciunt cum Azam siue Adham. Denique tanta est nominum confusio, ut non facile explorati aliquid scribi possit. Quam ex eo natam arbitror, quod per varios Hispania regeretur, quibus tam omnibus unus prætereat, qui Cordubæ Rex dicebatur, quantum ex veterum monumentis coniicere datur.

Pelagius Rex, confluentibus vndiquaque ad ipsum nuncio recentis victoriæ Christi-anis, fortior factus, Legionem ciuitatem Mauris eripit, & fortiter contra Sarracenos au-dendo, quasi signum aliquod ad bene de Rep. Christiana sperandum attollit. Idem di-missis Gothorum Regum insignibus, insignia cepit leonem rubrum in campo candido, quibus hodie quoque Reges Legionenses vtuntur.

Mortuo Isid Miramolino succedit Ihsan frater ipsius, qui regnauit annis 21. Hic in O-725. riente perduces & legatos suos multa præclara gessit, in Occidente vero nihil memoratu-dignum, adeo deditus accumulanda pecunia, ut omnes præcessores suos opulentia vi-cerit.

Anno Arabum 107. Ihahea præficitur Hispaniæ, ut inquit Isidorus Pacensis. Huius 727. mentio fit in Chronicis Regis Alfonsi, ubi dicitur hic regnasse in Hispania annis duobus cum dimidio.

Eudo Dux Aquitaniæ victus fugatusque à Carolo Martello Rege Francorum, Sarra-729. cenos ex Hispania contra illum in auxilium suum euocat. Qui numero ad quadringenta hominum millia, cum vxoribus, liberis, ac seruis, duce Abderamene (Abdiramam Galli scriptores appellant) tanquam in certas sedes ex Hispania in Vasconiam venere, quacunque iter facerent, tum sacra, tum prophana nullo discrimine hostiliter depopulantes. Ex annalibus Francorum & Iacobo Meyerio.

Carolus Martellus adiuuante Eudone, qui Barbarorum aduentu pressus, facile ad pa-730. cem inclinauerat, ante urbem Turonensem grauissimo prælio cum Sarracenis conflixit, & incredibilem in eos stragem edidit. Nam cecidere ad trecenta septuaginta quinque Barbarorum millia, in quibus Abderamen cum omni prope nobilitate sua: ex Christia-

- An. Dom.* nisi tantum mille quingenti desiderati, sicut ex ipsius Caroli Martelli literis, ad Stephanum secundum Romanum Pontificem, constare affirmat Iacobus Meyerus.
732. Mortuo Ihaea, mittitur in Hispaniam Adaifa Alcazazin, vir leuis ingenii, & obid paucis post diebus regno pulius, cui subrogatus est Hiemen, qui & ipse quinto regni mense defunctus, successorem reliquit Autuman. Quin & huic ipsi post quatuor mense defuncto, successit in regnum Cordubæ atque administrationem totius Hispaniæ Alharam, qui ob crudelitatem suis inuisus, decimo post mense, iussu Iscanis Miramolini, regno pariter & vita priuatus est.
733. Eudo Aquitaniæ dux fato concessit, Hunoldus & Vaifarus filii ut Aquitaniam recipiant, Sarracenos in auxilium accersunt, qui incendiis ac direptionibus usque ad Burgundiam pene omnia vastarunt. Quibus Carolus Martellus cum copiis occurrit, & cedere coagit. Ex Annalibus Francorum. ubi nescio quæ autoritate legitur, Vesogothos & Arianos in auxilium vocatos, cum Ariana hærefis in Hispania fere centum quinquaginta annis ante fuerit extincta, & etiam Gothorum siue Vesogothorum nomen iam tum datum extiterit, & quæ supererant illorum reliquæ, tuendis suis finibus tantum haberent negocii, ut alienos infestare non liberet. Proinde non Vesogothos illic, neque Arianos, sed Sarracenos legendum iudico.
734. Pelagius multis rebus aduersus Barbaros præclare gestis, multisque receptis oppidis moritur, sepultus apud Canicas. Non ignoro alios mortem ipsius ponere 732. sed & ego antiquos autores habeo, & certis de causis huic annorum numerum sequor. Succedit illi Fafila filius, qui regnauit annos duos, menses sex. Eodem anno Sartaceni maioribus quam antea copiis ex Hispaniis Gallias repetunt, & Auenionem proditione occupant, atque etiam Narbonem. Ex Annalibus Francorum.
735. Carolus Martellus multorum validis adiutus auxiliis, obuiam Sarracenis profectus, Auenionem expugnat, Athinus Barbarorum rex Narbone fugit, Amoreus & ipsi rex Sarracenorum Narbonensisibus obfessis opem dum ferret, cum toto suo exercitu ad internectionem casus prope Illiberim. Athinus rex relicta Narbone fugit, Martellus reliquias belli persequitur non sine multarum urbium incendijs. Ex Annalibus Francorum & Iacobo Meyerio. Rodericus Toletanus aliter haec refert, sed ab ludere mihi multum à veritate videtur historiæ.
736. Fafila dum inconsultius venationi operam daret, ab urso laniatus est. Succedit illi Alfonsus cognomento Catholicus, filius Petri Ducis Cantabriæ, ex genere Ricaredi Catholici Gothorum regis, gener regis Pelagii. Nam filiam eius Ormisendam uxorem dedit, ex qua filios tres sustulit, Froilam & Vimaranum & Aurelium, ac filiam unam nomine Odisindam, præter quos habuit & Mauregatum ex concubina. regnauit annis novem, decim, mense uno, die uno. Hic religionis Christianæ non solum obseruator studiorum mus extitit, sed etiam amplificator felicissimus. Nam Lucensem ciuitatem, Tudem, Asturicam, bonam Castellæ partem, Abulam usq; Christianis restituit, in Portugallia quoque Bracaram anno regni sui secundo, atque in multis ciuitatibus episcopos instituit, ecclesiastis ornamentiis necessariis, ut in tali tempore, magnifice ornauit, sacros libros summo studio perquisitos in locis sacris reposuit, deniq; taleni se præstítit, ut tam Deo quam hominibus fuerit amabilis.
741. Frodoarius, Urbanus, Euantius, & alii viri sancti, de quibus superius sumus loqui, hoc anno, nempe Æra septingentesima septuagesima nona, in sancta pace quieuerunt, atque Isidorus Pacensis.
744. Circa hunc annum, hoc est, Æra septingentesima octogesima secunda, doctrina & sanctitate floruit Cixlia, ab incunabulis educatus in obsequio Dei, præfus Toletanus, qui nouem annis episcopatu inter Christianos qui misti Arabibus Toleti viuebant, funditus est. Ex eodem.
747. Hoc anno, vel secundum alios, præcedenti, Nonis Aprilis, die Dominico, Cordubæ hora prima, secunda & tertia, cunctis videntibus, tres soles in cœlo miro modo lucentes, & quasi pallentes, falce ignea vel smaragdinea præcedente visi sunt. Ex eodem. Toletanus addit intolerabilem famem secutam esse. Eodem fere tempore Petrus Toletanus, episopus, cognomento Pulcher, claruit, & ad Christianos Hispaniæ habitanteis de passcha erranter celebrato libellum elegantem conscripsit.
748. Huius tempore regis Iscan Miramolinus moritur, suscipit imperium Vlid, contra quæ Hispania rebellione insurrexit. Ad quos motus sedandos Abubacar in Hispaniam cum imperio missus, paucis post diebus occisus est. Huic successerat Abdemic. Abdemic vero regnauit anno uno & successit Oca, siue Ochæ, qui illum regno expulerat, atque interim

terim regnauerat annis quinque. Nam ante Ocham Abdemelic annis quatuor, ante Ab- A.D. Dom.
demelic Abderamen tribus fere annis, ante illum Mahometes duobus mensibus, ante
hunc Manes exiguò tempore, ante Manem Alhatam, de quo superius diximus. Hæc fere
ex Roderico Toletano. Nam Rases multum diuersa prodidit, Vlid imperauit annis duo-
bus. In Hispania occiso Abubacar regnat Redoam. hunc Toban appellat Toletanus, nisi
mendosus est liber. Regnauit hic admodum exiguò tempore.

Mortuo Vlid, imperium adepti sunt Arabum Abraham frater Vlid & Maroan : sed 750.
Maroan anno secundo occidit Abraham, & solus regnauit annis sex. Ex qua cæde ma-
gnæ seditiones inter Arabes exortæ sunt.

Thoaba regno præficitur Hispaniæ, vir bellicosus ac nobilis, sed post annum vnum 752.
regno pariter & vita cessit.

Iuzef siue Iuzaf regnaturus mititur in Hispaniam, qui fuit admodum iniquus Chri- 753.
stianis. Huius tempore dicit Rodericus Toletanus visos Cordubæ tres illos soles, de qui-
bus diximus. Addit Rases toto biennio non pluisse in Hispania, atqæ inde totam Hispa-
niæ maxima rei frumentariæ & aliarum rerum inopia laborasse. Videntur hic regnaisse
nouem annos. Iuzaf siue Iuzef Arabibus dicitur, quem nos Iosephum appellamus.

Hoc anno secundum antiquissimos quosdam commētarios quos sequutus sum, mor- 756.
tuus est Alfonsus Catholicus, in cuius transitu psallentium voces auditæ dicuntur in ae-
re. Ecce quomodo tollitur iustus, & nemo considerat, ablatus est à facie iniquitatis, & c.
rit in pace memoria eius. Sepultus est cum vxore Ormisenda in ecclesia diuæ virginis, in
territorio Canicensi. Patri defuncto successit filius Froila, & regnauit annos vndecim,
mensis quinque, dies viginti, sicut in Alcobaciensi codice, & alio Chronico perantiquo,
atque etiam historia Compostellana reperi. à qua opinione nō multum discrepat Chro-
nica Regis Alfonsi, quæ duodecim illi tribuunt. Toletanus & qui illum sequuntur, trede-
cim annos regnaisse affirmant. Hic quanquam alioqui malus & crudelis, tamen diuino
fauore vsus est, quia licentiam coniugalem quia sacerdotes Hispaniæ à tempore Vitizæ
fuerant vñi penitus sustulit, eosque cætitatem & continentiam quam sacri canones pre-
scribunt, seruare coegit.

Froila cum duce Cordubensem Omar, vel (vt alii volunt) Iuzef, qui Gallicæ fines in- 757.
festabat, collatis signis, insigni victoria potitus, cæcidit hostium quinquaginta quatuor
millia, ducem cum paucis qui cædi supererant, in turpem fugam conuerit. Ingens gloria
nisi tantum decus obscurasset scelus admissum in fratrem Vimaranum, quem, quod o-
mnibus ob formam & egregiam indolem charus esset, veritus ne fauore populari fretus
ad regnum aspiraret, impia morte peremit, cuius tamen sceleris pœnitētia ductus, filium
eius Veremundum in regni successionem adoptauit. Hic Ovetensem ciuitatem condi-
disse & cathedrali sede fertur ornasse. Huius tempore Regis venit in Hispaniam Abdera-
men, eamque occupauit, primum fugato, deinde occiso Iuzef, seq; Miramolinum Hispa-
niæ & Regem Cordubæ appellari iussit, regnauit annis 33. Atque hoc primum tempore
Hispania Miramolino Babyloniæ subiecta & vectigalis esse desit. Hoc factum, secundum
Toletanum, anno Arabum centesimo quadragesimo secundo, qui cadit in annum Do-
minis septingentesimum sexagesimum. At secundum Rasen, anno illorum centesimo tri-
gesimo octavo, hoc est, quatuor annis prius. Addit Rases hunc fuisse Moabiæ ex agricola
Regis filium. Idem ait, quum Abderamen exercitum moueret ad expugnandam Valen-
tiæ, Christianos metu illius perterritos, corpus diu Vincentii quem tanquā Deum ad-
orabant, & miraculorum fama celebrabant (loquitur enim vt Sarracenus) secum fugien-
tes asportasse. quos homines Allibohaces eques Fecensis postea venatum profectus, ad
oram maris in Algarbio, in fine montis qui mare illud ingreditur, reperit & homines qui-
dem occidit, pueros captiuos abduxit, corpus vero Sancti illic reliquit. Locus ille priscis
dictus est Promontorium sacrum, forte præfigio rei futuræ Nunc appellatur promonto-
rium diu Vincentii. Hæc omnia Andreas Resendius in scholiis in Vincentium suū mar-
tyrem & leuitam copiosius ad verbum ex ipso quoq; Rase expressa prosecutus est, ex quo,
& ipso quoque Rase, cuius ille mihi copiam pro sua humanitate fecit, ego paucula hæc
delibau. Quæ hoc loco in Chronicis vulgaribus leguntur de Caroli Magni cum patre
Pipino discordia, & aduentu in Hispaniam ad Galafrium Regem Toletanum, deq; Gali-
ana Galafrii Regis filia ab eo mutuo amata, atq; in Galliam abducta, & postquam esset sa-
lutaris aqua lauacrum tincta, in coniugem accepta, quia apud alios autores non intenio, cō-
sulto missa facio. Toletanus quidem leuiter huius rei meminit, sed nihil affimat. Sebasti-
anus tamen Munsterus in Cosmographiæ sua lib. 3. Galianam Carolomano Caroli Ma-
gni fratri primam uxorem tribuit.

- An. Dom.* Mortuus est Garsias Ximenius, primus, vt diximus, Suprarborum in Nauarra rex, cui
 758. successit Garsias Ennicus, & regnauit annos 44. Hic Pompelonem primariam Nauarræ
 ciuitatem, & multas circumquaque arces ac municipia, à dira Barbarorum tyrannide
 liberauit, atque Christi Opt. Max. cultum reduxit. Sepultus & hic ad diui Ioannis, apud
 patrem.
760. Verus Archiepiscopus Hispalensis, eruditione, scriptis, & vita clarus, floruit sub Pipo.
 no, vt inquit Ioannes Trittemius.
767. Froila in vindictam fratris occisi, à fratre vicissim Aurelio occisus est, vt aiunt Tu-
 densis & Burgensis: vt alii, à suis, relicto filio Alfonso Castro, & filia Ximena, matre Ber-
 nardi Carpensis, ex vxore Monina sive Menina, quam ex nobilitate gentis Nauarræ ad to-
 conciliando eos duxerat. Post eum regnauit Aurelius frater ipsius, parricidio regnum
 adeptus. regnauit autem annis sex, & totidem mensibus. Quo regnante, bellum seruile
 in Hispania exarsit, seruis contra dominos arma fumentibus, quod tamen regis pru-
 dentia mox sospitum est, & serui in pristinam seruitutem redacti. Nulla illius contra Sar-
 racenos prælia leguntur. Tandem rebus humanis sublatus, apud Canicas sepultus est.
771. Mortuus est Asnar primus Aragoniæ Comes, qui Iaccam ciuitatem & multas arces
 atque oppida de Barbarorum fœda seruitute ad Christianæ religionis cultum reduxit.
 Successit illi filius Galindus.
774. Silo, nomine vxoris, regnum Legionis & Asturiarū consequutus est. Duxerat enim O-
 disinda Alfonsi Catholici filiam. Hic principio regni pacē cum Sarracenis pepigit, ad op-
 primendos qui rebus nouis studebant, & imperium eius detrectabant. Sed cū neq; filios
 haberet, neq; spē suscipienda prolixi, animū à negociis regni ad ocium & quietem auerit,
 administratio & summa rerum penes Alfonsum Castum erat, Odisinda regina amita-
 pius hoc procurante. Regnauit annis nouem, mense vno, die vno. Ita in Alcobaciensi
 codice & alio Chronicoperantiquo, atque etiam in historia Compostellana reperi. Ta-
 men Toletanus, & illum sequuti, tantum octo annis regnasse aiunt. Idnabala Sarracenus,
 Cæsaraugustæ regulus, ab Abutairo & Deuisfezo aliisque Sarracenorum regibus do-
 mestica seditione regno pulsus, à Carolo Magno cuius opem implorauerat, Cæsaraugu-
 sta obsessa, & certis conditionibus dedita, restitutus est, & finitimi reges vestigales fa-
 ctæ. In conditionibus hoc erat, vt Christi famulos concionanteis audirent. Ex annalibus
 Francorum & Iacobo Meyer. Quæ hic de offensione Caroli Magni in redditu addunt,
 posterius contigerunt, vt non solum ex Chronicis Hispanorum, sed etiam Sigeberto
 constat. Illud quoque adiiciunt, Pompelonem eodem tempore à Carolo Magno
 captam, quod Aragonensium rerum scriptores negant, & Garsiæ Ennico tribuant, vt
 diximus.
783. Mortuo Silone, atque Oueri ad diui Ioannis Euangelistæ, quam ecclesiam ipse ædi-
 cauerat, sepulto, regnum Legionis & Asturiarum communis omnium magnatum suf-
 fragio delatum est Alfonso Castro. Quod quum iniisset Alfonsus, Mauregatus patruusi-
 pius, & Alfonsi Catholici ex pellice filius, comparatis Sarracenorum auxiliis ipsum re-
 gno deturbavit, atque in eam Cantabriæ partem quæ Alaba dicitur, recipere se ad suos
 compulit. Auxilia vero Barbarorum turpissimo precio præter omne fas ac decorum re-
 demit, nimirū anno tributo quinquaginta nobilium virginum, & totidem plebeia-
 rum. tot enim singulis annis illorum nefandæ libidini, ex pacto, Rex ipse impurissimus
 exposuit. Quapropter merito propter hoc & alia vitia, tum Deo, tum hominibus exosus
 fuit. Regnauit annis quinque, mensibus sex, quibus exactis, apud Prauiam urbem rex
 prauus sepultus est. Tudensis in numero annorum iam mihi suffragatur. Ait enim ipsum
 regnum inuasisse Æra octingentesima vigesima prima, sicut codex Alcobaciensis, &
 Chronicoperantiquum, cuius mihi copiam fecit Resendius. Quod ideo adiunxi, ne
 quis arbitretur, me temere à Toletano & aliis dissentire. Sed Silonem ad D. Saluatoris
 sepultum esse, non ad D. Ioannis, ex monumenti inscriptione patet, quod paulo post re-
 feremus.
787. Hoc anno, nempe Arabum centesimo sexagesimo nono, Abderamenis iussu & ex-
 pensis copta est ædificari Mesquita Cordubensis (Mesquitas Arabes templis sua appell-
 ant) opere adeo superbo, vt omnes Sarracenorum Mesquitas facile superaret. Quod o-
 pus hodie quoque visitur Cordubæ, consecratum in ecclesiam cathedralem, & amplitu-
 dine & columnarum multitudine admirandum. Eodem anno mortuus est Abderamen
 Hispaniæ Miramolinus. Reliquit vndeclim filios & nouem filias, sepultus est in arce Cor-
 dubensi. Successit illi filius suus, qui Toletano dicitur Hissem, Alfonso regi Ixeca, Rafi
 Ismien,

Imieni, quem Zuleima frater regno conatus exturbare, non solum spe sua decidit, sed etiam tota Hispania cedere iussus est. Regnauit annis septem, mensibus ac diebus totidem.

Mauregato defuncto successit Veremundus Vimarani filius, regnauit annos duos, vel 789, secundum alios, tres. Nam reuocans in memoriam, quod esset olim ad sacrum diaconatum ordinem promotus, regnum Alfonso Casto cessit, & vxore Imilone, ex qua filios duos Ranimirum & Garsiam sustulerat, posterius abstinuit. Vixit postea cum Alfonso Casto annos quatuor, menses sex, sepultus cum uxore Oueti.

Alfonsus Castus tandem regno suo restitutus est, maximo omnium applausu, qui à 791, perpetua vita castitate cognomentum hoc meruit, vir omnibus virtutibus optimo principe dignis praeditus. Regnauit annis uno & quadraginta: sed anni Mauregati & Veremundi huic adscribuntur.

Iacobus Meyerus in Chronico rerum Flandricarum ait, hoc tempore Olisiponem ab 791, Alfonso rege, ope Caroli Magni, à Barbaris receptam, & Barcinonem ciuitatem recuperatam. Idem affirmat Platina in vita Leonis tertii. Et Barcinonem quidem per hæc tempora à Carolo Mauris ademptam reperio, sed Olisiponis receptæ in Annalibus Hispanorum, quos ego quidem videre potui, mentio nulla extat. Inuenio quidem Olisiponem bis à Sarracenorū tyrannide liberatam, semel ab Alphonso sexto, eo qui Toletū Christianæ religioni restituit, idque Æra millesima centesima trigesima prima, hoc est, anno Domini millesimo nonagesimo tertio, ut ex codice Alcobaciensi & alio Chronico péranti, quo notaui, quum tamen Toletanus eius rei nō meminerit: posteriori ab Alphonso Henrico, primo Portugallie rege, anno Domini millesimo centesimo quadragesimo septimo. Porro quod ab Alfonso Casto recuperata fuerit (nam aliud Alfonsus rex Caroli Magni tempore non extitit) hactenus nusquam alibi legi. Eodem fere tempore rex Alfonsus ecclesiam S. Salvatoris Ouerensis ciuitatis extruendam curauit, & in eam transtulit reliquias quæ Toleto & ex reliqua Hispania in Asturias delatae fuerant: simul & arcam reliquiarum, quæ ex Hierosolymis tempore Mahometis Hispalim nauis aduecta, inde Toleto delata, demum post annos sexaginta quinque in Asturias asportata fuerat. In eadem crucem auream gemmis preciosis distinctam reposuit, quam angeli duo, peregrino habitu aurifices se esse testati, miro opere fabrefecerant, nimurum Deo Opt. Max. sanctitatem optimi regis tam insigni miraculo illustrante. Ita ferme qui de rebus Hispaniæ scripsrunt. Sed Silonem esse templi illius autorem, constat ex monumento quod est Oueni ingressu basilicæ Sancti Salvatoris: ubi legitur ducenties septuagies,

SILO PRINCEPS FECIT.

T I C E F S P E C N C E P S F E C I T
 I C E F S P E C N I N C E P S F E C I
 C E F S P E C N I R I N C E P S F E C
 E F S P E C N I R P R I N C E P S F E
 F S P E C N I R P O P R I N C E P S F
 S P E C N I R P O L O P R I N C E P S
 P E C N I R P O L I L O P R I N C E P
 E C N I R P O L I S I L O P R I N C E P
 P E C N I R P O L I L O P R I N C E P
 S P E C N I R P O L O P R I N C E P S
 F S P E C N I R P O P R I N C E P S F
 E F S P E C N I R P R I N C E P S F E
 C E F S P E C N I R I N C E P S F E G
 T I C E F S P E C N I N C E P S F E C I T
 T I C E F S P E C N C E P S F E C I T

In Mausoleo.

H.S. E. S. S. T. L.

Hic situs est Silo. Sit sibi terra leuis.

- An.D^m. Anno Alphonsi Castiterio Dux quidam Sarracenorum cum magnis copiis ad Asturias depopulandas venit, sed Alphonsus hosteis magno animo depulit occisis septuaginta millibus cum duce ipsorum.
793. Ixeca Miramolinus Hispaniae, Cordubæ Rex defunctus, successorem reliquit Hiliham filium, qui regnauit annos viginti sex, menses decem, dies quindecim. His equum quinque millia ad corporis sui cultodiam delegit, partim Christianos qui à fide defecabant, partim eunuchos.
794. Ixeca Miramolinus Hispaniae, Cordubæ Rex defunctus, successorem reliquit Hiliham filium, qui regnauit annos viginti sex, menses decem, dies quindecim. His equum quinque millia ad corporis sui cultodiam delegit, partim Christianos qui à fide defecabant, partim eunuchos.
798. Hoc anno ad summum Pontificatum B. Leo tertius electus est, cuius auctoritate Compostella sedem & dignitatem episcopalē sortita est, rogatu (vt aiunt) Caroli Magni. Cum enim venerabile corpus Apostoli id temporis usque latuisset, Theodomiro episcopoliensis diuinatus reuelatum est. Cuius rei fama excitus Carolus Magnus, eo peregrinatio- nis causa, vt erat vir religiosissimus, profectus, deinde Leonem Papam rogauit, vt locum adeo sanctum & venerandum episcopalē dignitate nobilitaret. Facile concessit in tam piam petitionem pientissimus Pontifex, & Iriensem sedem Compostellam transtulit, ita tamen, vt episcopi Iriensis titulum retineret. Quod ita obseruatum est usque ad annum circiter octingentesimum septuagesimum septimum: quo tempore Ioannes octauus Pontifex Romanus ecclesiam ab Archiepiscopatu Bracarensi exemit, & metropolitanam fecit. Placuit hoc Alphonso Castro, & ciuitate Compostellanam ecclesiam illi cum aliis prouentibus ac muneribus dono dedit, vt annotauit Alfonsus Venetus ex Chronico quod ad D. Dominici Legione seruari ait. Postremus episcopus Iriensis, & primus Compostellæ fuit Theodomirus vir sanctus. Haec sicut ab aliis prodita sunt, referre hoc loco libuit propter eos quibus haec quoque placent. Ceterum quæ fuerint ecclesiae Compostellanae primordia & incrementa, superius in capite de recentioribus Hispaniarum episcopatibus, ex Compostellana historia & Apostolicis diuersorum Pontificum literis explicaui. Nunc operæ premium facturus mihi videor, si quæ de ratione occultati atque ignorati sanctissimi sepulchri, ac de reuelatione eiusdem in historia Compostellana reperi, hoc loco subiungam. Ea vero habent ad hunc modum. Floruerat autem antiquitus illo loco (de Compostella loquitur) inter Catholicæ fidei cultores Christiana religio. Sed tempore persecutionis ingruente, & superba paganorum tyrannide Christiani nominis dignitatem cōculcante, torus fere Christianæ religionis cultus longo iam tempore euauerauit. In toto igitur tempore Sarracenorum, & longo etiam tempore post restitutionem fidelium, veneranda Beati Apostoli tumba, nullius Christiani accessu frequentata, fruticum syluarumq; spissitudine mansit diutissime cooperta, nulliq; usque ad tempus Theodomiri Iriensis episcopi fuit reuelata aut cognita. Sed quando omnipotenti Deo placuit ecclesiastiam suam laborantem visitare, & eius aduersitatem in prosperitatis tranquillitatem conuertere, statim tempus suo potenti imperio mutauit, Regnum Hispaniae transtulit, & gentili superstitione per regionem Hispaniam conculebat & profusus annullatam Christi sui fidem inibi suscitauit. Ante autem illius pestis expulsionem, Mirus bona memoria Rex, diuina dispensatione regni sceptra suscipiens, primus Pontificales sedes per Hispaniae prouincias, iuxta Romanæ ecclesiae normam, diuina gratia inspirante constituit, & Andream in episcopum eligens, Iriensis cathedræ primitus sublimauit. Hinc equidem hos infra scriptos ordine successisse legimus, quorum nullam profecto præter nomina notiam habemus. 2 Dominicum, 3 Samuelem, 4 Gotomatum, 5 Vincibilem, 6 Feli- cem, 7 Hildiulfum, 8 Seluam, 9 Leofindum sive Theofindum, 10 Enulam alias Benulam, 11 Romanum, 12 Augustinum, 13 Honoratum, 14 Hifdiulphum. Prænotatis autem episcopis fertur successisse Theodomirus, eadem cathedra diuina dispensante gratia sublimatus. In cuius tempore diuinæ maiestatis omnipotentia Occidentalem ecclesiam, sepulchro tanti Apostoli reuelato, visitare & illuminare dignata est. Qualiter autem reuelatum fuerit, sequens pagina patefacit. Quidam namque personati & magna auctoritatis viri, præfato episcopo retulerunt, luminaria in nemore quod super beati Iacobii tumbam diurna vetustate excreuerat, nocturno tempore ardentia multoties vidisse, ibique angelos sibi frequentius apparuisse. Quo auditio ipse met ad eum locum, ubi illi se talia vidisse afferebant, accessit, & luminaria in prædicto loco ardentia propriis oculis procul dubio aspergit. Diuina igitur inspiratus gratia, præfatum nemusculum festinanter adiit, & diligentius circunspectiens, quandam domunculam marmoream tumbam intra se connentem inter sylas & frutices inuenit. Qua intuenta, Deo gratias referens, Casti Regis ill-defonsi qui tunc in Hispania regnabat, præsentia incunctater adiuit, eiique rem ut audierat, & propriis oculis viderat, veraciter notificauit. Ipse vero tantæ audientiæ gaudio diffusus, citato calle has partes intravit, & ad honorem tanti Apostoli ecclesiam restaurans, episcopium Iriensis sedis in hunc locum qui Compostella dicitur, multorum episcoporum

Deiseruorum, nobiliumque virorum autoritate, atque priuilegio regali commutauit. Hoc autem sub tempore Caroli Magni factum esse, multis referētibus audiuius. Theodomirus vero episcopus tanto fidentius oculos mentis ad cœlestis patriæ considerationem erigebat, quanto frequentius beatum Iacobum, post basilicam sibi factam, miraculis & virtutibus coruscare conspiciebat. Spe ergo cœlestium præditus, aliquanto interiecto tempore, vitam securus effudit finali sorte interueniente. Hæc ad verbum ex Historia Compostellana, cuius mihi copiam Salmanticæ fecerunt integerrimi atq; ornatissimi Collegæ Collegii S. Salvatoris, cui ego Collegio propter antiquam erga me beneuelentiam plurimum debo.

Zuleima & Abdalia patrui Halihatam, quos diximus ab Ixeca pulsos Hispania, audita morte fratris, cum exercitu hostili ex Africa in Hispaniam transferunt ad inuadendum imperium noui regis. Quo non segniter obuiam eunte, alter illorum occisus est cum bona parte exercitus, alter in fugam versus: paulo post vltro se in fidem nepotis dedit, & magnus illius beneficiis vsus est.

Mortuo Garsia Eñnico, secundo Suprarbororum in Nauarra Rege, successit Fortunius 802. Garsias, qui regnauit annis tredecim, & ducta vxore Galindi Aragoniæ Comitis filia, Aragoniæ Comitatus titulum accepit, vti iam dictum est. Regnauit annis tredecim.

Hoc anno aiunt Carolum accepisse cladem illam insignem apud Roncis vallem, in 809. quamulta Galliæ nobilitas cecidit: sed ea clades ita varie ab autoribus refertur, dum alii dicunt in accessu factam, quando Hispanos qui Alfonso regi regnum ipsi deferenti refragabantur, oppugnatum venit: alii gestis in Hispania rebus, in redditu offendisse. Ut vt est, illud inter omnes scriptores tam Hispanos, quam Gallos constat, Carolum Magnum in faltibus Pyrenæis insigni clade affeatum, cæsis aliquot ducibus ipsius, in quibus Rolando Caroli ex sorore nepote, & aliquot ex iis quos Franciæ Pares appellant, ut ait Robertus Gaguinus, atque amissis omnibus impedimentis bellicis. Præcipua opera in eo conflictu fuille dicitur Massilli regis Cæsaraugustæ, cuius etiam Paulus Æmilius mentionem facit, & Bernardi Carpensis. Hic nepos erat Alfonsi regis ex Ximena sorore, quem illa ex fratre cœcubitu Sancti Comitis, interposita tamen coniugii fide, suscepit. Quod quum Alfonso regi innotuisset, rem indignam grauissime ferens, sororem in Parthenonem abdiuit, Sanctum in arcem Lunæ vinculum conclusit, vinculorum & vitæ terminum eundem constituens. Bernardum apud se pro filio eduxit, cuius admirabilis in re bellica virtus, multis magnisq; præliis frequenter enuit. Eodem anno, vel potius superiore, Sarraceni qui Toleti habitabant, immoda fœlicitate insolentes, & dulci (vt inquit ille) fortuna cœbri, aduersus Halihatam Miramolinum suum insurrexerunt, iussa illius detrectantes. Quod quamuis ægre esset regi Barbaro, tamen aduersus populum præpotentem astu potius agendum ratus, quam vi, misit eo Oscensis ciuitatis præfectum, hominem apud illos gratiosum, à quo regeretur, omnem rebellionis causam ab illis in præfectos suos transferens, tanquam qui à religione officii sui declinarent. Per quem præfectum non admodum ab simili techna rebellionis autores puniuit, & reliquos metu imperata facere cogit, atque olim Tarquinius Superbus Gabinos per Sextum Tarquinium filium subegit. Misit enim illuc filium Abderamenem cum exercitu, qui cum se ad bellum Christianis inferendum venisse simularet, in arcem intromissus quam præfectus ille in medio urbis per fraudem construxerat, quo loco postea D. Christophoro ædes ædificata est, primores per speciem conuiuii ad se vocatos, dispositis ad eam rem apparitoribus, trucidari fecit ad quinque millia. Quorum infortunio reliqui perterriti, veniam supplices poscerunt, ac deinceps in fide & officio permanerunt. Rem totam fusius Rodericus Toleranus prosequitur in Arabum historia, & post illum in Chronicis Alfonsus decimus. Nobis summam rei velut adumbrasse sufficiat. Eodem anno duo Arabum duces diuisis exercitibus in Galleiam populabundi venerunt, sed Alfonso rege non segniter a gente, occisi, non solum repulsi sunt.

Fortunius Garsias, tertius Suprarbororum in Nauarra rex, fato concessit, post quem 813. regnauit Sanctius Garsias annis 20. Hic se appellauit regem & Comitem, multaque aduersus Sarracenos præclara gessit, & bonam Nauarræ partem à Barbaroruim tyrannide libi vindicauit: demum ab eis in prælio, dum incautius in hosteis irruit, occisus sine hærede decepit. Bernardus Carpensis dum multis magnisque obsequiis regem sibi deuixisset, & illum in variis dubiisque præliis tantum non ab hostibus oppressum liberasset, obnoxie orauit eum, vt patrem ipsius vinculis solueret. Quod cum constanter sibi negaretur, se à fide regis alienauit, & cum aliquot viris primariis sanguine si-

An Dom.

- bi iunctis, in Saldaniam ditionem suam secessit, vnde crebris excursionibus ditiones Regis non leuibus incommodis affecit.
816. Mahometes quidam Emerensis, Abderamenem Halihatæ filium fugiens, in fidem Regis Alphonsi receptus est, & terras, vbi habitaret, accepit: sed post biennium reversus ad ingenium, violauit fidem, neque ita multo post perfidiæ poenas capite luit, cæsis quinq; quaginta millibus Sarracenorum, tantum enim exercitum collegerat.
817. Mauri suburbii Cordubensis opibus suis freti, nouis rebus studere cœperunt, sed matute ab Halihata oppressi resipuerunt.
819. Sarracenis mutuo bello implicitis, Christiani Barcinonem occupant. Ad quam recuperandam dum Halihatas, pace cum patruis suis composita, se compararet, morbo corruptus interiit. Reliquit filios nouendecim, filias vero viginti nouem. Post eum regnauit Abderamen filius eius, qui instituit, vt apud Mauros filii patrum hæredes essent. Nam ad eum usque diem, fere defunctorum bona ad fratres, & aliquando etiam ad alienos redibant, omissis filiis.
820. Barcino iterum à Sarracenis recepta.
824. Alphonsus Castus iam animam agebis, coram se Regem declarari ac salutari fecit Ranimirum, Veremundi Regis diaconi filium, quem alioqui regni successio ad Bernardum Carpiensem nepotem suum ex sorore Ximena lege rediret. Mox ipso defuncto, atque Oueti ad diuæ Virginis, quam ecclesiam ipse construxerat, sepulto, regnauit Ranimirus annis sex, mensibus nouem. Qui quum principio regni in Castella veteri quæ Bardulia olim nominata est, matrimonij causa abesset, Nepotianus Comes Palatii regnum collectio exercitu inuasit. Cuius rei factus certior Ranimirus, haud segniter se ad opprimendum hostem comparauit, quem prælio victum & captum erutis oculis in monasterium detruxit. Ranimiro regnante, fato concessit Theodomirus primus Compostellæ episcopus, cui sepulchrum B. Iacobi reuelatum diximus. Successit ei Athaulfus vir sanctus, qui populi sibi commissum diuidi verbi pabulo quanta potuit vigilancia pauit. Ex historia Compostellana.
825. Anno regni secundo Sarraceni à Ranimiro per legatos petierunt, vt tributum Christianarum virginum, quod Mauregatus annum promiserat, ex pacto solueret, si pacem cum eis ratam esse vellet. Ranimirus re cum primoribus regni communicata respondit, se tam indignis pactis stare nolle, atque adeo ne pacem quidem illorum velle. Quod ut ipsa comprobaret, conscripto iusto exercitu, agros illorum vastare cœpit Anagatum usque. Sed & hostes cum numerosissimis copiis obuiam profecti, ancipiti prælio cum Ranimiro conflixere, tantisper dum nox pugnam diremit. Christiani beneficio noctis periculo erepti, in locum editiorem (Claugium dicebatur) se receperunt, vbi de rei euenu solicii, noctem totam lachrymis & precationibus transegerunt, opem diuinam toto pectori implorantes. Mox Regem somno oppressum D. Iacobus Apostolus in somnis iubet de exitu pugnæ securum esse, viatoriam Christianorum haud dubie fore, se Apostolum Iacobum esse, cui tutela Hispaniæ commissa sit, cuius propitium numen postero die in prælio experturi sint: tantum animis ab omni vitiorum inquinamento, salutari confessione expiatis, & sacrosancto corporis Dominici sacramento communitis, ad conflictum postridie spe pleni procederent. Rex insomnium episcopis & magnatibus commemorat, qui tam faustum omen læti accipiunt, atque Apostoli iussa diligenter facebunt. Mox se ad prælium alacribus animis comparant, tam certo pignore freti, Dei ac sancti Iacobi numen inuocantes, tantamque in Sarracenos stragem edidere, vt supra sexaginta milia Barbarorum in acie cæsa sint. D. Iacobus in eo confliktu equo candido, vexillo niueo, & in eo cruce rubea conspicuus apparuit. Rex Calagurrim & nonnulla alia municipia atque arces finitimas recepit. Ab eo tempore receptum est Hispanis, in præliis omnibus, praepuc si cum infidelibus ac paganis res est, Dei ac diui Iacobi numen implorare, quod ipsis pro militari tessera est. Ranimirus ne ingratus esset Apostolo pro tam insigni beneficio, de communi præsulum ac nobilium consilio statuit, vt pro singulis boum iugis, certatrici mensura, qua in soluendis primitiis vtuntur, & de singulis vini modiis altera vini singulis annis Diuo Iacobo solueretur. Quod hodie quoque nonnullis in locis soluitur, & votum appellatur, idque vere: nam communis Regis, præsidum, magnatum, ac plebis confessu perpetuo votum est, cum durissimis execrationibus, si quis in posterum violaret. Præterea vt in spoliis ac manubiis diuidundis ecclesia D. Iacobi in sortem veniret, atque unius equitis numero esset. Extant de ea re literæ ipsius Regis Ranimiri, datæ Calagurri mense Maio, vel secundum alios, Junio, quo mense viatoriam hanc consequitus videretur, in quibus hæc omnia, quo diximus modo, referuntur, & voti institutio atque confirmationis de-

tio declaratur. Quæ literæ singulis annis in ecclesiis metropoli Compostellanae subiectis vulgo recitantur. Quin & Paschalis Rom. Pontificis literas Apostolicas vidi, anno Pontificatus sui quarto datas, quibus ea vota confirmat. Eodem tempore Dieghus Valera ordinem militiæ diuini Iacobi institutum ait, quamuis F. Alfonsus Venerus principium illius circa annum Domini millesimum centesimum sexagesimum ponat, in qua opinione est & Raphael Volaterranus, & post illum Antonius Nebrisensis. Sed ego illis nequaquam accedo, ac Valerianam opinionem magis probo, tum quod eo tempore iusta instituendi causa fuerit, tum quod diploma regis Fernandi primi vidi, & exemplar eius penes me habeo de institutione monasterii S. Spiritus Salmanticæ, in quo & huius ordinis, & magistri illius, & commendatariorum multa mentio fit, quemadmodum suo loco patebit. Porro Ferdinandus hic cœpit regnare anno Domini 1020. vel secundum alios, 1017.

Magna Normannorum classis in Galliciam appulit. quæ cum hostiliter omnia vasta 827. ter, Ranimirus obuiam profectus, magna illos clade affecit, & septuaginta naueis incendit. Reliqui Hispalim profecti, depopulati omnia, magnam inde prædam egerunt. In quodam libro vetusto reperi, tempore Ordonii centum naues Normannorum in Galliciam venisse, & post triennium ad suos rediisse.

Domitis hostibus, domestica seditione Ranimirus agitatus est. Siquidem Alderedus 828. & Piniolus (alii Primalum, alii Priatum appellant) Comites ac proceres palatii cum septem filiis, regem nefaria coniuratione regno deturbare conati sunt, sed non respondente euentu, oculi Alderedo effossi, alter cum filiis morte multatus est.

Ranimirus fato concessit, sepultus Oueti, filios reliquit Ordonium & Garsiam ex Vr- 831. rata vxore religiosissima fœmina, quæ ecclesiam D. Jacobi & Sancti Salvatoris multis magnisque muneribus prosecuta est. Inter multa & præclara Ranimiri decora, hoc non in ultimis laudum ponendum est, quod fratrem Garsiam tanta pietate & benevolentia semper complexus est, vt eodem cum ipso numero & autoritate esset. Regnat post eum filius eius Ordonius annis decem, & ex vxore Momadona quinque filios sustulit, Alfonsum regni hæredem, Veremundum, Nuniū, Odoarium, & Froilam. Hic principio regni Vascones rebelles ad obsequium suum subactos redigit, & Mauros ditionem ipsius infestantes magna vi depulit, ac ciuitates Tudem, Asturicam, Legionem, Amaiā, Patriam, habitatoribus frequenteis reddidit. Apud hunc regem Athaulphus tertius Compostellæ episcopus, vir sanctus & pius, à quatuor ecclesiæ suis seruis de crimine peccato delatus est. Qua re audita rex magno furore percitus, ac tam nefandum crimen in episco- 40 scopo detestatus, Athaulphum ad se vocari iussit. Qui die sancto Cœnæ Domini quum in curiam venisset, recta in templum operatus sacris profectus est. Cumque a suis admoneretur, vt prius regem adiret, respondit in templo maiorem esse regem qui prius salutandus esset. Demum peracta re diuina, vt erat sacris indutus vestibus, recta ad ædem regiam profectus est. Rex vero taurum indomitum à canibus venaticis irritatum, in sanctum præsulem immitti iussit, vt qui tanti criminis reus deferebatur, impetu ferocissimi tauri dilaniaretur. Sed taurus, factio ab Athaulpho signaculo sanctæ crucis, mansuetis- 40 simus ad eum accessit, & cornua in manibus eius, tanquam si exemplilia habuisset, dimisit, atque in syluam, unde adductus erat, rediit, itaque sanctus Dei illæsus evasit. Rex vero & qui cum eo erant primariae nobilitatis viri, conspecto tam insigni miraculo, ad pedes ipsius prociderunt, & sceleris sui veniam supplices poposcerunt. Ipse autem iuxta apostoli doctrinam pro malis bona reddens, benigne condonauit, atque eadem hora pontificatus suo nuncium remittens, in Asturiarum solitudines repudiato mundo soli Deo vacaturus secessit, ubi exemplum sanctæ conuersationis aliis relinques, aliquam multis post annis naturæ debita persoluit. Ex historia Compostellana. Rodericus Toletanus hoc plusquam centum annis posterius ponit, & attribuit Veremundo secundo, quem ait eo plus fidei habuisse delatoribus Athaulphi, quod filius esset Comitis Gundisalui, à quo Sanctius rex 50 veneno sublatu sicut. Præterea subiungit Athaulphum, Rege insalutato, postquam delatores diris execrationibus deuouisset, discessisse atque in itinere tertio post die defunctum. Sed res ita se habet, vt nos ex historia Compostellana & alio libro peruetusto retulimus, in quo tamen libro reperio, quod regi maledixerit. Toletani errorem sequitus est rex Alfonsus & alii post eum.

Muza Abenheazim origine quidem Gothiis, sed professione Sarracenus, contra Ab. 832. deramensem Hispaniæ Miramolinum & Cordubæ regem insurrexit, & Cæsar Augustam, Oscam, Tudellam, Toletum occupauit. quibus ciuitatibus non cōtentus, in Catalonia populabundus expeditiones egit, quin & in Galliam usque hostili agmine processit. Quo terum successu elatus, Hispaniæ regem salutari se iussit. Mox Albaidam urbem Ordonii

- regis expugnat, & muris ac propugnaculis egregie munit. Quod vbi cognouit Ordonius, nihil cunctatus, ad recipiendam urbem & exturbandos Barbaros profectus, urbem obsidione citixit: cumque opem obfessis latus aduentaret Muza, Ordonius copiis suis bipartito diuisis, partem ad continuandam obsidionem reliquit, partem contra Muzam duxit. cum quo signis collatis cruentum in Sarracenos certamen edidit, ex quibus cæsa equitum duodecim millia, & in iis Garsias Muzæ gener, peditum infinita prope multitudine. Muza tribus vulneribus grauiter saucius, fuga mortem evasit. Lecta spolia auri, argenti, & omne genus alterius supellestilis ditissima. Lopus Muzæ filius, Toletanæ urbis prefectus, se in fidem & clientelam Ordonii dedit, multis & amplis illius ornatus beneficiis, operam vicissim regi fidelem & strenuam in variis contra Barbaros præstuit.
- 835.** Ordonius Cauriam & Salmanticam expugnauit, occisis eorum regulis, & infinita Sarracenorum multitudine, partim cæsa, partim in captiuitatem abducta. Eodem anno, Fortunio Garsia Suprarborum in Nauarra rege à Sarracenis, vt diximus, occiso, inter regnum fuit quatuor annorum, de quo vide quæ notauimus in catalogo regum Nauaræ. Eodem fere tempore Abderamen plateas ac vias Cordubenses lapideo pavimento stravit, & per tubulos plumbeos ex montibus aquam in ciuitatem duxit, eam quæ hodie scaturit prope templum summum, quæ illorum Mesquita, vt diximus, erat.
- 839.** Ennicus Arista populari suffragio electus rex, vñctus & coronatus, primusque rex Nauaræ, sed certis conditionibus, appellatus nimirum vt in eos æquis legibus veteretur, atque vt iudex esset medius inter regem & populum, si quid controuersiæ oriretur, isque Aragoniæ Iustitia appellaretur. Arista cognominatus est ab ardore bellandi, regnauit annos 31. Mortuus est Abderamen, & reliquit quadraginta quinque filios, & quadraginta duas filias. Suscepit imperium paternum Mahometes filius & regnauit triginta quinque annis, vt ait Toletanus, vt vero Rases annis 34. & mensibus sex: nec audiendos puto, qui triginta nouem annos illi tribuunt. Cuius initio regni, Toletani contra ipsum rebellaverunt, implorato auxilio Ordonii regis, qui filium illuc cum non poenitendo exercitum misit. At vero Mahometes contra illos mouens, insidiis opportuno loco dispositis, ipse cum paucis in conspectum venit. Quod conspicati Toletani, contempta paucitate portis defundunt, atque in hostem ruunt. Qui simulata fuga, vbi clausum & circumfulsum insidias hostem habuit, versis signis, omnibus inuadendi signum dedit. Tunc Toletani grauiter leuitatis suæ poenas dedere, cæsa Toletanorum tredecim, Christianorum octo millia.
- 841.** Ordonius Oueti podagra periit, sepultus ad diuæ Virginis, relicto magno sui desiderio. Regnauit post illum Alfonsus tertius cognomento Magnus, annis quadraginta sex. Quatuordecim erat annoru, quum regno inaugurus est. Cuius initia regni Froila quidam Veremundus turbauit regno inhians, qui dum rex in Alabam Cantabriæ prouincia se recepit, comparaturus exercitum, à senatu Ouetensi ob tyrannidem occisus est. Oppresso aduersario, Alfonsus rex ad suos reuersus, magno cum honore receptus est, mox Sublantiam ac Ceiam muris ac turribus communiuit, atque habitatoribus frequentauit. Deinde Comes quidam nomine Eilo ad inuadendum regnum animatum adiecit, & Alabenses ad rebellandum incitauit, sed aduentu regis teriti Alabenses meliora polliciti, veniam consequuti sunt, Comes in catenis Ouetum ductus est.
- 842.** Duces Sarracenorum duo Imundar & Alcaman Legionem oppugnatum venerunt, sed magna virtute repulsi sunt. Alfonsus Magnus vt vacuus aliis curis Sarracenos comodius debellare posset, cum Nauarris & Gallis fœdus coit, atque ex nobilitate Gallica vxorem duxit Amelinam, quæ posterius Ximena dicta est, ex qua suscepit quatuor filios, Garsiam, Ordonium, Froilam, Gundisaluū, qui fuit Archidiaconus Ouetensis. Quæ hic ponuntur in Chronicis regis Alfonsi, de Pompelone à Mahomete Miramolino obfessi, & Fortunio rege capto, & post viginti annos soluto, deque Fortunii viuacitate, quippe qui centum viginti quinque annos vixerit, quia Chronicis Nauaræ & Aragoniæ ex diametro repugnant, neque temporum ratio respondet, consulto prætermitto, quum tamen Rodericus Archiepiscopus Toletanus quem Nauarrum fuisse affirmant, in historia Aragonum hoc ipsum memoria proditum reliquerit.
- 843.** Alfonsus Magnus præterquam quod pietatis studio thesauros paternos in ecclesiæ & pauperes erogauit, etiam ecclesiam diui Iacobi quæ terrea prius erat, lapide quadrato construi iussit, & columnis marmoreis exornauit.
- 844.** Toletani fines Christianorum hostiliter depopulantes, profligati sunt. Bernardus Carpiensis qui omnibus his præliis interfuit, quum frustra sæpe rogasset regem, ut ipsius solueret, grauiter commotus, in territorio Salmanticensi, in colle quodam cemetur.

em communiuuit, quod Carpium appellatum est, à quo & ipse Carpiensis dictus est. Ex An. Dom.
quo regios fines frequentibus excursionibus infestos reddidit, eoque angustiæ regem
adduxit, ut ad pacis conditiones descendere coactus sit, patremque ipsius redditum
promiserit, si ipse Carpium regi dederet. Accepit conditionem Bernardus, sed Comites
missi ad soluendum atque adducendum patrem, iam fato functum inuenerunt. Rex ta-
men etiam mortuum adduci iubet, atque ita compositum, ut viuus videretur, ipse quo-
que in occursum eius cum Bernardo prodiit. Qui cum patrem defunctum reperisset,
fortunam suam detestari ac deplorare cœpit, qui & patre orbatus esset, & arce sua Car-
piensi. Rex ait, non esse locum lachrymis, alia consilia quereret, & regnis ipsius quam
10 primum cederet. Ita ad Gallos profectus dicitur, atque ab illis magnifice susceptus Ber-
nardus Carpiensis, vir maximis viris comparandus, si fortuna virtuti respondisset.

Alfoncus rex Conimbricam à Sarracenis obsecram liberavit.

859.

Ennico Arista defuncto, Nauarræ regnum iniit Garsias Eniecius filius ipsius, vir non 860.
minus integritate vitæ, quam armis præstans, qui vxorem duxit Vrracam, fœminam pri-
mariam, cum qua iam grauida ac partui vicina, dum incautius per montes iter faceret,
nec opinato hostium insultu oppressus, fortiter pro fide dimicans interiit. Regina quoque
letali vulnere in utero confossa periit, illæso tamen infantulo. Accidit vero, ut iam digres-
sis Barbaris nobilis quidam cui Gueuaræ nomen fuisse affirmant, ad eum locum forte ac-
cederet, & infantem per vulnus manum extendentem & velut eluctantem conspicare-
tur. Miseratus utriusque vicem, cæso matris utero eduxit infantem, ac domi suæ diligen-
ter eduxit, quod non sine testibus factum est, ut quando res ipsa posceret, facta fides con-
flaret. Regnauit hic Garsias annis 30.iiis tamen alii nouem detrahunt, quibus ego magis
accedo.

Alfoncus Toletanos crebris excursionibus eo rededit, ut trium annorum inducias ma- 864.
gno redimere coacti sint. Eodem fere tempore ecclesiam sanctorum martyrum Facundi
& Primitui magnifice construxit, quam posterius Sarraceni diruerunt.

Hoc anno, nempe æra nongentesima quarta, decepsit ex hac vita sanctissimus Com- 866.
postellæ præsul Athaulphus, cuius vitæ integritas & innocentia eo miraculo diuinitus
probata est, quod superius anno octingentesimo trigesimo primo retulimus. Infula vero
cum qua sacram illo die celebrauit, tantæ virtutis extiit, ut si quis alicui iusurandum da-
turus, illam indueret, & forte periurus esset, ea exui nequaquam valeret. Sisnandus huic
quartus illius ecclesiæ successit episcopus, adeo labori sanctæ prædicationis intentus, ut
despectis secularium rerum negotiis, contemplationi totus inhæreret. Is vitam ac sancti-
tatemdecessoris sui mente repetens, ardenti pietatis studio in Asturias se contulit, & san-
cti viri corpus Compostellam translatum, cum summa reuerentia sepeliuit. De quo Sif-
nando suo loco plura dicemus.

Hoc anno excessit è rebus humanis Mahometes Miramolinus Hispaniæ, secundum 874.
numerum Alfonsi decimi. Toletanus & Rases aliquot annis posteriorem ponunt. Reli-
quit 34 filios, & 20 filias. Hic cum forte die quodam in horto regio deambularèt, & qui-
dam de astantibus diceret, Quam amœnū viridarium, quam pulchra dies, quam iucun-
dum seculum, nisi mors omnia disturbaret: Erras, inquit rex. nam nisi mors esset, ego ne-
quaquam regnarem. Ex Archiepiscopo Tolerano. Successit filius eius Almundir, qui re-
gnauit annis duobus secundum Toletanum, secundum Rasen vero anno uno, sex men-
sibus, dies quindecim. Reliquit sex filios, filias septem.

Post mortem Almundir, Abdalia in fratri locum receptus, regnauit annis viginti 876.
quinque.

Rex Alfoncus ecclesiam Sancti Iacobi, quam nouam, ut diximus, construxerat, redi- 877.
tibus annuis, auro, argento, gemmis preciosis, vestibus sacris locupletauit, eandem Ioan-
nis octauia autoritate consecrare fecit. Cuius consecrationi ac dedicationi interfuerunt e-
piscopi sequentes: Vincentius Legionensis, Gometius Asturicensis, Hermenegildus O-
vetensis, Didacus Tudensis, Egila Auriensis, Sisnandus Irensis, Recaredus Lucensis, Theo-
defindus Britoniensis, quorum ciuitates iam à Christianis possidebantur. Præterea Ioan-
nes Aucensis, Dulcidius Salmanticensis, Iacobus Cauriensis, Faustus Cōnimbricensis,
Ardimirus Lamecensis, Theodemirus Visensis, Guimagus Portugallensis, Argimitus
Bracarensis, Heleca Cæfaraugustanus, quorum ciuitates partim à Sarracenis occupatæ,
partim desertæ erant. Episcopi vero partitis sibi territoriis, in diecesi Ouetensi, vitam ut
poterant, exigebant: vnde olim Ouetum ciuitas episcoporum dicta est, ut annotauit Ar-
chiepiscopus Toleranus, apud quem lib.5.cap.17. extat exemplar literarum Apostolicarū

An. Dom.

Ioannis octaui, de consecratione ecclesiæ S. Iacobi. Huius rei mentio fit etiam in historia Compostellana. Sed in alio libro peruetusto inueni, quod consecrata fuit æra nongentesima vigesima septima, quinto Nonas Maii, hoc est, anno Domini octingentesimo octo. gesimo nono. Sed eo iam tempore Alfonsus Magnus ad superos migrauerat ex hac vita. Proinde suspicor numerum æræ vitiosum, & legendum æra nongentesima decima septima, hoc est, anno Domini octingentesimo septuagesimo nono. Eodem fere tempore ecclesia Ouetensis, auctoritate eiusdem Ioannis Octaui, rogatu Alfonsi regis, metropolitana facta est, quod nullus esset in Hispania metropolitanus episcopus. Nam reliquæ ciuitates quæ metropolitanæ quondam fuerunt, Barbarorum graue iugum trahebant. Bracara etsi multo ante Sarracenis erpta, tamen in congeriem versa lapidū, ut ex archiuis eiusdem ecclesiæ constat, ne episcopū quidem, nisi titulo tenus, habebat. Quæcunq; vero ecclesiæ Bracarensis erant usque ad muros ipsius ciuitatis, Rex Ordonius, superiorne, aliquis ex posterioribus, ecclesiæ D. Iacobi donauit. Paulo post sub eodē Pontifice Compostellanam ecclesiam metropolitanā factam aiunt, rogatu Caroli tertii regis Francorū, qui Caluus cognominatus est. Ita fere qui de Sanctis Hispaniæ scripserunt, cuius rei miror nullam extare mentionem, neque apud Tudensem, neque apud Archiepiscopum Toletanum, neque in Chronicis regis Alfonsi. Gerundensis episcopus autor est, Emeriten sis ecclesiæ metropolitanam dignitatem primum in Ouentensem, deinde in Compostellanam fuisse translatam, immunitate tamen Ecclesiæ Ouentensi concessa. Laurentius à Padilia qui inter cæteros superioris opinionis autor est, addit circa annum Dominicen testimonia vigesimum supra millesimum, à Calixto Papa eius nominis secundo, quæcunque Emeritensis ecclesiæ iurisdictioni subesse solent, in Ecclesiam Compostellanam translata fuisse. Sed de hac re vide, quæ superius in capite de recentioribus episcopatibus scripsimus.

- 884.** Alfonsus rex Zamoram profectus, filium Garsiam in vincula coniecit, quod matris instinctu, & socii Munonis auxilio, contra ipsum hostilia moliretur, ac regno inhiciaret. Quæ res cæteros filios, vinculis fraternali grauiter exacerbatos, in ipsum vehementer excitauit. Zamoram siue Zemoram hic rex Alfonsus instaurasse atque à Mauris obfessam liberasse, & hoc nomen ex euentu militis vaccam nigram vocantis (eas enim armentarii vulgariter moras appellant) imposuisse dicitur, & in ea templum S. Saluatoris condidisse. Sed Florianus aliam huius nominis rationem ponit. Affirmat enim Zamoram quæ olim Sentica dicta sit, post Arabum vastationem Medinam Zamorrathi ab eis appellatam, atque ea voce ciuitatem Turquesarum significari. Nam Medinā accentu in ultima ciuitatem sonat Arabibus : Zamorrathi lapis Cyaneus est, quem Turquesam vulgo dicimus. Ideo autem sic ab illis appellatam arbitratur, quod scateant rupes omnes in toto tradi Zamorense vena lapidis Cyanei. Idem affirms hanc ciuitatem à Ferdinando rege, Sancti & Alfonsi patre, instauratam, postquam fuit ab Almanzore & incendiis consumpta & funditus diruta. Alii etiam huius nominis etymologiam dare volunt, & adhuc sub iudice lis est.
- 886.** Alfonsus filiorum persecutionibus grauiter pressus, eaque molestia defungi cupiens, regnum Garsiæ filio cessit, ipse Compostellam orationis causa ad visitanda beati Iacobi limina profectus est, postea semel atque iterum expeditiones secundas in Sarracenos fecit.
- 887.** Alfonsus rex vita bene peracta, & regno laudabiliter administrato decepsit ex hac vita Zamoræ, inde Asturicam delatus, non multo post tempore translatus Ouetum, ad diu Virginis conditus est eodem monumento cum uxore Ximena, quæ tamen viuum maritum debita pietate prosequuta non est. Successit patri Garsias primogenitus, regnauit tribus annis, qui initio regni contra Arabes in expeditionem profectus, graui illos damno affecit, capto illorum regulo Ayola, qui tamen custodium incuria effugit. Demum nulla alia re insigni gesta Zamoræ fato concessit, nullo relicto hærede, inde delatus Ouerum, ibique sepultus est.
- 890.** Post eum regnauit frater ipsius Ordonius secundus, annis octo, mensibus sex. His patri similis multa præclara gessit, & eo adhuc superstite, hostili agmine in Baeticam usque profectus, male Barbaros multauit: deinde initio regni Talabricam obsedit, & occisus qui obfessis suppetias venerant, hostibus pariter & vrbe potitus est. Postea cum duce Cordubensi & rege Tingitaniæ ad diui Stephani in ripa Durii collatis signis, gloria victoriæ umphabundus ad suos rediit. Non multo post, contra Emeritam ducto exercitu, Lusitaniam adeo ferro atq; igni vastauit, ut Lusitani desperatis rebus, inducias magno redimere coacti sint. A qua expeditione Legionem magno cum honore reuersus, ecclesiæ cathedrali

lem quæ prius extra ciuitatem erat, in palatium ipsius ciuitatis propter Sarracenorum insultus, de concilio Fruminii episcopi & aliorum præsulum transtulit, atque in honorem diuinae virginis dedicauit. In qua ipse à duodecim episcopis regio diadema fuit insignitus.

Garsia Enieco rege Nauarræ occiso in conflietu, vt supra diximus, octodecim anno- 891.
rum interregnū fuisse aiunt, tantisper dum Sanctius Garcesius Auarca educaretur, qui tamen anni Sanctio Garcesio adsignandi sunt, alioqui male respondet annorum calculus. Cum igitur Nauatri & Aragones indistis comitiis Iaccam ad creandum regem conuenissent, nutritius Garcesii adolescentem peronatum, & rusticis indutum vestibus, magnatibus exhibuit, Garsia Enieci filium & legitimū regni successorem affirmans. Cu-
ius rei fides cum prolatis monumentis constaret, omnes inopinato atque incredibili gau-
dio perfusi, magnis gratulationibus, faustisq; acclamationibus regem consalutarunt, qui à peronibus quibus vti consueverat, quas Auarcas Hispani appellant, Auarca cognomina-
tus est. Vxorem habuit Thodam siue Theodam, ex qua Garsia Sanctii, Vrracæ, Sanctia, Mariæ, Velasquitæ, quam alii Blancam appellant, pater fuit, regnauit annis triginta
sex, deinde multis rebus aduersus Sarracenos præclare gestis, ex hac vita decepsit, sepul-
tus ad Diui Ioannis à Pegna.

Rex Cordubensis tot Ordonii regis in suos expeditiones indigne ferens, cum maxi- 895.
mis copiis in Galliciam vsq; venit, cum quo ancipiti prælio conflxit Ordonius, sed tan-
dem multis vtrinque cæsis, æquo Marte discessum est. Idem non multo post, conuocata
infinita Sarracenorum etiam ex ipsa vsque Africa multitudine, Nauarræ fines hostili ag-
mine ingressus, omnia ferro ac flammis miscere coepit. cui cum imparem se Nauarræ rex
videret, auxilia regis Ordonii poposcit. Nec ea cunctanter præstitit Ordonius, sed ad val-
lem Iuncariam hosti obuiam factus, prælium impigre commisit, in quo Deo ita volente,
Sarraceni superiores fuere. De qua re, quæ Resendius noster ex libris, opinor, ecclesiæ
Compostellæ olim descripsit, hic adscribere visum est. Ea habent ad hunc modum. Or-
donius rex in valle Iuncaria vietus ab Abderamine Miramolino Hispaniæ & rege Cor-
dubæ, multis vtrinque cæsis, & duobus episcopis captis, Dulcidio Salmanticensi & Her-
mogio Tudensi, & Cordubam in diros carceres abductis, quorum Hermogius impa-
tiens ingrauescente ætate ac pertæsus, Pelagium sobrinum suum pro se ob fidem de-
dit, tantisper dum reuersus ad suos, captiuis missis illum redimeret. Cuius pulchritudine
captus Abderamen, per iocum illum tangens, & lasciuis blandimentis sanctum & pudici-
cum iuuenem vel in sectam suam nefariam, vel nefandos amores pellicere dum tentaret,
Tolle canis, inquit Pelagius, & scissa veste ostendit se malle pro Christo mori, quam vi-
tii inquinatum viuere. Cumque tyranni lenocinia nihil aduersus illius constantiam
proficeret, amore in furorem verso, imperat ministris, vt forcipibus ferreis strictū mem-
bratim scindant, atque in flumen proiiciant. Quod illi mandatum non pigre facientes, ab
hora diei tertia vsq; ad vesperam, non dicendis crudelitatibus in eum debacchati sunt.
Tandem amputatis tibiis, brachio, manibus, ceruice, in fluuium præcipitarunt, ex quo
Christianorum diligentia extractus, sepulturæ datus est. Caput in coemiterio S. Cypriani,
reliquum corpus ad S. Genesii sepultum est. Passus est die Dominico, hora decima, septi-
mo Calendas Iulii, Iesum Christum semper inuocans, natus annos xiv. menseis sex. Hac-
tenus ex commentario Resendii. Passionem huius sauctissimi martyris heroico carmine
descripsit Rhosuita, virgo nobilis de gente Saxonica, quæ per ea tempora floruit, sed rem
paulo aliter refert, nimirum quod Abderamen collecto exercitu in Galliciam profectus,
& victoria potitus, 12. Comites cum Principe ceperit, & aliis pacto precio dimissis, Prin-
cipi tantam imperauerit pecuniæ summam, vt soluendo nō esset. Quare ipsum duris con-
strictum vinculis, Cordubam secum adducere parauit, sed filius Pelagius senectus &
conditionis paternæ misertus, persuaso patre, vicaria seruitute ipsum redemit, & captiuus
Cordubam ductus est. De cuius pulchritudine cum nunciatum esset Abderamini, im-
purus homo nefando illius amore exardescens, adductum ad se adolescentem blandi-
mentis in amorem sui pellicere conatus, cum adeo nihil proficeret, vt osculum porrigen-
ti pugnum Pelagius impingeret, iussit furiosus tyrannus, vt funda machinali trans Ba-
tim fluuium eiaculatus scopulosis rupibus illideretur. Ex quo periculo Dei gratia cum e-
uafislet, regis iussu gladio percussus, martyrii coronam accepit. Corpus in aquam proie-
ctum à pescatoribus inuentum, ac Christianis magno venditum, & religiose sepultum,
plurimis claruit miraculis. Sic illa martyrium huius sancti refert: sed neque Princeps ca-
ptus est, neque Pelagius principis filius fuit. Verum non mirandum, si tam procul di-
stanti, res aliquanto aliter quam gesta est, relata fuerit, quum alioqui summa rei eodem
redeat.

- An. Dom.* Ordonius hac offensione magis irritatus quam territus, instaurato exercitu regione Barbarorum ingressus, magnam in illos cædem fecit, plurimaque illorū oppida sibi subiecit. Vnde præda onustus Zamoram reuersus, quantum voluptatis ex tam felici conceperat expeditione, tanto moerore affectus est ex morte vxoris, quam defunctam reperit. Sed tot belli decora, fraus illa obscurauit, qua Ordonius Comites Castellæ Nuniū Ferdinandum, & Almondarem Album cum filio huius Didaco ac Ferdinandō Ansuri, publica fide per speciem colloquii euocatos, primum in vincula coniecit, deinde neciedit. Habuit hic tres vxores, Geloiram siue Eluiram, Araguntium ex Galicia, quam repudiavit, Santinam siue Sanctiam, Garsiæ Eniei Nauarræ regis filiam. tandem Zamoræ rebus humanis sublatus, sepultus est Legione in ecclesia cathedrali.
398. Ordonii regnum Froila frater inuasit, eoque annum & menses duos potitus est. Hic ex vxore sua Muninadonia liberos sustulit Alfonsum, Ordonium, Ranimirum, & alium ex concubina, cuius nomen silentio oblitteratum est. Nihil hic laude dignum gessit. Filios Olmudi viri nobilis innocentes morte affecit, & fratrem eorum Fronimium, Legionensem episcopum, exilio insontem multauit. Tandem lepra percussus vitam ingloriam finiuit, sepultus Legione, cuius morte Legionensis episcopus suæ sedi restitutus est. Hoc tempore Castellæ prouincia propter scelus Ordonii regis in Comites suos admisum, à fide regum Legionensium defecit, atque ex nobilitate sua duos iudices communis consensu creauit, quorum alter de rebus ciuilibus, alter de bellicis cognosceret. Ii fuere Nunius Rasura, auus Ferdinandi Gundisalui, primi Castellæ Comitis, & Flauius Caluus, ab auus Roderici Diaz à Biuar qui Cidus cognominatus est. Nunius Rasura Castellæ veteris fines Pisorgam siue Pisoricam fluuium posuit, qui eam à regno Legionensi disternaret. In codice quodam admodum vetusto reperi, hunc Ordonium regem duos episcopatus, Mindoniensem & Legionensem instituisse. Quod de Mindoniensi facile credidrim: sed Legionensem restituit, non instituit. Nam Legionensis episcopatus in antiquis conciliis plurima fit mentio.
399. Froila defuncto, quia filii Froilæ nondum per ætatem regno maturi erant, regnum à proceribus aulæ Alfonso quarto, Ordonii regis filio, delatum est. Quod quum per annos quinque & menses septem administrasset, leuitate magis quam pietate ductus vitam monasticam ad diui Facundi professus, regnum fratri Ranimiro cessit, postquam ex vxore Ximena, filia Sanctii regis Nauarræ, Ordonium Malum sustulisset. Verum post pœnitentia ductus, quum ad regnum amissum aspiraret, à Ranimiro perpetuo carceri mancipatus est. Alii tamen, inter quos Lucas Tudensis, Alfonsum hunc & Ranimirum Froilæ filios fuisse affirmant. Quibus ego magis accederem, nisi iidem dicarent filios Froilæ, quia Alfonso fauebant, pariter cum illo excæcato.
400. Ranimirus frater, Alfonso oculis orbato atque in carcerem recluso, regnauit annos vnde uiginti, menses duos. Hic pœnitentia ductus eorum quæ in fratrem & nepotes admiserat, monasterium Diuo Juliano sacrum non procul Legione condidit, in quo illis quam diu vixerunt, omnia necessaria benigne ac pie suppeditauit, ubi & sepulti sunt, simul cum regina Ximena, Alfonsi quarti vxore. Principio regni, fines Toletanorum infesto agmine ingressus, Madritiū cepit & muris nudauit, ac spoliis onustus cum magno captiuorum grege ad suos reuersus est. Quare offensi Sarraceni, magnis copiis Castellam inuadunt. Quod quum Ferdinandus Gundisaluuus, magnus ille Castellæ Comes, qui ut forte Castellæ dominio cum titulo Comitis inaugurate fuerat, Ranimiro reginuntiasset, ille nihil cunctatus Comiti se iunxit, ac iunctis exercitibus copias Arabum apud Oxfomam ciuitatem fundunt fugantq; multis tamen illorum occisis. Hinc factū dicit Tudensis, vt Castellani iterum se in fidem regum Legionensium dederint. Postea cōtra Cesarauastam dicti principes coniunctis copiis profecti, Regulum Abenaia imperatafæcere coegerunt, & se suaque omnia in fidem & cienrelam Ranimiri dedere. Sed ille presenti metu ac periculo liberatus, fidem violauit, & Abderamini Miramolino cui iam ante sacramento militari obstrictus erat, iunctus, cum illo ad vastandam Castellam venit. Sed ad Septimancas fusi, die festo sanctorum martyrum Iusti & Pastoris, qui est octauo Idus Augusti, cecidere Barbarorum, secundum Tudensem & Toletanum, octoginta: secundum Pet. Ant. Beuterum, triginta millia. In Toletano manu scripto ponuntur septuaginta millia. Abenaia captus, Abderamen cum viginti tantum equitibus fuga sibi consuluit. Reliqui capti apud Alfondigam oppidum, quo se receperant. Hoc tempore fuit eclipsis solis per horam integrum.
401. Sarraceni hortatu & fauore duorum magnatum Legionensium, Ferdinandi Gundisalui & Didaci Munionis, per ripam Thormis agrum Salmanticensem ingressi, omnia longe

longe lateq[ue] de populatis sunt. Quod Ranimirus indignissime tulit, non tam ob Barba-
rorum insultum, quam quod suorum clientum instinetu factum esset. Proinde Barbaros
male multatos in fugam conuertit, nobiles vero carceri mancipauit, quos tamen paulo
post metu seditionis soluit, sed prius iuratos, se constanter ac fideliter in amicitia & ob-
sequio eius permansuros.

Hoc anno Abderaminem Miramolinum Hispaniæ, & Cordubæ Regem regnum in. 918.
ille aiunt, nimirum anno Arabum trecentesimo: verum hoc ratio historiæ non patitur.
Nam iam aliquot ante annis res gessisse, præter alios omnes, etiam ipse Archiepiscopus
Toletanus, ex quo hæc annotauimus, testatur: nisi velimus dicere, ipsum patris auspicis
10 a gessisse. sed ne hoc quidem verisimile vi detur, neque ullum eius rei testimonium in
autorisbus appetit. Regnauit quinquaginta annis.

Hoc anno, secundum historiam Compostellanam, fato concessit Sisnandus quartus 920.
Compostellanus episcopus, cuius tanta fuit fama sanctitatis, ut Ioannes Papa, opinor, de-
cimus (nam audiendi non sunt, qui decimum tertium fuisse dicunt) per literas & tabel-
larium proprium se precibus ipsius commendauerit. Mortuus est autem senio confe-
ctus. In cuius obitu, voces auditæ sunt angelorum canentium, Veni electe Dei, & intra
in gaudium Domini tui. Hic ecclesiam S. Iacobi amplificauit, & duo monasteria Com-
postellæ condidit, quorum alterum etiam hodie D. Martini dicitur, eo consilio, ut si quis
10 ecclesiæ seniorum sub regula ac disciplina D. Benedicti, criminum fortes penitentia
lachrymis expiare vellet, opportunitate loci non destitueretur. Extruxit & ptochodo-
chium, vel p[ro]tius gerontocomium, quod Louium S. Felicis appellatum est, quia in illo
S. Felicis reliquiae reconditæ erant: ut quicunque ex familia ecclesiæ Compostellanæ se-
nigrauarentur, illuc se ad quietem tanquam emeriti conferrent, & ecclesiæ facultati-
bus alerentur. Præterea quotquot reperire potuit ex genere eorum qui sanctum episco-
pum & auunculum ipsius tam nefanda proditione apud Regem detulerat, regio decret-
to & autoritate ecclesiæ Compostellanæ, ad obeunda seruilia ministeria in perpetuam
seruitutem tradidit. Successit illi Gundesindus quintus Compostellanus præsul, & Co-
mitis cuiusdam filius: sed hic dum mundo quam Deo magis deditus esset, vitam non fa-
tis p[ro] fine clausisse dicitur. De qua re mater eius matrona pia, graui confecta dolore, &
de anima filii vehementer solicita, ante aram beatissimi Iacobi Apostoli diuinam miseri-
cordiam dies noctesque non destitit implorare, & fletibus, precationibus, ieuniis, elec-
mosynis sibi demereri, interposito diui Iacobi patrocinio, donec quadam nocte in tem-
plo eiusdem Apostoli, vocem hanc audiuit: Scias filium tuum hac nocte ad electoru[m]
societatem admissum fuisse. Ex historia Compostellana. Gundesindo subrogatus est Her-
migildus sextus Compostellanus episcopus, de quo quæ in historia Compostellana legi,
quia mihi non solum notatu digna, sed etiam ad exemplū pertinere visa sunt, ad verbum
h[ab]it transcribenda duxi. Ea sunt huiusmodi. Hermigildus in episcopum electus, post elec-
tionem prauis desideriis huius præsentis exilii deditus, dum vixit, iniquitatis dominio
40 mentis colla submisit. Cum autem paulo ante diem sui exitus vehementi ira commoue-
retur, cuidam viduæ vnam vaccam cuius lacte se filiosq[ue] suos pascebatur, auferti præcepit.
Altera ergo die ei cum militibus suis inter epulas sedenti, dapifer suis vnum ex intestinis
illius vaccæ, quod Gallico vocabulo Duplicia nuncupatur, in scutella argentea inter alia
fercula apposuit. Ipse vero dapum diuersitate iam distentus, atq[ue] nectaris liquore ingurgi-
tatus, cum priori morsu appositæ duplicitæ quam comedere voluit, medio ventris, eis qui
intererant videntibus, crepuit. Postquam autem sepultus fuit, monumentum eius com-
bustum fuisse, à quamplurimis audiuiimus, & etiam ipsius combustionis signa propriis o-
culis ipsi conspeximus. Hæc ibi. In alio libro antiquo legi, quod œconomus huius episco-
pi, vaccam illam accepit à vidua octo filios habente. Quæ cum ad pedes Pontificis cum
lachrymis se proiecisset, nullam consequi misericordiam potuerit. Reliqua respondent,
10 sed illud adiicitur, quod Hermigildus iste præsul lumbos præcinctos non habuerit.

Ranimirus ultimo regni sui anno Talabricam in regno Toletano obsedit, cui dum 923.
Sarraceni resistere conantur, ad duodecim fere millia cæsi, septem millia capti sunt. Con-
fectis his bellis totus ad pietatis studia conuersus, monasteria aliquot condidit: primum
Legione iuxta Palatum regium, in quo Geloiram siue Eluiram filiam suam, ex regina
Tarasia, Garsie Tremuli Nauarræ Regis sorore, Deo dicauit: alterum Diuo Andreæ A-
postolo, & Diuo Christophoro sacrum, ad fluum Ceam: tertium in honorem sanctissi-
mæ Virginis, in ripa Durii. quartum in valle Ornæ, quæ nunc dicitur Destriana, inquit
Toletanus, Diuo Michaeli dicauit: Filium Ordonium Vrracæ, Ferdinandi Gundisalu[m]
Castelle Comitis filiæ, matrimonio iunxit.

An. Dom.

Ranimirus Ouetum orationis causa profectus, in morbum fatalem incidit. vnde Lc.
 924. gionem delatus, & sacramentis ecclesiasticis pie communitus, abdicato quod à fratre
 suscepserat regno, atque in hæc verba prorumpens cum lachrymis: Nudus egressus sum
 de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc: Dominus mihi adiutor, non timebo, quid far-
 ciat mihi homo: mox animam auctori suo reddidit. Sepultus Legione ad Diui Saluatoris,
 quod monasterium filiæ suæ, vt diximus, construxerat. Patris defuncti regnum excepit
 Ordonius tertius, quem Sanctius frater auxilio Regis Nauarræ auunculi & Ferdinandi
 Gundisalui Castellæ Comitis fretus, regno deturbare conatus est. Sed consiliis non suc-
 cedentibus, Ordonius rem tam indignam iniquo animo ferens, Vrracam vxorem Co-
 mitis filiam repudiauit, eique Eluiram superduxit, ex qua suscepit Veremundum Poda-
 gricum, regnauit annos quinque, menses sex. Mortuus est Zamoræ, sepultus Legione ad
 Diui Saluatoris. Huius tempore Regis, Almanzor Sarracenorum dux bellicosus, & pri-
 mariæ post Abderamenem autoritatis, cum exercitu numeroso contra Castellam venit,
 cui Ferdinandus Gundisaluuus Comes, nihil animo fractus, obuiam ire constituit, & ani-
 matis suis qui numero tantum trecenti erant, dum cæteri ad expeditionem se comparar-
 ipse venatum profectus, atque a prum ardentiis sequutus, ad monasteriolum Diui Petri,
 quod in ripa Aslantiæ fluminis vepribus ac dumetis obsitum latebat, forte delatus est.
 Quo cum peruenisset, religione motus loci, preces deuotas Deo cum lachrymis obtulit,
 patriam & se suosque omneis illi ex animo commendans. Mox à Pelagio monacho fan-
 ñto ad pauperem coenam inuitatus, totam noctem in precationibus & lachrymis tradu-
 xit. Postridie vero ab eodem Pelagio de fœlici euentu prælii certus, alacrisque ad suosce-
 uersus, magno animo in hostes ruens, tantam in illos cum tam exiguis copiis stragem de-
 dit, vt vix Almanzor ipse cum paucis effugerit. Quo tam felici successu latus, & spoliis
 diues reuersus ad suos, Pelagium monachum cum sodalito suo multis magnisque bene-
 ficiis cumulauit. Hoc fere tempore Burgensem ciuitatem à Comite Didaco, cognomé-
 to Porcello, conditam aiunt: sed F. Alfonsus Venerus conditionem siue instauracionem
 illius multo antiquiorem facit, nempe anno octingentesimo septuagesimo quarto. Or-
 donius Comiti Castellæ reconciliatus, auxilia illi mittit, quibus Sarracenos in ripa Durii
 ad Diui Stephani oppidum fudit.

927. Sanctius Auarca Rex Nauarræ fatali morte peremptus, siue (vt aliqui produnt) à Co-
 mite Castellæ in acie occisus, in quo confliktu & ipse Comes letali vulnere affectus fue-
 rat, obiit multis rebus præclare gestis. Cui successit filius eius Garsias qui Tremulus cog-
 nominatus est, quod in primo congressu præliorum contremiscere, & toto corpore per-
 horrescere sit solitus, quum alioqui in ipso confliktu fortissimus esset, & omnium maxi-
 me intrepidus. Michael Ritius temulentum cognominat, nescio an ipse satis sobrius. For-
 te tremulenti vocabulum quod apud scriptores alios inuenit, quo & Raphael Volaterra-
 nus vtitur, vitiatum putauit. Hic omnibus virtutibus egregio Principe dignis cumulatus,
 maximas saepe de Barbaris victorias consequutus est, & regnauit annis triginta quinque,
 tametsi Marinæus Siculus tantum viginti octo ponat. Vxorem duxit Constantiam, for-
 minam primariæ nobilitatis ex Asturiis, ex qua Sanctum Maiores sustulit, qui dictus 40
 est Imperator Hispaniæ, sepultus ad diui Ioannis à Pegna.

929. Ordonio tertio successit Ordonius quartus, filius Alfonsi quarti, cui Ordonio malitia
 sua & cognomentum Mali indidit, & regnum pariter cum vita ademit. Siquidem à San-
 ctio Crasso prope Cordubam occisus dicitur. Huic nulli adscribuntur anni, quia neque
 legitimus regni successor, & alioqui tam malus, indignus iudicatus est qui in Regum ca-
 talogo poneretur. Sanctius qui à mole saginæ qua prægrauabatur, Crassus cognominatus
 est, filius Ranimiri, & frater Ordonii tertii, regnauit annis 12. Qui tantæ pinguedi-
 nis impatiens, quum ad eam leuandam nihil intentatum reliquisset, ex consilio Garciæ
 Regis Nauarræ, ad Abderamenem Miramolinum & Cordubæ Regem facta cum eo
 pace profectus, atque honorifice susceptus, inter experimenta medicorum quorū em-
 rat apud Abderamenem magna turba, virtute cuiusdam herbæ curatus, atque ad ma-
 ciem deductus est. Postea reuersus, magna ab eodem auxilia accepit ad recuperan-
 dum regnum quod Ordonius Malus auxilio Comitis Castellæ inuaserat. Sed Ordonius
 auditio aduentu Sancti, vt erat animo degener, desperatis rebus ad Comitem sacerdotem
 suum fugit. Nam Comes Castellæ, filiam suam Vrracam ab Ordonio tertio repudiatam,
 nuptum illi dederat: sed perspecta eius ignavia, simul & filiam ademit, & illum finibus sui
 exclusit.

931. Almanzor memor acceptæ cladis, & maculam tantam abolere cupiens, non solum
 collecta in Hispania, sed ex ipsa vsque Africa euocata, tanquam pro communi afferenda
 reli-

religione, infinita Barbarorum multitudine, vastandam Castellam venit. At Ferdinandus Gundisaluuus Comes cum quadringentis quinquaginta equitibus & quindecim millibus peditum obuiam profectus, maiori eos quam prius clade affecit. Continuatum est per tres dies prælium, nisi quantum nox interualli reficiendis corporibus dedit. Postremo die diuus Iacobus in acie visus Christianis laborantibus opem ferre. Quod Pelagi monachus iam fato functus, in somnis Comiti futurum prædixerat. Nam Comes priusquam tam anticipi prælio se committeret, ad monasterium Diui Petri, de quo iam diximus, Pelagi precibus se commendatus accesserat. Quem ut cognouit mortem obiisse, & gre animo affectus, ab eodem in somnis confirmatus est.

Tarasia Regina Legionensis, Sanctii Auarcæ Regis Nauarræ filia, capitali odio in Co- 932. mitem Castellæ incensa, quod patrem ipsius occidisset, cupida vindictæ, per speciem benevolentiae persuasit illi, ut Sanctiam Garsiæ Tremuli filiam, neptem ipsius ex fratre, vxorem duceret. Quod coniugium cum Comiti haud aspernandum videretur, illa fratrem Garsiæ Nauarræ Regem clam per literas hortata est, ne occasione vlciscendæ mortis paternæ deesset, Comitem illuc ad petendam Sanctiam filiam eius ex pacto iturum, ne inimicum elabi è manibus inultum permitteret. Paruit consiliis sororis Garsiæ, & contra fidem datam Comitem in vinculis duriter habuit. Quod quum Sanctia Comiti sua causa contigisse cognouit, oblita sui sexus, oblita dignitatis, animo sumpto plusquam virili, acceptaque coniugii fide, Comitem carcere eductum in Castellam magno suo peri- 10 culo sequuta, & matronio iuncta, memorabile in omne ævum amoris ac fidei coniu- galis exemplum fuit.

Garsiæ Nauarræ Rex, tanquam ablatæ filiæ vindicaturus iniuriam, infesto agmine in 933. Castellam venit, sed commisso prælio captus, quod Comiti fecerat, vicissim passus est. Verum paucis post mensibus, vinculis filiæ precibus solitus, in regnum suum reuersus est. Cæterum de his rebus in historia Nauarræ nulla fit mentio.

Comes Castellæ à Legionensi Rege vocatus ad comitia, tametsi fraudem præ sagiret, 936. tamen potiorem fidei quam salutis suæ rationem dicens, septem duntaxat comitatus e- quibus, eo profectus est. Quo quum peruenisset, nihil fecellit euentus expectationem suam. Mox enim in vincula duci iussus est, atque in catenis adseruari, iuvidia stimulante. Quæ res cum male Castellanos haberet, Sanctia Comitis vxor per omnia sui similis, imo vero hac in re seipsa superior, maritum quoquo pacto liberandum duxit, & peregrinantis induita personam, Compostellam proficiendi religionis ergo finxit, factoque per Legionem itinere, primum copiam vidédi mariti sibi fieri postulauit, deinde petiit, ut ea saltem nocte sine catenis esset. Rex per omnia satisfaciendum voluntati tantæ matronæ duxit. Atilla postridie antelucano, mutatis cum marito vestibus, vicaria captiuitate illum liberauit. Cumque Comitem iam esse in tuto arbitraretur, Regi nunciat se in carcere teneri, rogare, ut solueret, neque durius quicquam in fœminam regiam & cognatam suam consulceret. Rex ubi dolum sensit, primo stomachari, mox admirari constantiam ac virtutem Sanctiæ, postremo laudata illius in maritum pietate, cum honorifice comitatu iussit ad 40 Comitem deduci. Ita bis maritum singulari pietate maximis periculis liberauit Sanctia, digna cuius laudes omnes libri personarent.

Hoc ferme tempore Sanctius Rex Castellam quam Ferdinandus Gundisaluuus in feu- 937. dum tenebat, ex foedere liberam esse iussit, propter æ alienum cui ipse soluendo non erat. Per eosdem fere dies Rex Sanctius, renouato cum Abderamene foedere, misit ad illum Velascum episcopum Legionensem cum aliis legatis qui peterent ab illo corpus Pelagi martyris, de cuius gloriose martyrio superius diximus. Quod post mortem illius Legionem allatum, à filio Ranimiro maxima cum veneratione depositum est in theca argentea, in monasterio quodam quod Rex ea gratia construxerat.

F. Alfonsus Venerus memoriæ prodidit, hoc anno ignem è mari ortum, in diuersas 939. Hispaniæ parteis Zamoram vsque diffusum, multa Hispaniæ oppida incendio consumplisse. Huius tempore Regis, Sarraceni Legionem obsedisse dicuntur, sed magna virtute repulsi, re infecta inglorii deceisisse.

Sanctius Gallecos rebelles domuit ad Durium usque, cumque Comitem quendam 940. Gundisaluum bello petiturus videretur, ille rebus suis timens, supplex ad Regem venit, seque & sua omnia illius fidei dedens, ad omnia imperata semper præsto se fore pollicitus. Sed aliud ore ac fronte præ se ferebat, aliud pectore celabat homo impurus. Nam postquam illi iam fides apud Regem erat sincera veræque amicitiae, omnis diuini atque humani iuris oblitus, venenum domino ac Regi suo in pomo miscuit. Quod ubi Sanctius hausisset, mortem imminere sentiens, Legionem properauit, sed tertio post die in

itinere obiit, sepultus Legione iuxta patrem, ad Diui Saluatoris. In libro quodam vetero reperi, Sanctum Regem cum Portugallensis regionis Comitibus sub iurisurando vinculo, firmæ pacis fœdus constituisse. In quo libro Gundisaluus qui venenum Regi suo miscuit, non Comes, sed Consul appellatur. Vbi quæ de Regis morte legi, tacenda non putaui. Fides penes autorem libri sit. Dicitur vero ibi Regina (Gudo appellatur, nisi mendosus est liber) maritum in itinere dum Legionem tederet, defunctum in ripa Minii homorifice sepeliusse, in monasterio de Castrelo (ita enim ibi legitur, sed medium suspicor) vbi cum ipsa Dei obsequio se cum aliis deuouisset, & sabbathis omnibus Deum pro Regis anima deprecaretur, Sanctum, maritum quondam suum, ante altare prostrata apparuisse, duabus catenis vincitum, tortidem diabolis hinc inde tenentibus, atque horram, ut perseveraret orate pro eo: recte enim facere. Post quadraginta deinde dies quos ipsa in ieiunio & fletu & eleemosynis transfererat, rursus sabbato die oranti ante altare visum, albis ornatum vestibus, & pelle quam ipsa cuidam sacerdoti in eleemosynam pro anima Regis dederat, ac testatum iam se à dæmonum potestate liberum, & nonnulla de paradi so atque inferno loquitum disparuisse. Quem cum ipsa veller amplecti, nec posset, partem pellis tulit, quæ ad diui Stephani in ripa Sili delata, atque in pelle sacerdotis decessu inuenta, miraculo fidem fecit abbatì & cunctis monasterii monachis, qui rem oculatae de sunt experti. Huius tempore Regis, Abderamenem Miramolinum & Cordubæ Regem mortuum tradunt. Cuius mortem Toletanus in historia Arabum aliquor annis posteriori facit, nempe anno Arabum 350. hoc est, anno Domini 968. nam superius primum annum illorum, anno Domini sexcentesimo decimo octavo posuimus. Sed suspicor Toletanum esse depravatum. Regnauit post eum Halihatan filius 16. annis, mensibus duobus.

941. Defuncto patri successit in regno Legionis & Asturiarum Ranimirus tertius, quo potitus est annis 25. Huius primo anno Normanni duce Guderico Rege suo, classe centum nauium in Galliciam ingressi, totam regionem, præcipue circa Compostellam, milite depopulati sunt, omnia igni ac ferro deuastantes, etiam Sisnandum archiepiscopum Compostellani occiderunt. Cumque iam præda & captiuis onusti, ad naues in patriam redituri properarent, à Comite Gundisaluo Sanctio præter opinionem oppressi, vna omnes cum Rege suo occidione cæsi, pœnas impietatis in Deum atque Apostolum eius diuini Jacobum dederunt: classis quoque eorum tota igni immisso conflagravit. Sisnandus iste qui à Normannis occisus est, Hermigildi successor fuit, & septimus Compostellæ præfus qui propter crebras Normannorum & aliarum gentium incursiones, Compostellam mœnibus ac turribus cinxit, & vallo ac fossis communivit. Sed cum nobilitate sua fretus (erat enim Menendi Comitis filius & Gundesundi episcopi nepos) tyrannū verius quam episcopum ageret, & facultates ecclesiasticas parentibus & quibus libebat, immoderate largiretur: à Rege Sanctio in carcerem tenebrosum datus est, & Rodosindus Cellæ uxæ monachus illi sufficiens, octauus Compostellanus episcopus. Sed mortuo Sanctio, Sisnandus vineulis solitus, armatus Compostellam festo natalis Domini est ingressus, atque in dormitorium vbi sanctus episcopus cum aliis senioribus & ecclesiasticis viris de more quiescebat, stricto in Rodosindum gladio caput illi dormienti præcidere voluit. Rodosindus ad tumultum ex parte factus, nihil animo turbatus, hæc illi verba dixit: Qui mihi mortifero gladio Sisnande minaris, mortifero gladio violenter confodiari. Mox episcopatu cedens, ad monasterium, tanquam ad portum tranquillitatis se recepit, vbi post aliquot annos vita sancte exacta, obdormiuit in Domino. Anno sequenti, Normannorum aduentu Dominica quadragesimæ nunciato, Sisnandus eos Fornellos usque sequutus, prælio adortus, sanctissimi Rodosindi maledictionis sagitta percussus, occisus est. Historia Compostellana, vbi dicitur hoc contigisse æra millesima decima sexta, hoc est, anno Domini 988. Sed numerus æræ procul dubio vitiatus est. Eodem anno hominem exuit Ferdinandus Gundisaluus, primus Comes Castellæ, atque eidem perpetuo honore celebrandus, sepultus ad diui Petri, quod monasterium ab Aslantia flumine cognominatum, ipse ædificiis & possessionibus amplificauit. Successit patri Garsias Ferdinandus, & ipse acerrimus religionis Christianæ & Castellæ vindicta. Præfuit Castellæ annis plus minus uno & quinquaginta. Primum illius prælium fuit cum Barbaris, ad Gormatium oppidum. In quo prælio res notata digna contigit. Nam Comes Garsias die quodam cum Saracenis acie conflicturus, ad rem diuinam audiendam cum templum adiret, forte aderat Ferdinandus Antolinus, vir præter antiquam nobilitatem, veræ virtutis obseruans simus, cui pro more erat nunquam egredi templo, donec finis officiis diuinis imponeretur. Comes peracto sacro, cum suis ad ineundum prælium proficiscitur. Ferdinandus

Antolinus orationi corpore pariter ac mente inhærens, nihil eorum quæ gerebantur, animaduertit, cum interim famuli qui cum equo & armis pro foribus astabant, ut est quem famulorum genus, domini moram incusarent, ignauiae non religioni adscribentes. Sed Deus Opt. Max. qui suos nunquam negligit, serui sui pietatem & innocentiam memorabili miraculo confirmavit. Nam dum ille precationi totus vacat, alius, nempe genius eius bonus, effigiem ipsius induitus, tam strenue res in eo conflictu gessit, ut omnes Ferdinando Antolino illius diei viatoriam acceptam ferrent. Cumque finito prælio quisitus non inueniretur (nam ille & re cognita, metu infamiæ se absconderat) apparuerunt inequo & armis illius omnia vulnerum vestigia, quæ ille ipsius personam induitus, in acie visus est accepisse. Quæ res & miraculum fecit insignius, & ipsius innocentiam ac pietatem magis illustravit, nec vano documento demōstravit, quanto plus aduersus hostium impetus sincera precatio & pura animi pietas, quam bellica virtus aut armorum strepitus possit. Quæ de vxore Garsiæ Argentina, alterius nuptias incesto adulterio sequuta, ad quam ipse vindicandam iniuriam peregrini habitu in Galliam profectus sit, quæque de Sanctia illius Argentinæ priuigna, cuius ope vxorem perfidam cum adultero occiderit, & candem Sanctiam vxorem in Castellam duxerit, in historia quam vocant generalem, referuntur: fabulosa esse arbitror, vel ex eo, quod Frater Alfonsus Venerus, citans partem testamenti ipsius ex archiuis ciuitatis Burgensis, vxorem eius Oniam appellat. Præterea addunt, dum abesset hic Comes ad vindicandam eam iniuriam, Saracenos cum numero ex exercitu Castellam ingressos, territorium Burgense longe lateque depopulatos esse, & monasterium Diui Petri à Cardenia solo æquasse, occisis in eo ducentis monachis, simul cum Donno Sanctio abbatte ex ordine atque instituto Diui Benedicti, quos Deo hostiam sanctam & acceptabilem obtulerunt. Horum tamen martyrium Frater Alfonius Venerus anno octingentesimo trigesimo quarto fuisse affirmat. Ut vt est, illud cōstat, monasterium ab hoc Comite instauratum, quod præterea trium insignium virorum sepultura nobilitatum est, Flauii Calui Iudicis Castellæ, Garsiæ Ferdinandi Comitis, de quo nunc agimus, & Cidi Roderici Dias. Huius tempore Comitis nobilitas Castellæ aucta est. Nam quum tempore patris ipsius trecenti, ut plutimum, equites nobiles fuissent, regnante Garsia quingenti atque etiam sexcenti fuerunt.

Hoc anno Abderamen Halihatan Rex Cordubæ mouit duodecimam persecutionem in Christianos dictos Mozarabes, de cuius vocabuli ratione iam dictum est. Hæc persecutionum in Hispania facta est. Edixit vero Abderamen, ut quicunque Christiani vivuerent in ditione Maurorum, vel abnegarent fidem Christi, vel morte pœnas luerent. Quotempore pro fide Christi Cordubæ passi sunt Aurelius, Georgius, Felix, cum uxoriis Natalia, Crescentia, & Lilio, mense Augusto. In oppido Bosca prope Nageram pro afferenda fide Christi gladio percussæ sunt, mense Octobri, sorores germanæ Nuniilio & Alodia, quarum corpora dicuntur in Italiam delata, adseruari Bononiæ. Breuiarium Hispalense dicit sequenti anno passas. Eodem tempore passus est consimile martyrium Beatus Victor, natus in oppido Cereso Burgensis diœceseos, qui precibus suis patrimonia decennali Barbarorum obsidione liberavit, sacris suis conciotibus multos apostatas & Saracenos ad Christi fidem conuertit. Corpus eius in municipio Villorado cum maxima veneratione colitur. In eadem persecutione martyrii coronam adepta est S. Eulalia virgo, cuius corpus colitur in Iacca, Aragoniæ ciuitate primaria. Sunt qui eodem tempore fuisse dicant martyrium ducentorum monachorum ordinis D. Benedicti, cum Abbatte Sanctio, in monasterio Diui Petri à Cardenia, cuius martyrii paulo ante meminimus. Hanc persecutionem aliqui ponunt anno octingentesimo quinquagesimo primo, sed non recte, ut mihi quidem videtur.

Hoc anno, aut circiter, quantum ex ordine historiæ colligere possum, mortuo Halihatan Miramolino Rege Cordubæ, successit filius eius Hissen, & regnauit annis triginta tribus, mensibus quatuor.

Anno regni decimo quarto Ranimirus uxorem duxit Vrracam, & per ætatem (nam quinquennis erat, quum regno inaugurus est) insolentior factus, matris amitæque consiliis obsurdescens, Comites Galliciæ contra se exacerbavit. Qui impatientes iniuriæ, Veremundum Ordonii filium, Compostellæ, ubi educatus fuerat, Regem creauerunt. Itaque regnum in duos diuisum, bellis ciuilibus atque intestinis maximo malo publico exardere coepit, quæ per biennium durauerunt. Semel collatis signis dimicatum, sed æquo Marte, neutro victoria inclinante, discessum est. Veremundus iram fratris fugiens, ad Almanzorem se contulit. Lucas Tudensis autor est, multis ex utraque parte desideratos.

An. Dom.

962. Mortuo Garsia Tremulo successit Sanctius Maior, qui posterius dictus est Imperator Hispaniae, de quo suo loco plura dicemus, regnauit annis 54. Eius exordium regni hoc anno posui, quamvis alii posterius ponant: quia priuilegium citat Galbertus monachus hoc anno factum, in quo se Regem appellat.

963. Circa hæc tempora Pelagius, Comitis Roderici Velasquii filius, ex Lucensi factus et nonus Compostellanus episcopus, qui cum seculari potentia & natalium splendore fietus, multa gereret officio suo indigna, & maiores ac seniores honoribus moueret ac despiceret, iuniores atque indignos sublimaret: à Veremundo quem Gallecia proceres Ordonio infensi, Regem sibi constituerant, episcopatu pulsus est, atque in illius locum subrogatus Petrus de Monsorio, abbas monasterii quod ante altaria vocabatur, à Beato Sisnando constitutum. Hic episcopus tanta virtute sanctitate, tam religiosis motibus omnibus præluxit, ut Veremundus eius virtutibus commotus, Compostellanæ ecclesiam, quicquid aliorum episcoporum temporibus amiserat, præceperit restituiri. Interea Rodericus Velasquus & pater Pelagii episcopi cum cæteris Consulibus huius prouinciae, Saracenos cum duce eorum Almanzore in Galleiam euocauerunt. Qui Compostellam profecti, maiorem partem parietis ecclesiae S. Iacobi diruerunt, intacto tamen sacratissimo ipsius altari. Cæterum Apostolus, ne se tantum scelus inultum abstulisse gloriarentur, tanto eos dysenterię morbo percussit, ut plurimis morbo consumptis, pauci in patriam reduces fuerint. Almanzor vbi tantam suorum cladem vidit, suos dicitur consuluisse, quisnam ille esset tantæ internectionis autor. Qui responderunt, unum ex discipulis filii Mariæ virginis ibi sepultum. Quo ille audito, pœnitentia terum gestarum ductus, fugam quam maxime potuit, acceleravit. Sed in itinere repentina correptus morbo, apud Medinam Celi, vbi sepultus est, animam in sinum Mahometis infeliciter tradidit. Rex continuo pietate motus Compostellam venit, & ecclesiam Apostoli dirutam, Petro episcopo adiuvante, instauravit. Qua post instaurationem consecrata, Petrus episcopus obdormiuit in Dominio. Successit illi Pelagius Didaci, qui propter superbiam, interueniente Dei iudicio, principibus terræ ignominiose eiectus est. Huic Vimara frater successor fuit. Sed & hunc prætextu religionis non Deo, sed commodis suis seruiret, siue casu, siue proditione, in Minio demersus est. Post quem rex Compostellanam ecclesiam alius quidam ex familia Vimarae, cuius nomen literis proditum non inueni. Hic à Veremundo Rege proper sceleris sua vinculis traditus est. Hæc omnia ex historia Compostellana.

965. Ranimirus morbo correptus obiit Legione, conditusque est in monasterio Defensione, cuius iam mentio facta est: decepsit vero sine liberis. Proinde regni successio ad Veremundum Ordoniū tertii filium lege rediit, qui regnauit annis septemdecim. Interea Alcoraxis Rex Hispalensis Portugalliam totam infesto agmine depopulatus est, atque in Galleiam transgressus, Compostellam usque peruenit, ac ciuitatem diruit. Propter quod piaculum simul omnes tam atroci infirmitate cœlitus percussi sunt, ut nulli aut perpauci superstites in patriam reuersi fuerint. Veremundus Rex multas virtutes quibus prædinus erat, hoc vitio deformauit, quod delatoribus plus nimio attentas laures accommodare. Idem Veremundus duabus sororibus incesto cœcubitu se miscuit, ex quârum altera sustulit Ordonium, ex altera Eluiram. Postea duxit uxorem Velasquitam, ex qua Christiana pater fuit, quæ nupta Ordonio Cæco, Ranimiri Regis filio, peperit Alfonsum, Ordonium, Pelagium, Alfonsam. Alfonso vero ex Pelagio diacono Froilæ filio enixa est Comitem Petrum Ordonium, Pelagium, Munionem, matrem Comitis Sueri ac fratris eius, & Tarasiam Comitem, qui Infantes Carrionis appellantati sunt (Infantes appellant Hispani Regum filios & nepotes) quia mater eorum Carrionis domina erat, in qua urbe templum D. Pelagio ædificauit. Post repudiata Velasquita, Eluiram adulterino connubio sibi sociavit, ex qua Alfonsum ac Tarasiam suscepit. His principis peccatis tam nefariis Deus infensus, acerrimum Christianis hostem excitauit, qui proprio nomine Mahometes Ibne Abéhamur dictus est. Sed quia Hisseñ Miramolino adhuc puero adiutor datum est, Althagib appellatus fuit, quod perinde sonat, ac si proregē dicas. Penes hunc summum erum erat: Hisseñ vero etiam adultus nomine ac titulo tenus imperabat. Hic cum bellcosus esset, Almanzorē, hoc est defensorē se iussit appellari. Viginti sex annis imperium exercuit. Quo annorum spacio bis & quinquages Christianorum fines ingressus, & magna eos clade affecit, Legioni, Castellæ, ac Nauarræ formidabilis. Huius metu Christiani corpora sanctorum Pelagii, & Froilani episcopi, & Regum defunctorum, Legioni atque Asturica in Asturias transtulerunt, præsagientes id quod accidit, Almanzorem sequenti anno ad expugnandam Legionem venturum. Quam obsedit, & captam portis actribus nudauit. Quo tempore Gulielmi Gundisalui Comitis Galleiae præfato

animi virtus apparuit. Cui cum grauiter ægrotanti periculum vrbis nunciatum esset, le- *An. Dom.*
cticase ad eam partem, vbi maxime laborabatur, armatum deferri iussit, atque ex ea vr-
bem per triduum fortissime defendit, neq; minus fortiter pro patria mortem oppetiit.

Rodericus Velasquez, vir apprime nobilis genere, sed animo degener, instinctu Lam- 969
bræ vxoris, in odium Gundisalui Gustii leuiri sui & septem filiorum qui Infantes Laræ si-
ue de Salas dicti sunt, inflammatus, patrem cum filiis Sarracenis prodidit. Pater nihil su-
spicans mali, per speciem legationis cum epistola proditrice, Bellerophontis instar, ad Al-
manzorem missus, quum iussus esset occidi, Almanzore tantam perfidiam detestante, in
10 carcere seruatus Cordubæ, atque ibi liberaliter habitus est. Filii cum nutritio Nunio Sa-
lido simulata expeditione, in Barbarorum insidias deducti, atque à Roderico auunculo,
cuius hortatu eo profecti erant, destituti, quum viuos se dedere Sarracenis nollent, ma-
gna in illos edita strage, fortiter omnes occubuerunt. Capita Cordubam delata, & patri
in carcere ostensa, calamitatem eius geminarunt. Sed Almanzor misertus vicem Gundis-
alui Gustii, eum muneribus ornatum liberum ad suos remisit. Verum non inultum tam
nefarium scelus fuit. Siquidem pater ex Maura quadam eius obsequio destinata, quæ cre-
dita est Almanzoris soror, filium sustulit cui Mudarræ Gundisaluo nomen fuit. Hic adul-
tus euasit in virum strenuum & patris iniuriam ac fratrum necem fortiter vltus est, occi-
so Roderico Velasquez: postea Lambram post mortem Garsia Comitis Castellæ, cui illa
sanguine iuncta erat, viuam combussit.

Almanzor, vastata Lusitania, populabundus in Galliciam transit Compostellam vs- 975
que, quam ciuitatem miserando deformauit incendio, ipsum quoque sanctissimi Apo-
stoli venerabile sepulchrum violaturus, nisi fulmine repantino deterritus fuisset. Cam-
panas minores in symbolum victoriæ abstulit, quæ in Mezquita Cordubensi pro lampadibus essent. Sed non inultum tam impium sacrilegium extitit. siquidem totus fere exer-
citus dysenteria extintus est, cui malo qui superfuere, peste perierunt. Almanzor victo-
riam ingloriam & calamitosam domum retulit. De hac re & obitu Almanzoris paulo an-
te diximus.

Almanzor collectis in maioribus copiis, rursus ad vastandam Castellam venit, cui Re- 981
ges Legionis & Nauarræ coniunctis viribus obuiam iuerunt, & cõmiso acri prælio quod
noctis interiuētu diremptum fait, ad eas angustias Almanzorem redegerunt, vt turpi fu-
gasibi suisq; consulere coactus sit. Quæ res tam ægre illum habuit, vt paucis post diebus,
tantæ ignominiae impatiens, inedia vitam finierit. Successit illi in administratione rerum
(nam Hissen Miramolinus adhuc in viuis agebat) Abdemelic filius, qui superuixit patri
annis sex, mensibus octo. Superius ex historia Compostellana diximus, Almanzorē, dum
a templi Compostellani vastatione, suis fere omnibus dysenteriæ morbo amissis, fugeret,
apud Medinam Celi vita defunctum. Alii hæc quæ modo diximus, referunt de morte
ipsius. Sequatur prudens lector, quod magis arriserit. Illud tamen non tacebo, historiam
Compostellanam multo antiquiorem Tudensi & Roderico Toletano, & apud me ma-
ioris esse autoritatis. Quin & Lucas Tudensis autor est, Almanzorem dysenteria periisse,
decimo tertio quam Christianos afflixerat anno, & addit illum ter & quinquages contra
Christianos mouisse. Postea sibi non constans, hæc repetit quæ modo diximus, & di-
cit apud Medinam Celi mortuum. Feri potest vt & alii eo tempore duces Arabum Al-
manzores sint appellati, presertim quum virtutis ac dignitatis cognomentum fuerit. Ab-
demelic rursus cum exercitu Legionem venit, ad diruenda illa quæ pater intaeta relique-
rat: sed à Garsia Comite Castellæ magna virtute repulsus, nunquam postea Christianos
bello lacefere ausus fuit.

Hispania maxima siccitate & reifrumentariæ angustia laborauit. Eius rei causa fuit, 982
quod Rex falsis delationibus captus, Gudesteum siue Gudestinum Ouetensem episco-
pum, sede sua exturbatum, in vinculis haberet. Quem vt solutum sedi suæ restituit, mox
terra pluviis irrigata, & magna omnium rerū vilitas sequuta est. Eodem anno Veremun-
dus qui à podagra qua grauiter torquebatur, Podagricus appellatus est, extremum vitæ
diem clausit, peccatis poenitentia expiatis, in oppido Berizo, vbi sepultus, paulo post à fi-
lio Legionem translatus, & communī cum vxore Eluira monumento conditus est.

Post patris obitum regno inaugurus est Alfonsus quintus, coq; functus annis 27. & 983
iam adultus vxorem duxit Geloiram siue Eluiram, filiam Menendi Gundisalui Comitis
Gallecie & vxoris eius Maioris, à quibus educatus fuerat: ex qua Veremundum regni he-
redem, & Sanctiam Ferdinandi Magni vxorem, filios habuit, per quam morte fratri re-
gnum Legionense regno Castellæ vnitum est. Hic Alfonsus sororem Tarasiam reniten-
tem atq; inuitam, Abdaliæ Sarracenorum apud Toletum Regi nuptū dedit, pactus ab eo

An. Dom. auxilia contra Regem Cordubæ. Verum cum Abdalia virginis florem delibare vellet, neque monentem, ne virginem Christo desponsatam vitiaret, alioqui non inultum fore, audiret: repente grauissimo correptus morbo, quum de vita se periclitari sentiret, illam multis muneribus cumulatam, Legionem ad fratrem remisit. Quæ in parthenonem D. Pelagii se conferens, & inter monachas nomen professa, reliquum vitæ sanctissime traxit.

987. In Chronico quodam perantiquo hæc verba reperi: Aera 1025. Almázor Iben Amer cepit Conimbricam tertio Calendas Iulii, & sicut à multis senibus audiuiimus, deferra fuit annis septem, postea reædificauerunt eam Ismahelitæ, & tenuerunt eam annis septuaginta. Hæc ibi. In Alcobaciensi quoq; codice hæc verba reperi: Almanzor cepit Columbriam æra 1025. quarto Calendas Iulii. Quod quanquam non conueniat cum numero annorum quem sequuti sumus, tamen annotandum duxi. Diximus enim sequuti hitto-rias vulgatas, Lusitaniam ab eo vastatam anno 985. quin & alii triennio ante factum aiunt. Imo vero Rodericus Toletanus Archiepiscopus sibi ipsi non constat. Nam in historia Gothica ponit mortem Almanzoris, quo tempore nos posuimus: in Arabum historia, anno Arabum 367. qui cadit in annum Domini nongentesimum octogesimum quintum. Abdemelic rebus humanis sublato, successit in principatum Abderamen frater eius, qui ob malitiam & vitia quibus inquinatus erat, nondum exacto quinto mense, à suis occulis est. Hic autem erat trigesimus tertius annus imperii Hissen, quo anno multis ad impe-rium Arabum aspirantibus, ipse deturbatus est: Zulema vero auxilio Sancti Comitis Ca-stellæ, tandem regno potitus est, cum magna strage Barbarorum. Sed & ipse paucis inter-iectis mensibus, ab Abmohadi regno exutus est.

988. Diffidium inter Garsiam Castellæ Comitem & Sanctium filium exortum, magnam Barbaris saeuendi in Christianos fenestram aperuit. Quam occasiō tam opportunam non negligentes, Abulam, Cluniam, ac Diui Stephani municipium occuparunt. Cuius rei indignitatem non ferens Garsias Comes, cum iis quos secum paucos habebat (nam Castellani in diuersa studia scissi erant) in hosteis ruit, quumque propter paucitatem suorum vincere non posset, fortiter pro patria pugnans captus est, & plurimiis iisque letalibus affectus vulneribus, ex quibus paucis post diebus expiravit. F. Alfonsus Venerus ponit mortem eius anno 995. Successit in eius locum Sanctius filius, omnibus egregiis principiis dotibus ornatus, qui patris mortem grauiter ferens, nihil sibi duxit antiquius, quā vt eam primo quoq; tempore vlcisceretur. Proinde cōuocatis auxiliis Legionensium & Nauarorum, graueis expeditiones in Toletanos & Cordubenses ac maiores prædas egit, quæq; deprædari non poterat, ferro ac flammis depopulatus est. Corpus patris à Sarracenis redemptum, ad D. Petri Cardeniensis honorifice sepeliebat. Huic mater amore cuiusdam Principis Sarraceni flagrans, eiusq; nuptias ambiens, venenatum poculum parauit, ne quid obstaculi esset tam scelerato cōiugio. Quod quuin ipse animaduertisset, matrem adegit, vt poculum quod filio miscuerat, ipsa hauriret. Sic ipsa suo nocens exemplo perii. Cuius rei pœnitētia ductus, Oniense monasterium condidit, atq; ab Onia matre sic cognominauit, eique monasterio filiam suam Tigridiam præfecit. In quo & ipse vita defunctus sepeliri voluit. Hoc monasterium ex parthenone, paulo post, monachorum diu Benedicti regulam profitentium habitaculum factum est.

1002. Apud Arabes multis imperium sibi vendicantibus, & aliis alio inclinantibus, intestina seditione grauiter per hos annos laboratum est.

1003. Alfonsus Rex Legionensem ciuitatem instaurauit, & Regum defunctorum corpora quæ Arabum metu in Asturias asportata fuerant, Legionem referri iussit, atque ad Diui Ioannis Baptista, quam ecclesiam ipse condidit, sub altari Diui Martini reponi. Corduba post Hissen regnauit Zulema, post hunc rursus Hissen, quo iterum expulso, Hali, post Hali Cazin, simul cum Abderamene. Sed Abderamen à suis desertus, atq; in prælio contra Granatenses occisus, soli Cazin imperium reliquit. Post hunc Hiaias, post Hiaiam Abderamen mense uno, diebus septendecim. Deinde Mahometes quidam anno uno, mensibus quatuor. Post hunc Hissen annis duobus, diebus quatuor, postea expulsus. Postremo quidam Humeia magna iuuenum caterua stipatus, regem se salutari iussit. Cumquesi monerent, vt tempori cederet, totam ciuitatem intestina seditione misceri, ac proinde vitæ periculum imminere: Hodie, inquit, me Regem agnoscite, & cras, si lubet, interficiete. Quo non homines impellit ambitio! atq; hic regni Cordubensis finis fuit. Ab hoc enim tempore, vt quisq; Arabum potestate ac fauore plebis præstabat, ita imperium & regium titulum alibi atq; alibi usurpabat.

1010. Alfonsus Rex dum Viseum in Portugallia obsidens, die quodam incautius sine armis urbem

rbem circunlustrat, sagitta in scapulis letaliter iactus, vitam finiuit: vnde soluta obsidione Legionem delatus, iuxta patrem ac matrem sepultus est. Veremundus tertius patri successit, regnauitque annis decem, cuius præcipuum studium extitit in oppidis, ecclesiis, ac monasteriis quæ à Sarracenis diruta erant, instaurandis. Vxorem habuit Tarasiam, Sancti Castellæ Comitis filiam, ex qua sustulit filium Alfonsum, qui puerili ætate decessit.

Mortuo Sanctio Comite Castellæ, filius Garsias paternum principatum excepit, vix 1011. dum natus annos tredecim. Qui dum ad Veremundum Regem proficeretur, ducaturus vxorem Sanctiam Veremundi sororem, Legione secundum aliquos in porta ecclesiæ S. Salvatoris, à filiis Comitis Velæ siue Vigilæ, quem Ferdinandus Gundisalvus Comes propter insolentias principatu suo exterminauerat, atque apud Barbaros exulare compulerat, per proditionem occiditur. Qui letale vulnus dedit, Rodericus Vela, siue Vigila, susceptor Garsiae ex sacro baptismo lauacro erat. Fuere vero tres tanti sceleris autores, Rodericus, Didacus, & Eniecius, quos Sanctius Maior Rex Nauarræ, diris exemplis apud Monzonem oppidum trucidavit. Idem Sanctiam Veremundi sororem ac Garsię Comitis sponsam, filio suo Ferdinando despöndit, per quam regnum Legionis regno Castellæ iunctum est. Mortuo Garsia Comite, Sanctius Maior Rex Nauarræ, nomine uxoris suæ Eluiræ, vel secundum alios Maioris, quæ Sanctii Comitis filia erat, dominium Castellæ accepit, seque non Castellæ Comitem, sed Regem scripsit. Atque ex eo tempore non Comites, sed Reges Castellæ appellati sunt.

Sanctius Castella potitus magnas expeditiones in Mauros egit, quos Cordubam usq[ue] persequutus, magnis cladibus affecit: vnde gloria plenus & spoliis onustus domum triumphabundus reuersus est. Sed ut nihil est ab omni parte beatum, tanti triumphi lætitiam domestica funestauit calamitas. Contigit enim ut Sanctius in militiam proficiens, equum quem habebat ut præstantissimum, ita charissimum, Reginæ solicite commendaret. Nam id temporis propter continuos bellorum motus, & nec opinatos Sarracenorum insultus, tam Reges quam nobiles, equos & armæ eodem quo thalamum loco habebant, ne mora esset, quin audito classico, continuo in procinctu essent. Absente patre, filius Garsias è tribus natu maximus, pulchritudine illectus equi, copiam illius a Regina matre fieri sibi poposcit. Mater in petitionem filii prona concessit, sed monita mox à prefecto vel domus regie vel equorum, quem Petrum à Sesse nominatum ferunt, molestum id Sanctio fore: quem prius equum filio concesserat, negauit. Quare Garsias graui succensus ira, suspiciones in matrem atrocissimas atque ab omni pietate alienissimas concepit, matrem alterius secretis monitis filii preces posthabuisse, non de nihilo esse, quod prefecto equorum, quam filio suo primogenito gratificari maluerit. Vnde hac nisi ex clandestina cum illo consuetudine nasci? Deinde quæ tam nefarie suspicabatur, mox ira stimulante, verasibi esse persuadet, & matrem cuius etiam famam omni studio tueri debuerat, innocentem adulterii team apud patrem, vbi primum reuerteretur, age-re constituit. Et ut delationi fides constaret, Ferdinandum fratrem in societatem sceleris pellicere conatur. Sed Ferdinandus atrocitate rei percussus, primo scelus adeo nefarium detestari, deinde fratrem à tam execrandis consiliis dehortari, quorum ipsa quoq[ue] recordatio esset horribilis: postrem cum surdo caneret, monere sua illa vt ita misceret, ne ipsum admiseret. Sed Garsias fratrem vrgere non destitit, donec iureiurando se astrinxit, saltem non proditum scelus fraternum. His dolis instructus & furoris stimulis exagitatus, matrem nihil minus cogitantem, falsissimi criminis apud patrem accusat. Perculsi res inopinata Regis animum, idque eo magis, quod Regina nullam unquam sibi nistri rumoris in se fabulam dedisset. Cumque hinc Reginæ celebrata pudicitia & integra semper fama criminis fidem detraheret, illinc filius non de nihilo matris nomen de adulterio delaturus videretur: Rex diu animo suspensus neutro satis inclinavit, donec rogatus ea de re Ferdinandus, magis non affirmauit, quam negauit. Tum vero Rex grauioris suspicione ac dolore commotus, Reginam in vinculis diligenter adseruari iubet; ipse rem omnem ad nobilium & magnatum concilium defert, & quid ea de re faciendum ipsi videatur, rogat. Omnia communi sententia statutum est, vt regina vel armis aut legibus se suamque pudicitiam tueatur, vel lignibus incesta tradatur. Sed quum nemo inueniret ut qui vel armis vel iure contendere cum Regis filiis auderet. Ranimirus Sancti Maioris (vt Aragonensium rerum scriptores contendunt) ex alia uxore (vt alii affirmant) ex concubina filius, miserrus nouercæ vicem, de cuius innocentia iam propemodum si bi constabat, causam illius defensurum se præter omnium opinionē profitetur, & fratres ad singulare certamen prouocat. Cæterū dum causæ discutiuntur, dum omnia ad duellū

necessaria comparantur, forte monachus quidam, vir spectatæ virtutis, & magnæ apud omnes ob vitæ merita autoritatis, filios Regis clam aggreditur, ac proposito Dei formidando iudicio, & atrocitate rei ob oculos posita, declaravit, quam ab omni humanitate fit alienum, matrem falso accusare: quam certa atq; severa Dei vindicta eos maneret, quā cito sint perituri qui matris innocentiae atrocissimi criminis labem asperserint, nisi matre resipiscant: hōc dedecus non ad Reginam tantum pertinere, sed ad ipsum etiam Regem, atque adeo ad Hispaniam totam, cuius statum iam profligatis hostibus quietū, tam nefando scelere perturbassent. His atque aliis rebus propositis, ita illos commouit, ut pccatum suum multis cum lachrymis ac suspiriis sint confessi. Mox patris genibus adnoluti, veniam supplices deprecati sunt. Rex condonaturum se negauit, tātis per dum veniam à Regina matre, quam adeo crudeliter offenderant, impetrarent. Quin si ius suum ipsa persequi vellet, eodem illos affecturum supplicio, quod illi lege statutum erat. Porro Reginatum Regis & multorum nobilium, & præcipue monachi illius precibus mota, tum vero filiorum suorum lachrymis ac singultibus, & animo materno victa, veniam hac lege dedit, vt Ranimirus Aragoniam cum titulo Regio virtutis suę mercedem acciperet. Garsias tanti sceleris auctor, Castellæ, hoc est, regni materni hæres ne esset. Quod cū omnibus, etiam filiis placeret, ipsa Ranimirum cui s̄epe benedixit, filium ac legitimū hæredem sibi adoptauit. Atque hoc regni Aragonum initium fuit. Sed sicut virtus Ranimiri præmio donata est, ita non inultum tantæ impietatis facinus extitit. Nam Garsias postrius à fratre Ferdinando in prælio fuit occisus, vt latius suo loco declarabitur. Sanctius Maior certior factus quod virgines Deo dicatae in monasterio Oniensi, non duceret vitam professione sua dignam, consilio suorum & autoritate summi Pontificis, monachis Diui Benedicti regulam seruantibus dedit, missio prius in Galliam Paterno sacerdote, viro probatæ vitæ, cum aliis duodecim viris religiosis, ad monasterium Cluniacense, qui ritus omneis & disciplinam regulæ Diui Benedicti diligenter perdisserent. Quibus reveris monasteriū Diui Ioannis à Pegna dedit. Monasterio vero Onensi prius Garsiā quendam præfecit Abbatem, deinde fama sanctitatis B. Inachi motus, qui in montosis Aragoniæ locis vitam degebait ab omni mundano strepitu procul semotam, quum per nuncios nihil proficeret, ipse eo profectus inuitum ac reluctantem ad suscipiendum Oniēsis monasterii regimen abduxit. Quam prouinciam vir ille diuinus ea vitæ integritate ac sanctimonia exegit, vt inter sanctos merito relatus fuerit. Idem Rex Palentiam instaurauit, atq; ibi ecclesiam cathedralem in honorem S. Antolini condidit, multisque possessionibus ac priuilegiis donauit, atque inter cætera, vt episcopus etiam Comes esset. Instaurandæ vero ciuitatis & ecclesiæ Palentinæ hanc fuisse occasionem ferunt. Cum Sanctius Rex venerationi operam daret, forte aprum ardenter insectatus, ad locum usque persecutus est, ubi olim D. Antolini ecclesia fuerat. Sed Rex totus in aprum intentus, ac religionem loci nō animaduertens, dum altari acclinantem traiicere venabulo parat, brachium sibi diriguisse subito sensit. Mox cognito errore suo, ante altare prostratus, Dei misericordiam ac S. Antolini opem tantis cum lachrymis implorauit, vt confessim brachii usum receperit. Pro quo beneficio, simul & expiando delicto suo, ecclesiam Palentinam magnifice pro tempore extructam, dignitati pristinæ restituit, & Palētiam ipsam ex sylua ciuitatem frequentem fecit. Habuit hic Rex quatuor filios ex diuersis vxoribus, Garsiam, Ferdinandum, Sanctium, Ranimirum. Quibus regna sua diuisit, & Garsiā quidem dedit regnum Nauarræ: Ferdinando, Castellæ: Sanctio, quem alii Gundisaluum appellant, Vasconia siue Suprarbororum: Ranimiro, Aragoniæ, quæ ad id usque tempus Comitatus, non regni titulo, sicut Castella, censematur. Hic Sanctius Hispaniæ Imperator appellatus est, redactis ad eius imperium omnibus Hispaniæ ditionibus, quæ Christiani nominis erant. Eum duas habuisse vxores lego: alteram Vrracam, ex qua fortasse Ranimiri pater fuit: alteram Eluiram siue Geloiram, Sanctii Castellæ Comitis filiam, quam alii Maiorem appellant. Ex qua Castellanæ historiæ scriptores duos filios sustulisse scribunt, Garsiam & Ferdinandum: Aragonenses tertium addunt, Sanctium. F. Galbertus Fabritius eum Caiam habuisse restatur vxorem ex nobilitate Aragoniæ, ex qua suscepisse Ranimirum. Sed si hoc verum est, tres habuerit uxores necesse est, quum idem diploma huius Regis ponat, in quo Regina Vrraca subscribit. Sanctii Comitis filiam, cum qua Castellam dotalem accepit, nemus scriptorum quos ego quidem vidisse meminerim, Vrracam appellat. Sanctii Maioris mortem alii anno 1016. alii 1017. alii 1018. alii 1020. ponunt: nobis in tanta autorū diuersitate nihil pro comperto affirmare licet.

Orta inter Regem Legionensium Veremundum & Ferdinandum Regem Castellæ

discordia de finibus regnum, eo creuit, ut vtrinq; ad arma ventum sit: collatisq; signis ad Carriónem fluuium, Veremundus in acie ceciderit, atq; eius morte Ferdinandus Rex Castellar nomine vxoris Sanctiæ, quæ Veremundi vnica soror & hæres erat, Legionis accessione locupletatus sit.

Ioannes Vasæus candido Lectori S.

Hactenus priorem tomum prosequi visum est, in quo ne te offendat Lector charissime, quod in annorum subducendo calculo à vulgatis autoribus nonnihil variatum sit. neq; enim sine vetustissimorum codicum autoritate factum est. Quamquam alioqui differentia hac, ubi maxima, quatuor annorum, aliquando trium, nonnunquam duorum annorum, aut etiam unius est. Eam ex eo natam arbitror, quod Pelagii regnum alii ab anno supra septingentesimum decimo sexto, alii decimo nono auspicantur. Ego numerum quem primum in Isidoro Pacensi, vetustissimo earum rerum quæ circa excidium Hispanie contigerunt, scriptore, deinde in aliis antiquissimis Chronicis reperi, perpetuo tenore sequutus sum. In rebus Navarre & Aragonum quia inexplicabilis annorum confusio erat, eum numerum seruavi, non qui verissimus esset, sed qui vero proximus videretur. Reliqua fere cum aliis conseniuunt, nisi quod quædam quæ fabule plus habebant quam historia, consulto resecui. Praterea sicuti à receptione Chronicis dissensio, gravium virorum autoritate, quæ dico, confirmata sunt. Quem laborem meum qui certe maior fuit quam quisquam facile astimare posset, si gratum tibi fuisse cognouero, sedulo curabo, ut reliquam Chronicæ partem propediem habeas. Vale candide Lector, & fruere.

I D E M E I D E M .

CV primum hoc opus excudi cœptum est, non ignarus, quam fallax & labilis sit humana memoria, quam multa soleant etiam intentissimos oculos & maximam hominis diligentiam fugere, præter alias amicos, etiam oraui virum grauissimum atque crudelissimum Didacum Neilam, canonicum Salmanticensem, vt totam hanc lucubrationem accuratius perlustraret, & deposita paulisper amici persona, censoriam virgulam sumeret, ac si quid erratum vel à me vel à Typographis, si quid obscure vel ambigue distum, si quid denique quod scrupulum lectori quocunque modo facere queat, reperioret, id obelisco vel iugularet, vel saltem notaret. Dedit vir humanissimus hanc operam amico non solum libenter, sed etiam bona fide atque accurato iudicio, & paucula quædam deprehendit, quæ te, lector amice, si non offendere, certe remorari posse videbantur. Ea in gratiam tuam subiectis annotatiunculis partim explicare, partim eliminare volui, ne non tibi per omnia videar satisfecisse. Vale & hanc quoque diligentiam meam boni consule. Pag. 576. lin. 34. Gallia Togata erat non Italia] Non ignoror Patavium Plinio in decima Italiam regione poni, & Italiam eidem à Varo fluuiio incipere: sed veterum opinionem sequor, quibus Gallia Cisalpina prouincia erat extra Italiam, & Rubicon fluuius Galliæ Cisalpinæ sive Togata atque Italiam terminus. Quod ex autoribus antiquis clarius est, quam ut probandum sit, ne ipso quidem Plinio refragante, Rubiconem quondam sive Italiæ finein. Si cui tamen hoc non placebit, pro Italiam, legat, Latii. Pag. 595. lin. 12.

Calpen & Abylam] Pomponius Mela ipsos montes columnas Herculis appellat, idque bis, nempe lib. 1. cap. 5. & lib. 2. cap. 6. Sed ego Diodorum Siculum sequutus sum, qui libro quinto scribit, Herculem peragrata maiori parte Africæ, ad Oceanum qui est ad Gades, peruenisse, ibique positis ab utraque continentis parte columnis, cum exercitu in Hispaniam transiisse. In qua opinione est & Pindari interpres Græcus, quamuis post vestigatos ibi Geryonis boues positas dicat, ut etiam annotauit in Chiliadibus Erasmus. Seruius quoque scribens in undecimum librum Æneidos, columnas Herculis legi dicit in Ponito & in Hispania. Apud Strabonem longa de hac re disputatio est: sed tandem Diodori sententiam magis accedit. Ptolemæus ambigue loquitur ad hunc modum, Calpe mons & columnæ. Quod tamen de veris columnis quosdam intellexisse, testis est prima Africæ tabula, in qua ex utraque freti Herculei parte columnæ apparetæ sunt. Plinius ad Pompeii Melæ sententiam magis inclinare videtur. Pag. 596. lin. 19. Palantia ac Palentia] Palantium ad Turizæ ripam non procul Valentia, & eius ruinas adhuc extare scribit Petrus Antonius Beuter. Sed & Ptolemæus illic, nempe in Edetanis, Palantium fluuium ponit, sed oppidi non meminit. Alioqui Palantia censemur eruditis, quæ nunc Palentia. Pag. 622. lin. 3.] Huic annotationi videtur addendum Antonium Sabellicum locum dedisse illi errori. Nam subinde D. Dominicum Calagurritanum appellat. Pag. eadem lin. 50. Dertosanus] Dertosam, Ilerdam, Tarraconem in Aragonia posui, non quin fatear esse in Cataloniae principatu quem ab Aragoniæ regno Cinga fluuius, Lucano cognominatus rapax, ad

Fragæ oppidi pontem disternat: sed cum videam eum etiam principatum ab autoribus neotericis Aragoniæ vocabulo censeri, sequendos eos duxi, adductus præcipue auctoritate Gerundensis Episcopi, scriptoris non omnino pœnitendi, qui ait ad hunc modum: Cathedrales Aragoniæ Helna siue Helena, Gerundensis, Segobricensis, Maioricensis, Dertocensis, Vrgellenensis, Ilerdensis, &c. Pag. 656. lin. 20. *Pompeleñis*] Non diffitor hanc ciuitatem esse Hispaniæ, non Galliæ, quippe quæ metropolis est regni Nauaræ. Sed quia D. Hieronymus aperte Gallum affirmat, neque obscure Pompeleñi natum declarat, nihil mutare libuit. Nisi forte aliam Pompeius in Gallia urbem condidit, cuius rei nulla extat mentio. Pag. 666. lin. 19. *Tyrrheni*] Ita Iornandes, qui non dubiū, quin Tyrrhenum ostium, quanquam improprie & nimis large sumpto vocabulo, appellat fretum Herculeum, scilicet ubi Tyrrhenum mare exoneratur in Oceanum. Pag. 681. lin. 29. Hoc anno *Mahometem*] Ita de Mahomete memoria prodiderunt Hispaniarum rerum scriptores, inter quos Tudensis, & Resendius in vita S. Isidori quam in Eborense breviatione posuit. Ex aliis vero scriptoribus non modo in Hispaniam, sed ne in Africam quidem venisse videtur, quam aliquanto post ab eius successoribus occupatam aiunt. Cæterum quum hiantum ea de Mahomete scribant, quæ potentiam nactus & opes gessit, fieri possit, ut priuatus adhuc in Hispaniam ad tentandam fortunæ aleam venerit, præsertim quum quos sequutus sum autores, initio prædicationis suæ hoc factum affirment. Ego iudicium huius rei in medio relinquo. Præterea Sabellicus & ali autores, Caliphum Mahometis successorem appellant. Pag. 676. lin. 20. *Cum patruis suis*] Lege, cum reliquis hostiis. Alioqui si Chronica Regis Alfonsi sequimur, historia sibi ipsi repugnat, ut ex anno septingentesimo nonagesimo nono patet. Atq; hæc hæc tenus.

CHRONICI IOANNIS VASÆ I BRUGEN. SIS AD PROBATIO, SIVE PUBLICVM DE eo clarissimorum totius Hispaniæ & Lusitanæ virorum testimonium atq; iudicium.

Hoc opus prius in Portugallia insuenerendi simi Cardinalis & Serenissimi Principis D. Henrici Infantis Portugallæ, & in omnibus regnis ac ditionibus Regis fratris sui, summi de fide Catholicæ iudicis, fuit examinatum Ebora (ubi & lucubratum) ab admodum Reuerendo D. Emanueli Sancto, episcopo Targensi ac sacre Theologia Doctore grauißimo, & approbatum. Postea vero etiam Valladoliti mandato Serenissimi D. Maximiliani Boemiae Regis, à viro undecunque doctissimo, Ianne Genesio Sepulueda, oratore, philosopho, Theologo consummatissimo, & Caroli Quinti Imperii historiographo: qui non solum probauit, sed etiam multa in eo se reperiisse scitu digna, & ad verum Hispania laudem pertinentia, chirographo suo testatus est.

LECTORI S.

Exemplaria quibus vsi sumus, præsertim Granatenia, adeo deprauata erant, ut plures in locis intelligi non potuerint. Nos igitur, quod in hoc genere scriptorum tuis esse duximus, iis quæ typographica videbantur vitiis sublati, in cæteris aut nihil, aut certe per pauca mutauimus: ac ea cuique pro suo iudicio corrigenda reliquimus. Quod quidem facile erit ei cui tempus & libri suppetuerint: nec id sine fructu fieret. Nam quicquid nos scriptores vel cum Diodoro, Ptolemæo, Strabone, Mela, Plinio, & cæteris quos citant autoribus, Gerundensem præsertim cum Liuio, Salustio atque Catilare: vel ipsos inter se, & præcipue cum Vasæo contulerit, maximam interdum diuersitatem, & errata fortassis nec pauca, nec leuia deprehendet: quæ tamen immutare noluimus, nec mere à nostris autoribus discessisse videremur. Sic, exempligratia, pag. 17. versu 50. *Sedulius* legendum ex Ptolemæo: p. 28. versu 23. *Belonem* ex Mela & Plinio: p. 83. v. 16. *P. Julianus*, & ibid. versu 33. *Caius Catinius*, ex Liuio: pag. 126. v. 36. *Villam*, & ibid. v. 43. *L. Iunianus Patiecum*, ex Hircio de bello Hispaniens: Sic collato loco qui est pag. 19. v. 33. cum eo qui habetur pag. 325. versu 20. hunc illo longe emendatiorem comperies. Sic Tolentanum pag. 788. versu 19. & 39. intelliges ex Vasæo pag. 688. v. 10. & 19. Idem in reliquis experiri poteris, vbi libuerit. Rursus, ex ipsa rerum serie numerum annos Domini denotantem sæpius emendaueris. Ut pag. 149. v. 3. rectius legeres *D C X X V*. Nam ab hoc capite vi que ad trigesimum quintum vbiique scribendum *DC*, & à trigesimo quinto usque ad primum tertiar partis, *D C C*. non *D C C C*. Sunt etiam aliqua, quæ licet à librariis commissa videantur, maluimus tamen coniecturam nostram de iis tuo iudicio submittere, quam certum

tertum quid pronuntiare. Pagina igitur 13. v. 20. *Tarragonensi* legendum videtur. pag. 27. v. 21. in *Asturis*. pag. 32. v. 46. vocavit, ad. pag. 34. v. 43. *Rhodius*. pag. 34. v. 41. *urbis*. pag. 36. v. 41. XII. p. 139. v. 8. *senit*. p. 311. v. 35. *diurnis*. p. 163. v. 10. *apud Ieremiam*. p. 609. v. 13. *admoneri*. p. 623. v. 6. *aliquanto*. p. 679. v. 10. *confessum*. pag. 697. v. 1. *filiam*, &c. *actam*. Deponentia quoque pro passiuis, actiua pro deponentibus, nominatiui absolute positi pro ablatiuis consequentiae, nominum & in primis priorum exoticorum variae scripturæ & inflexiones, adiectiuorum comparationes, phrases, aliaque eius generis inusitata, Lector, occurrit: sed quæ tanta non sint, ut rebus ipsis quidpiam detrahant. Quæ vero nostram diligentiam effugerunt, hæc sunt. Pag. 53. v. 43. *lege considerere*. pag. 120. v. 3. *are*. pag. 148. v. 30. II. pag. 165. v. 55. Et *Palat.* p. 187. v. 19. *inuitis*. p. 612. v. 12. *Agrippa*. p. 633. v. 42. *concilia*. Porro *Gothos* & *Gotthorum* ab initio scripsimus, autoritatem Suidæ secuti: postmodum vero *Gothos* & *Gothorum*, inducti maxime *Athaulphi regis epitaphio*, quod est apud *Vaseum* pag. 660. v. 41. vbi prima in *Gothorum* corripitur. Sed parum interest, utrum modis scribatur. Tu vale, & nobis bene precare.

LAURENTII VAL LAE, PATRITII ROMANI, DE REBUS A FERDINANDO ARAGO- NIAE REGE GESTIS LIBRI TRES.

Proœmium.



*N*grani diligentique historia rerum gestarum quanta sit vel scriptori difficultas, vel lectori utilitas, et si plerique conditores oratoria artis, que historiae mater est, atque historici ipsi librorum suorum principiis testantur: tamen detrahunt nobis philosophi quidam, & ii permagni ac peruetusti, cum multum in prima, tum plus in posteriore parte, anteferentes historicō poetam, quod dicant illum propius ad philosophiam accedere, quia in generalibus versetur, & propositis factis exemplis in uniuersum præcipiat: ut Homerus, qui non tam superiorum virorum gesta narrat, quam quo modo futuri boni sapientesque efficiantur, instituit. Historicum enim tantum narrare qualis unus quispiam, aut alter fuerit, veluti Thucydides, qui gesta

Periclis, Lysandri, aliorumque nonnullorum sui temporis scribit. Ita primas partes tribuunt philosophis, secundas poetis, tertias postremasque historicis. Ego vero cum huic nequaquam opinioni assentiā, tamen poetis multo plus quam illi faciunt, tribuo, adeo ut eos aut comparem philosophis, aut anteponam: sed non continuo historicis preferam, ac ne fortasse quidem conferam. Decet enim opus quod aggrederis, libero ore defendere. Itaque primum poetas cum philosophis, deinde cum historicis, tum hos ipsos cum philosophis componam. Principio siquid momenti antiquitas habet, ut certe habet, poeta philosophis, imo sophis antiquiores fuisse reperientur. Siquidem Homerus atque Hesiodus non modo ante Pythagoram, qui primus philosophus, sed ante illos quoque septem qui sophi, id est sapientes, vocati sunt, extiterunt. Quod si in eadem materia & hi & illi versantur, profecto apparebit plus esse penes priores quam posteriores autoritatis, laudis dignitatis. An non in eadem materia utrique versantur? Quid enim habent hi qui se studiosos sapientiae vocant, quod poeta non tractet? nonne Empedocles, Aratus, Lucretius, Varro de naturalibus ac cœlestibus disputatione? non Vergilius de aruis, vineis, arbustis, animalibus, animisque etiam defunctorum, adiuncta physica ratione, cecinit? non multi de medicina versibus conscripserunt? Quid autem quod ad moralem pertinet, Satyri aliud quam disputando, præcipiendoque mores informant? ad quem ipsum finem Tragici, Comici, ceterique poetae, sed sub persona tendunt. Nam de Dialectica scribere versibus, quodammodo ineptum sit, utpote dura quadam scientia & aspera: quanquam non defuerunt, qui & de hac, & de ceteris liberalibus artibus poemata panxerint. Quare quisquis est, qui poetas, non dico in numero philosophantium non ponat: sed cur existimet minus ius qui se peculiariter philosophos appellant, hoc nomine dignos esse? qui etiam priores philosophari cœperunt, & ubi ab istis differunt, melius philosophantur. Habet enim institutio illa sapientiae sub persona miram quandam autoritatem, & quasi maiestatem,

cum eximia modestia & laude coniunctam: ut apud Homerum cum legimus quid egerunt dixeruntque, Nestor, Agamemnon, Priamus, Hector, Antenor, multo magis ad virtutem incendimur, quam ex vallis philosophorum præceptis. Adeo ipsum quoque autorem tacita quadam caritate complectimur. Nam præcipere aliis velle, fere odiosum est, quod arrogantiam & tumorem animi olet. Mens enim nostra sublimis ac superba, ut rectam præceptionem tanquam à sapientiore designatur accipere, sic eidem oblique per exempla & blandæ subeunti acquiescit: cum præsertim illa velut pictura personarum, & spem inducat animo, & stimulos emulationis incutiat. Ex quo Horatius non tantum suo iure, sed vere de Homero loquens, poetas uno eodemq; in loco, non modo philosophis comparat, inquiens,

Rursus quid virtus & quid sapientia possit,

Vtile proposuit nobis exemplar Vlyssiem. verum etiam antefert, cum inquit:

Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid vtile, quid non,

Plenius ac melius Chrysippo & Crantore dicit.

Quod si vel pares vel potius superiores philosophis censendi sunt poetae: reliquum est, quare non sive historicis maiores, ne dicam pares, ostendant. In quo illud pro nostra in poetas benivolentia donamus, historiam non fuisse poesi priorem: et si prior fuit. Nam ut apud Latinos priora sunt annalia quam poemata: sic apud Græcos, & Dares Phrygius, & Dictys Cretensis, si vere fuerunt, priores Homero extiterunt. Nec fieri potest ut poeta figura sua, non in rerum gestarum veritate, velut fundamen-
tis adficiant. Nam ne quid de antiquis historicis dicam, quorum est Trismegistus, quem Mercurium putant, certe Iupiter in columna aurea, ut esset monumentum posteris, gesta sua prescrivit. Sed hoc, ut dixi, donamus, satis habemus demonstrare, cum idem sit propositi historicō quod poetae, ut profi-
ciat delectet, nimis tamen robustiorē esse historiam quanto est verior. At non versatur circa vniuersalia. Imo vero versatur, nulla enim alia causa huius operis est, quam ut per exempla nos do-
ceat. Vnde à Cicerone his verbis laudata est: Historia testis temporis, lux veritatis, vita memorie,
magistra vita, nuncia vetustatis. An est quisquam qui credat admirabiles illas in historiis orationes
vtrique veras fuisse, & non ab eloquenti ac sapienti opifice personis, temporibus, rebus accommodatas,
quibus nos eloqui & sapere docerent? quid in eius natura personarum grauitima testimonia, quid lan-
des, quid vituperationes, quid multa alia doctrina atque sapientia plena? nonne in vniuersum praci-
piunt? Neque vero si solam, ut sic dicam, cutem rerum respiciamus, semper poesis tendit ad vniuersa-
lia. Nam Pindarus, Simonides, Alcaeus, aliqui Lyrici singulorum laudes, & quidem vniuenium, ne
dicam mercede, cecinerunt. Elegiacos & eorum similes transeo, qui suos amores plerumque tractau-
runt. Et contra Xenophon magis optimi Regis effinxit, quam veram Cyri exposuit vitam. Nam de
Æsopo taceo, qui fabellas prosa oratione composuit. Pudor me tenet & reverentia Homeris atque Ver-
gili, plura de hacre exequendi. Ideoque iam historiam comparabo cum istorum qui nobis litem inten-
tant, philosophia, quorum nemo merus professusque philosophus comparandus est, neq; Homero Gra-
cias, neque Vergilio Latinus, imo ne Salustio quidem, ac Linio, nonnullisque aliis historicis. Etenim
quantum ego quidem indicare possum, plus grauitatis, plus prudentiae, plus ciuilis sapientiae in oratio-
nibus historicis exhibent, quam in præceptis vlli philosophi. Et si vera fateri non piget, ex historia flu-
xit plurima rerum naturalium cognitio, quam postea alii in præcepta redegerunt, plurima morum,
plurima omnis sapientiae doctrina. Siquidem historicos philosophis priores fuisse docuimus. Et si diui-
norum quoque hic facere mentionem volumus: & Moses historicus, quo nemo prior scriptor existat nec
sapientior: & Euangelista, quibus nihil sapientius, nil aliud quam historici sunt appellandi. Verum et
contra gentiles gentilium documentis agamus, sicut superius fecimus, ita hic ad extremum, eam par-
tem ubi quæstio est, Quintilianus testimonio confirmemus, qui ait: Neque ea solum que talibus discipli-
nis continentur, sed magis etiam quæ sunt tradita antiquitus, dicta & facta præclare & nosse, & ani-
mo semper agitare conueniet. Quæ profecto nusquam plura maiora que, quam in nostra ciuitatis mo-
numentis reperiemus. An fortitudinem, fidem, iustitiam, continentiam, frugalitatem, contemptum
doloris ac mortis, melius alii docebunt, quam Fabricii, Curii, Reguli, Decii, Mutii, aliquique innumer-
abilis? Quantum enim Graci præceptis valent, tantum Romani, quod est maius, exemplis. Vbi sunt
qui utilitatem historiæ cauillantur? quam maiorem quam in philosophia esse, & ratione & autorita-
te conuincimus. Postquam de utilitate sat is diximus, superest ut aliquid adhuc, que pars prima an-
bis proposita erat, de difficultate dicamus. Oportet in historicō esse, præter ipsam mirabilem quandam
& multis sane dotibus exaggeratam scribendi scientiam, alia multa sine quibus non posset suum mu-
nus implere: primum in cognoscendare, solertiam, acumen, iudicium. Nam quotus quisque gerundis
rebus, qui scribit interfuit? Qui vero interfuerunt, ii non modo, si à diuersis partibus stererint, inter se
dissentire solent, sed etiam si ab eisdem. Raro namque eadem res à pluribus eodem modo narratur, par-
tim studio aut odio: partim vanitate, cum aliqua quæ scire poterat, ne sciens videri vult scire, vel non
vult videri nescire: partim credulitate, cum aliis quibuscum referentibus temere credit. Vix enim
sciri potest, ut unus omnia quæ in re gerenda contingunt, sensibus suis perceperit. Nonne igitur ad hu-
iusmodi veritatem eruendam historicō opus est non minori accurratione ac sagacitate, quam aut iudici-
in de-

in comprehendendo vero ac in isto, aut medico in praevidendo morbo atque curando? Deinde ubi non aliena, sed tua notitia niteris, tuumque ipsius testimonium profiteris, quanto cure ac diligentiae est efficere, ne illi partem cum qua eras, ut Timagenes & Dicaearchus in historia Alexandri, ut Xenophon in historia Cyri junioris, ut Oppius Hircius ve in historia Caesaris, fauere videaris? Nam de his qui de suis iurorum gestis scripserunt, non attinet dicere hoc tempore, neque de iis qui olim ab aliis scriptas historias reerat tantum atque expoliunt: non veri, ut quibusdam placet, dicendi historici. Postremo quanta est opus ad hanc rem fide, atque constantia, ne quid malevolentiae, ne quid inuidiae, neque terrori: rursus ne quid gratiae, ne quid spei, ne quid precibus, ne quid ambitioni, ne quid autoritati tribuas: utique cum de tua, aut de paulo superiore memoria scribas, & de his quibuscum viuis, aut de eorum parentibus ac necessariis? In quo haud dubie & poetis & philosophis historici sunt anteponendi. Hec nos in uniuersum ad commendationem historiae historicq; satis est esse praefatos: de presenti autem materia, aut de me priuatim dicere nihil sane visum est. Sed quoniam de Hispano rege locuturus sum Ferdinando, qui primus e Castella regno Aragonia potitus est, aliquid de ipsa Hispania altius repetam.

LAURENTII VALLÆ DE REBUS A FERDINANDO ARAGO- NIAE REGE GESTIS LIBER I.

VROPAM tertiam orbis terrarum esse partem, fere traditum est: eamque Africa haud multo maiorem. Nonnulli fecere medium, Africa illi subiecta, eorum qui tertiam volunt. Quidam non secundam magnitudine dicunt esse, sed primam. Nos vero receptam opinionem, & plurium autoritatē de numero sequentes, sicut magnitudinis questionem in ambiguo relinquimus, quia parui refert hic de ea pluribus dicere: ita palmam Europæ tribuimus in omni prope genere dignitatis. Quod nisi & planum esset, & aures Latinorū Græcorumq; assentirentur, multis doctorum hominū testimoniis demonstrarem: nunc publica persuasione, communiq; consensu contentus sum. Ipsa autem Europa nusquam aptius cenuenientiisq; initium lumere dicenda est, quam ubi primum se ab Africa dirimit, non flumine aut monte, ut alibi sit, sed freto Oceani & mediterranei maris, hoc est in Hispania: quam caput Europæ, & si illa trium dignissima est, caput orbis terrarū fateri licet. Ex quo pleriq; in describendo orbe, ab Hispania veluti à capite incepérunt. Neque est, quod aliqui dicā mundi caput in oriente esse, pedes vero in occasu, ad quem vergit Hispania: plusq; inesse dignitatis vbi lux oritur, quam ubi tenebræ. Nam si cœli cardinē, & vt Græci dicunt, polum, consideremus, qui septentrio est: profecto nō caput pedesq; stantib; sunt, sed dextera, à qua occasum, & sinistra, à qua ortum constat esse. Neque idem dici de antarcticō polo in contrarium potest. Si enim proprium rotæ est circumagi in dextrum, nimis arcticus caput erit, in cuius dextrū, nō antarcticus, in cuius læuum mundus rotatur. Verum sicut ad cœlum Hispania, qua vergit in occasum, in dextra esse censenda est, ita ad ipsum orbem terrarum, quia certissimum est caput Europæ, caput nominari potest, nihil obstante eo, quod de dignitate orientis opponitur. Nam nullius rei principium est suo fine præstantius. Neque alibi prius oriuntur tenebræ, quam ubi prius orta est lux. Et in oriente ut dies, ita nox prior est, vt ab eis etiam tenebræ venire videantur. Oriens videt prium solem quasi florentem, occidens postremum quasi fructiferum. illi dant lumen, nos accipimus: ab illorum hospitio prodit, à nostro excipitur: de iis ad nos, de nobis ad eos commeat. Sed superuacuum est de hoc cum orientalibus contendere, qui nullum certum locum, ubi apud eos pars orbis tertia recte incipiat, possint ostendere, vt nos in Hispania facimus: quam iure meritoque caput debere dici Europæ terrarumque, probauimus. Hanc Romani cum rerum potirentur, in duas diuisere prouincias, citeriorē, vtterioremque: quarum vtraque suas regiones certis distinctas finibus ac vocabulis habebat, quæ hodie pene mutata sunt, vt necesse habeam, cum præsentibus futurisque hominibus scribam, non priscis nominibus vti, sed nostro seculo ac iam longa ætate vñitatis, si ab omnibus legentibus intelligi velim, vt veteres quoque ipsos video factitasse. Nam & hæc & cætera loca fere diuersis subinde vocibus appellata sunt. Et vetus sermo nihil aliud est, quam vetus loquendi consuetudo. Quis enim in Italia in qua sumus, pro his vocibus quibus vtimur, intelligat nuncupantem Brutios, Lucanos, Samnites, Campanos, Volicos, Equos, Hernicos, Vmbros, Ethruscos, Gallos, Boios, Insubres: vt admirari solcam, vnde factū sit, quod regionū prope omnium sint immutata nomina, cum vrbibus

sua fere constent. Itaque in hac re non vetustatis autoritatem sequar, sed nostrorum temporum consuetudini obsequar. Sed in hac ipsa consuetudine opus est iudicio. Nam ut Florentiam potius dixerim quam Fluentiam, & Ferrariam quam forum Arrii, & Papianum quam Ticinum, & urbem Castellum quam Tifernum, & alia multa: ita non Ianuam sed Genuam, non Cumas sed Comum (nam Cumæ iuxta Baias non extant) non Barcinonam sed Barcellonam, nō Siciliam nisi insulam, quam Homerus vocavit suo iure Trinacriam. In superioribus enim et si autoritatem ex libris repeterem possumus, eam tamen consuetudo diuturna superauit: in posterioribus autem usus loquendi cum ipsa autoritate ac veritate consentit. Igitur Hispania cuius partes regionesque magis quam urbes alia fortissimæ sunt nomina, non tam quinque in regna diuiditur, quam quinque regibus paret, Castellæ, Aragoniæ, Portugallæ, Nauarræ, Granatæ. Multo omnium latissimum est Castella, quod obuersum fere oceano, duobus veluti brachiis Portugalliam Granatamq; complectitur, sinistro Granatæ in mediterraneo mari, dextro Portugalliam, quod est multo longius. Nam Vascones Galliamq; attingit, quæ nunc à Germaniæ quadam gente, Francia dicitur: res omnibus, nisi Hieronymus tradidisset, futura ignota. In Castella ex omnibus potentissima est Ispalis, quam vulgo Sibiliæ dicunt: in Portugallia Olisippona. Quod non inen ab iis corruptum, qui velut ab Ulyssse Vlyxbonam dicunt, nescientes Ulyssis illius viri nomen, sed sic à Latinis esse corruptum, præterea Ulyssem illuc non nauigasse, postremo hanc vocem, si Græcam originem sectari libet, ab equis ductam. Ibi enim à multis effigie Græcorum Latinorumq; traditum, equas Fauonio qui idem Zephyrus est, flanti obvias tempore certo concipere, eumq; partum esse perniciissimum, licet triennium non cedat. Opinor Homerum secuto, qui iugales Achillis equos ad Oceanum Zephyro patre genitos tradit. In Granata urbs eiusdem nominis, quæ regioni nomen dedit, olim vocata. Ab interno autem mari secundum Carthaginem incipit regnum: quæ ab urbe Valentia, sicut de Granata diximus, nomen accipit, quia caput regni est, omnium Hispanie urbium, vt fertur, amoenissima, olim Romanorum colonia, postea non minima ex parte Cathalaniæ. nam utriusq; gentis proprie eadem est lingua, finitimaæ alioqui, iunctioq; littoribus, quorum tractus parum differunt. Sed in mediterraneis multo plus possidet Cathalonia, cuius metropolis quidem est Terracòn, celeberrima vero Ilerda, validissima autem atque pulcherrima Barcellona. Eius finis ex altero latere ad montes Pyrenæos extenditur, & ad Narboneensem usque prouinciam quæ nunc vulgo tantum prouincia dicitur, licet non seruatis usque quaque limitibus. A tergo autem harum duarum sedet Aragonia veluti maxima natu, & primigenia fororum, à qua proprie rex appellatur. Cuius metropolis est Cæsaraugusta, ubi reges ab eius archiepiscopo, qui primus regni dicitur, diadema accipiunt. Horum lingua similius est mediterraneis Castellanis, à quibus magna ex parte cinguntur, quam Cathalanis aut Valentinis. Et de origine quidem horum nominum, non putarem faciendum, vt redderem causam, nisi quedam de ea literis tradita scirem, quæ mihi non plane probantur: ea tamen iudicio aliorum relinquam. Atque ut de Cathalonia de qua vetustior est narratio, quam de Aragonia (nam de Valentia quæ nomen antiquum obtinet, nihil queritur) prius dicam: aiunt fuisse Rogerium quemdam cui cognomen erat Cathalo, ad debellandas Hispanias à Carolo Magno missum cum magno exercitu ac flore Galliarum, eumque cum vix quidpiam Hispaniæ subegisset, breve intra tempus morbo extinctum, cum summa post eius obitum pernicie suorum. Vide parum verisimile est, ab hoc viro prouincię nomen impositū, quam nō subegere, & aqua quodammodo subactus sit. Non enim calamitatis acceptæ, sed partæ gloriae testimonio debet nomen esse prouincia. Quapropter non me pœnitit eius sententiæ esse, vt hoc nomen non recens sit, sed admodum vetus, cum legamus certe apud Plutarchum in vita Serviorii, urbem quandam egregiam illic fuisse, nomine Cathalonem, & eius incolas, Cathaloniros nuncupatos. Quod autem latius sit propagatum id nomen, nō esse mirandum, nonnulla stnt exempla documenta: vt ea ipsa quoru modo memini, Valentia, Granata, Francia. Et Aprutium apud veteres una urbs erat, quam vulgo Teranum vocant, ubi adhuc reliquiae antiquitatis extant, cum dicitur antistes Aprutinus. At nunc non urbem modo, sed ingenteum quoq; prouinciam complectitur. Et Campaniam à Capua dictam, multos autores habemus. de veteri Campania loquor, quæ nunc terra laboris, id est cultura, dicitur, non de ea, quæ cur ita vocetur, non aliâ quam ignoratione puto fuisse causam, quemadmodum illa Italæ partem quæ olim Græcia maior dicebatur, vocare Siciliam. Quid alius longius querimus? ipsa Aragonia, de qua dicere secundo loco proposueram, si istis creditus, appellata est à fluvio quodam eius nominis, qui illic ortus Iberus influit. In cuius vicinali Christiani vim holtium deuidentes fuga, se receperant. Ego vt de hac secunda satist.

iam, non satis implet apud me nominis fidem, aut tantulus fluuius, aut talis causa: ideoque malim dicere aliunde descendisse illam vocem, vel ex eo quod legimus apud Ptolemaeum fuisse populos quos Iberus interfluit, nomine Aurigones, nempe ubi media Aragonia est. Nam confutare eos qui dicunt Terraconem, quasi terram agonum, & Vrgellum, quasi vrgens bellum, & Barcinonam, quasi barcam nonam, aliaq; ridiculæ etymologiæ, Græca, Latinaq; ac Barbara miscentes, ineptum sit: satis superque falsitas se ipsa confutat. Quod genus sunt ea quæ de Hercule in Hispania narrantur, que ne longius reprehendam, sat erit Plinium audire qui de naturali historia ait: Vniuersa autem quæ de Hercule, ac Pyrene, vel Saturno traduntur, fabulosa in primis arbitror: quæ iterum appellat portentosa Græciæ mendacia. Hæc nos tot verbis differuisse de iis regnis, in quibus nostra materia versatur, non fuit alienum. Supereft quinta & minima pars, regnum Nauarræ, cuius præcipua vrbs est Pompelon, partim Hispanis aliis, partim Ausetanis, Vasconibus, Aquitatisque circumdata: ideoque sicut Aragonia, nulla sui parte pertingit ad mare. Vbinon nihil mirandum est quod tam parua regio per se cum exiguis aliquot aliis populis, suam linguam habet adeo abhorrentem à cætera Hispania, ut non magis abhorreat Hebræa, vel Græca. Nam & Granatensem, quæ & ipsa discrepat, vt hæc lingua, non alia est, quam Syrorum, Afrorum, Maturorum, à quibus angusto traieetu diuisi sunt, & à quibus leges & instituta ceperunt. Reliqui enim Hispani, et si differunt sermone, tamen ita, vt Itali inter se, vt Galli & Germani differunt. Cæterum horum quatuor Christianorum Regum, præter Portugallensem, alii ex eadem stirpe, id est, ab eodem auo progeniti sunt, qui fuit Rex Castellæ tantum, vt cæteri maiores, nomine Ioannes. Is duos filios ex uxore Helianora, Petri filia, sororeque etiam, ex matre, Ioannis & Martini, qui tres gratiam Reges Aragoniæ fuerunt, Heinricum & Ferdinandum genuit, moriensque regnum Heinrico priuigenio per manus tradidit. Hic cum esset in omni virtutum genere citucunque optimorum Regum par, in bellica laude maioribus respondere non potuit, incommoda semper ac prope perdita valetudine. Quo minus ei prosperitas corporis in fratre impigro iuuene, & generosi ac regii animi grata erat, minusque hominem ob id fratrem tractabat. Quod ille moderate ferens, quantum licebat, se à regia frequentanda abstinebat, & quia in belli artibus celsioribusque virtutibus non dabatur, in his mediocribus suam indolem ostendebat, affabilitate, liberalitate, consiliis dandis, refamiliari auggenda, liberis erudiendis, corpore exercendo. Brutus auunculi odium, suspectas virtutes habentis, simulata deuitauit insania. Maioris tamen operis est, illud aperta virtute deuincere, & odium pariter & inuidiam vincere. Augebat autem suspicionem Regis (nihil est enim Regum animo suspicacius) quod videbat fauorem studiumque populorum propensum in fratrem, non modo quod optima valetudine, quod tanta animi indole erat, verum etiam quod prouentu filiorum fœlix videbatur. Nam Rex aliquandiu prolem cum non sustulisset, tandem Mariam sustulit, quam certe tres quatuorue filii Ferdinandi, etate antecedebant: Alfonsus qui postea in regno Aragonum patri successit, Ioannes qui Nauarræ regnum adeptus est, Henricus qui magister sancti Iacobi, & Sanctius qui magister Calatravæ fuerunt. Nam Petrus multo minor cæteris fuit, tanto iunior Maria, quanto maior Helianora sororibus, quarum altera fuit regina Castellæ, altera Portugallie. Ita Rex, aut orbus, aut vnicæ pater, & fratri & populorum animum, tum sibi, tum filiæ pertimescebat. Ideoq; proceres omnes ac ciuitates iureiurando adegit ad profitendam illam regni hæredem, futuramq; Reginam. Hanc deinde adhuc intra infantiae annos Alfonso, prout licebat per ætatem, despondit, adductus quidem, ne regnum paternum in externam familiam delaberetur, neue fratrem populosque irritaret, ascito sibi pro gene-ro homine peregrino, sed tamen non ex minima parte propter mirificam in Alfonsio puer (erat enim quam illa maior quinq; annis) indolem & incredibilē gratiam, à Deo commodiorem filium sibi optare se non posse dicebat. Enim uero Alfonsum non in ea modo atque puerili vterque parens, sed quoad vixerunt, vnicæ certatimq; dilexerunt, amarunt, complexi sunt: ita vt alii liberi (res enim erat minime obscura) etiam si excellenti omnes indole, tamen nihil essent ad Alfonsum, non minus ob alia charum, quam quod filius foret. Ea erat in vsu & consuetudine benignitas, suauitas, probitas: ea in sermone prudētia, moderatio, iocunditas: is in rebus agendis vigor, ea magnitudo animi, is contemptus pecuniarum, appetitusque amicitiarum & gloriæ. Quæ omnia & decor otis, & membrorum concinnitas habilitasque condiebat. Ea denique in parentes pietas, obseruantia, credere nihil eum magis studere, quam vt illis gratum facere posset. Hanc ipsam obseruantiam pietatemque in Regem quoque transtulerat. Ex quo per causam sponsæ familiarius eo Rex arctiusque quam patre vtebatur, & vt generum Regis, imo & regni successorem,

precedere volebat. Sed profecto raro respondent euanta propositis nostris, ut intelligere possimus, consilia humana vtiq; diuina ratione superari. Alter fratrū sperat se relietur Mariam suam Castellę Reginam, cū alter frater qui nō sperabat, suam Mariam relieturus esset. Ille putat se hos coniuges regni sui facturum hæredes, & hic qui non putabat, sūti facturus erat. Nam non ita multo post, Regina concepit, & filium edidit, cui Rex imponuit nomen quod fuerat patris. Huic puerō etsi iure naturæ & paterna voluntate debebatur regnum, tamen filiam non aliter quam primigeniam, quod nomen proprium est eius cuius ius futura successio est, pater vocari præcepit, & testamento cauit, neutiquam alium filio, si orbus liberis decederet, quam sororem succedere. Verum nato regni hærede, etsi filia plurimum videbatur amisisse, plus tamen eius sponsus, cui iam desperandum erat, non modo regnum, verum etiam sponsæ coniugium Rege defuncto. Nam quomodo Reginam collocaturam esse nuptum filiam priuatō potius viro, quam vel alicui ex Britannia quam nunc Angliam vocant, principi, ynde ipsa traheret originem: In quod postea periculum deuentum est, atque adeo de nuptiis actum erat, nisi puella alium virum quam Alfonsum accepturam pernegasset. Et hoc iam declarato Aragoniæ Rege Ferdinandō, nedum ideo adhuc priuatam vitam agente non metueretur, sed quemadmodum præter spem Alfonso regni successio obuenerat, iterumque præter opinionem de manibus exciderat: ita ad postremum præter spem opinionemque regnum aliud adeprussit, vt iam tunc à pueritia varietatem fortunæ, quam pleraque vita expertus est, auspicaretur. Sed de Alfonso posterius late dicendum erit, nunc ad patres reuertamur. Non fuisse autem abhorrentem ab re bellica Henrici Regis animum, vel ex eo patet, quod affecta valetudine comparauit exercitum quem aduersus Granatenses educeret, atq; eduxisset, nisi grauante morbo celerius opinione hominum excessisset è vita. Hanc certe secum tulit laudem, quod pro religione bellum suscipere destinasset. Reliquit autem & filii & regni autores, tutoresq; secundum Reginam, treis sibi maxime spectatos: Sancium Rodericum Daualos, præfectum militiæ, quo sine controuersia nemo erat illa tempestate apud Regem, nec integrior, nec strenuitate præstantior: Petrum Valasci & Rogerium Lopizum Stuenigam. Ei defuncto vbi Ferdinandus cum omni cœtu procerum regio more iusta persoluit, reliquum erat, vt is qui futurus esset Rex, voce præfeti militiae nuncuparetur. Quem autem is nuncupauerit, instituto patriæ pro Rege habetur, & eius vocem carcerum læto clamore excipiunt. Sed hic tunc quid ageret hæsitabat, etsi regnū puerō datum volebat. Monebatur autem cum suo ipsius iudicio, tum procerum populorumq; fremitu. Non enim esse ex vsu regni expectare donec anniculus adoleuerit, si modo adolescere daretur, cum Ferdinandus iam adultus præsto sit: expectare qualis puer ille sit euasurus, cum assit is, qualis voto expetendus esset: committere regni gubernacula regiis satellitiis, & eū qui sit Rege, patre, fratre, regali animo clarus, excludi à paterno regno, ac subiecti cum tanta sobole regii generis libidini tutorum, vt per speciem administrationis in exiliu agant, in carcerem coniiciant, in necem cum omni stirpe præcipitent, quo ipsi impunius tyrannidem occupent, vel fato vel fraude extincto pupillo, vt florētissimæ domus familia breui tempore omnis in nihilum recidat. Præstare igitur vt Ferdinandus succedat, in regnum, illudq; postea Marię primigeniæ fratris, Alfonsoq; primigenio suo, quos prius iurauerant populi in se regnaturos, per manus tradat, aut Ioanni, si dignior qui regnet videbitur. Hæc atq; huiuscmodi verba exaudiens præfetus, vt tenebat manu vexillum, stabatq; ante Ferdinandum atque omnem cœtum, vti se omni inuidia exolueret. Quem, inquit, me iubes filii Regis Ferdinande nuncupare Regem? te ne, an Alfonsum, an Ioannem? Fecit hac interrogatione, quod ipse erat in aliena, illum in sua ipsius causa arbitrum. Hic responsum illud omnium seculorum memoria dignum, & vox æternis literis dedicanda: ac nescio an nisi in fabulis simile factum, aut par inueniri queat, facro quodam rebus humanis exemplo, vt discerent homines plus pietatem officiumq; in suis esse quam regnum. Cuius tamen rei fama per omnes ferme terras, non minus quam pro merito est peruagata. Tot causis, tanta occasione, tanto hominum consensu, ad tantam spem votatus, non integritatem animi flexit, non consilium distulit, non vocem proferre dubitauit. Sed protinus, Ecquem, inquit, alium nūcupabis quam Ioannem? Quod si non audes, me imitare ipsum: assumpto in humero infantulo, sicut erat statura sublimi, ex loco superiori exclamauit: IOANNES EST REX. dicite omnes, REX IOANNES. Quam vocē admirati uniuersi & ipsi subsecuti sunt clamantes identidem, REX IOANNES. Ita Ferdinandus hac consilii celeritate, non dato hominibus spacio deliberandi, rapuit eorum excusitq; iudicium. At tacite defuncto Regi exprobrauit inconsultam suspicionem, qui tales fratrem, se quoque meliorem, non belle tractasset: ac nequid de animo eius in dubium reuocari queat.

queat, omne reliquum vitæ tempus declarat Ferdinandum non aliter perseuerasse quam incepérat. Postea vero quam suæ fidei ac virtutis sub oculis omnium tale specimen dedit, in sequentibus diebus cum videret apparatum belli solutum iri, quod nemo vñus ad eam rem administrandam satis idoneus putaretur, neq; proceres qui ex aliis nationibus, in honorem religionis ad id bellum conuenerant, decorum sibi ducerent, sub iis tribus aut eorum aliquo militare, se ducem pollicitus est. Atq; ita volentibus gaudentibusque cunctis, summa gerendi belli ei defertur. Cui se comitem iturum cum ingenti necessariorum manu promisit Sanctius Rogeus episcopus Palentinus, non indecorum sibi existimans pro religione arma tractare, vir maximi animi, maiorisq; & consilii & fidei. Hoc communia a mico nisi Ferdinandus ac regina inter se transfigunt, vt dimidium regni, qua parte ad hostes obiectum est, velut fiduciarum ditioni ac procurationi Ferdinandi cedat, suumque munus sit rem bellicam administrare: cætera quæ extra periculum posita sunt, reginæ obtemperent. Interea Rex barbarus qui contra se parari bellum acceperat, postquam de languore, mox de obitu regis certior factus est, defunctum se periculo existimās, incepérat iam nonnihil de cura remittere. At vbi delectum Ferdinandum ducem comperit, vel magis timuisse dicitur, quod non per alium, vt rex fuerat, sed per se esset bella gesturus: illoque ætatis ac virium flore ostentatus virtutem, quoad posset per occasionem, vt se dignum auo, dignum patre, dignum fratre, dignum etiam regno, indicaret: annixurus quoque vt sibi & autoritatē, & potentiam compararet. Igitur ad transmarinos reges mittit, vt primo quoque tempore traiiciant auxilia, & omni humana ope iuuent Hispanam circuncisionem aduersus incredibilem Christianorum multitudinem. In ea enim re positum decus generis religionisque, ne aut in seruitutem redigantur, aut sacra, ni trucidari malint, mutare cogantur. Etenim hunc regem transmarini sacrosanctum & sentiunt, & nominant, quod pro tutela religionis oppositus est contra vim Christianam, in ceruicibus suis imminentem. Ipse quammaximas potest, equitanis peditanisq; copias cogit, omnes aditus, qua venturos hostes suspicabatur, intercepit interciditve, præsidia disponit, oppida, castellaq; fossis, aggeribus, propugnaculis, turribus, stationibus munit, omniq; & tormentorum & telorum genere instruit. Nostro autem imperatori maiorē multo belli mole fore, si transmarina mittantur auxilia, videnti, prima curarum fuit classem comparare, atq; eam ad rationem temporis instructam habere. Itaque episcopum Palentinum, & Laurentium Zuarem, magistrum sancti Iacobi, & generum eius Garsiam Fernandum, secundum à magistro, quem magnum commendatorem vocant, cum maxima copiarum parte præmittit. Ipse Ispali ad maturandam classem aliquot dies consumit, quid faciendū sit, præfectum (is fuit Ioannes Henrix) docet. Summa hæc fuit, non minus pecuniam ad hostes, quam equos, arma, milites subuchi prohiberet. Nam his corpora aduersariorum armantur, viresq; adduntur: illa nostrorum animi plæruntq; tentantur, & velut exarmantur, & nostræ rationes in discrimen perniciemque deducuntur, vt postea re ipsa compertum est. His conseptis, Ferdinandus cum reliqua parte exercitus venit ad castra quæ erāt posita ad Setanillium, quod oppidum in media conualle, imminentibus utrinque rupibus collibusque, despicitur. Ab utroq; latere extra teli iactum, & licet in depresso loco sedeat, tamen in edita aliquantulum & circuncisa petra situm est: flumine cuius idem quod ipsius est nomen, petræ radices subluente pene circumfluū: deniq; & natura & opere egregie munitum, ad orientem Granatæ vergens. Et iam appetebat solsticium aestuum. multum enim temporis exequiis apparandis, consiliis habendis, rebus componendis, extractum erat. Ibi pro situ loci, quoniam cæteris tormentis parum profici videt Ferdinandus, turrim quæ muro admoueretur, excitare instituit: magnū opus & laboriosum, quippe ab eo loco expugnanda vrbs, qua tantum aditur, qui locus non minus celso muro ac turribus, quam reliquus ambitus amne tutus est. Interea cum turris, musculi, vineæ, cæteræq; machinæ, vt cuique datum negotium est, fiunt: Ferdinandus præter quotidianas expeditiones, cum eadem copiarum parte cum qua venerat, oppida duo, Prineam & Pegum, paucis diebus expugnat: erant enim parua. Tum oppidum Zaram aggressus, positis ante portam castris, asperime oppugnat, magnoque cum periculo, multisq; cum vulneribus quotidie dimicabatur, & utrinque nonnulli cadebant, cum nostri primum replere fossas, deinde arietibus muros subruere, postremo scalas admouere: illi contra his omnibus nostros prohibere niterentur, nec nisi tormentis res atque omni genere missilium agebatur. Sed oppidanit in tñis veneno sagittis vtentes, nostros ad usum veneni vicissim compulerunt. Tandem hinc machinis discussa muri parte, illinc ariete subruente turrim, intratricesimum diem, ex quo die obsidere cœptum est, ditionem facere cogunt.

tur, vt cum binis vestibus demigrent. Erant autem ad tria millia permiscui sexus ætatis que. Vrbs militibus in premium laboris & vulnerum diripienda conceditur: transcriptum turque ibi incolæ, eisque ager Prineanus, Peganus, Zaranus, pro cuiusque conditione ac merito diuiditur: sed ita vt nemo Agarenam linguam teneret, pro colono admittetur, nequando sermonis commercio Christianis ac barbaris intercederet consuetudo, quippe ad proditionem facilima occasio. Hos Granatam versus abeuntes, & proprios viroles, paruulosque liberos, ac sénes, tardius iter facientes, Didacus, Demanus Adelitus, comparata omni Almuganeorum manu, de quo genere hominum postea dicimus, profectus à castris Setanilliis, quæ aberant decem millibus passuum, asseditus est in angustiis quibusdam, & ad unum omnes occidit, siue odio gentis, siue prædæ spe, quod crederet eos aurum ferre, siue vlciscendæ iniuriæ alicuius gratia, siue alterius persuasus in victoris inuidiam. Eum reuersus Ferdinandus cum ad pœnam deposceret ac primos sociorum, interponebant plerique preces, vt veniam daret, quorum aliqui eo impensis absolutum optabant, vt inuidiam in Ferdinandum conflarent, qui tantum captiuorum è manibus dimisisset. Hoc autem negante se veniam dare posse, nisi fama periclitari vellet, ac fidem datam rupisse, responsum est à multis partibus, non permisurum exercitum, sanguine Christianorum, canibus illis parentari, resque iam ad seditionem spectabat. Ferdinandus qui sciret multos adesse qui inuidarent, multos qui odissent, multos qui ob factiosam potentiam nō possent à se, vtpote recenti duce, in officio teneri, pronuntiavit, Didacum sociosque se donare quidem capitum impunitate, sed non tamen 29 crimen absoluere ac quantum in ipso esset, unum Didacum ignominia notare, vt cum omnibus quæ peccauit hac leni multatione decidat. Iam tum apparebat contumaces nonnullorum esse animos, & gloriæ ducis aduersari. Sed huic eo tempore opus erat diffimulatione & lenitate, non ira aut saevitia. Dum hæc in mediterraneis aguntur, praefectus classis duas triremes dimittit, quæ si quas in traiectu barbarorum naues viderint, intercipiant, vt quid apud hostes agitur, explorent. Illæ paucis diebus biremes duas Maurorum, cursum in Hispaniam tenentes, nocte insequuntur: quarum altera quæ pergere ausa est, cum tota nocte elusisset, demum albente cœlo in potestatem triremum venit, & secundum socia missas dicit, nuntiatum quam ad diem præsidium expectaretur, percunctatumque vtrum semel rex Granatensis mitti auxilia vellet, an quod tutius, per partes & furtim: altera vero conuersa velificatione, eo unde venerat relata, nuntiat mare obsiden ab hostibus, quot autem nauibus inexplotatum habere, duas se tantum Liburnicas obuiam obtulisse, cæteras putare in occulto esse, sociam non dubitare à duabus intercepptam. Hæc vbi hostis accepit, non per partes, sed semel tota classe agendum ducit, & eo diligentius naues instruit ornatque, quod Hispanas iam in salo esse audiebat, quas fallere toties in traiectu non posset. At nostræ continuis postea diebus prænauigantes omnem illam Africæ oram, vt certius rem explorent, comprehensis aliquot nauiculatis negotiatoribus, discunt accelerari nauium apparatum quæ in Hispaniam subsidio mitigantur, ac duas & viginti triremes iusta magnitudine, ac iusto numero militum, quatuor eadem forma, sed grandiores cum sexagenis singulas eleætissimis equis. Hoc explorato nostræ confestim ad suum locum reuersæ, lebumbiterum cum secundo nuncio ad praefectum mittunt, qui rem doceat. Praefectus non ita multis diebus cæteras naues in salum deducit, ad eundem forte quo hostiles erant numerum, paratisque iam ante a rebus omnibus instruit armatque: ad hæc complures onerarias cum commeatu ampliore, ne quando mittendum pro eo longius foret, cumque machinis, si qua ad mare oppida expugnanda essent. Comitabantur autem has quamplura nauigia minora. Nec diu postquam transitum obsidere cœperant, expectatum est. Nam vix sexto die, duæ Liburnicæ nostrarum quæ procul magis quam cæteræ à freto aberant, sub ipsum solis ortum conspicantur classem hostium non longius à se quam duodecim millibus passuum, nec cætra quam bis tantum. Datoque protinus quod conuenerat signo, sociæ venire festinant ad transitum, quia hostium proras tendere vident, occupant, levatisque armamentis, ac suspensis remis, parati expectant, vt aut retro tendere, aut priusquam littori appellant, cœdere manus cogantur. Et iam erant dimidio fere, quam ab initio viciniores hostib; modo quiescentes, modo lente remigantes, atq; interim, ita præfectus iusserat, circiter iam horam diei secundam cibum sumentes. At Maurus cum ad primum conspectu totius classis aliquantu velam demisisset, non nihil vel in deliberando, vel in præparando se ad bellū, cursum repressisset, nauigationē deflectit, eo consilio, vt triremes ab aliis seiungat quæ subfido remorum carerent, ne cum tot pariter nauibus sibi sit dimicandum. Ita complicatis

velis in aduersum pene ventum, secundum terram remigare pergunt. Praefectus cognito
 dolo, alio inuicem dolo vtendum putat, confessimque & quam maxime poterat, furtim
 strenuissimum quenque ex aliis nauigiis in trireme accitum, iubet occulte quiescere, na-
 uigiaque ipsa de industria segnius sequi, quasi subsequi nequeant: dehinc cæteris præ-
 cipit, cum signum dabitur, non nisi remiges, quo multitudo dissimuletur, exclament,
 veluti sumpto animo, quia illi fugere videantur. Vehementius autem à nostris qui asse-
 qui cupiebant, quam ab illis remigabatur, qui & hostes fatigare volebant, nec ipsi cum
 triremibus pugnam detrectare, si aliter eo quo tenderent, peruenire non possent. Cum
 iam prope tribus stadiis nostri abessent, nisi sicut erat constitutum, clamorem tollunt. Il-
 li omissis remis vela faciunt, conuersisque proris Malacam petunt. Nostri quoque idem
 faciunt, breuique tempore à suis remotiores, quam ab hostili terra, hostem adipiscuntur.
 Tum ille, prout præceptū sibi erat, ne à latere, aut à tergo nostris nauium feriretur, quan-
 tum potest, obuersis proris aduersas proras excipit, imbre sagittarum ad ipsum incursum
 vtrinque in alteros emissio. Mox coniectis ab Hispano in quamcunque dabatur Africana-
 rum nauem, ferreis manibus, res non tam sagittis ac iaculis, quam pilis iaculisque gere-
 batur, utrisque non modo pro gloria, imperio, libertate, vita, sed etiam pro religione anni-
 tentibus. Addebat non leues illis stimulos, quod in conspectu suorum, & de eorum quo-
 que salute ac libertate pugnabant, quos auxilia diu expectantes desertum iri nefas vide-
 batur. Sed Hispani & robore, & numero, & religione superiores, magnam multitudinem
 barbarorum trucidant, plurimique in hostilem classem insilentes, passim cædunt, ca-
 piunt, mergunt, aquis late cruore infectis. Tandem aliquot nauibus expugnatis, cæteri
 effusa fugaterram petunt, arenisque proras impingunt, malentes vitæ quam classi famæ-
 que consulere. Ita victi atque exuti, quia victores atque instructi nequibant, Granatensi-
 bus auxilio venerunt. Hę naues partim ab ipsis, ne à victoribus retraherentur, concréma-
 tæ sunt, partim à nostris, quod eas extrahere non possent, cum ex turri Carbonaria, quæ
 est in littore Malacæ (illuc enim impactæ sunt) defenderentur. Decem ex omnibus, aut
 in pugna, aut in fuga, cum suis remigibus, nautis, militibus, atq; omni armatura captæ
 sunt: præterea duæ hippagines integris equis ornamentisque. Nam totidem ex omni
 classe, cum rem inclinare vidissent, occupatis aliis atque satagentibus, fugæ se mandaue-
 rant: quas postea classis Portugallensis cum Septam oppidum in angustiis freti positum
 inuasit, repertas in sicco, deduxit vacuas atque abduxit. Rex Granatensis vbi accepit ab
 auxiliariis suis prælio nauali male pugnatum, quosdam non ex infimo loco viros ex no-
 stris corrupit auro, quos sciebat animo alieno à duce esse. Abstinebo nominibus eorum.
 quos enim nemo pro certo peccasse conuicit, malignum sit à me veluti certi criminis co-
 demnari, & quos dux ipse putauit subricendos, ego quoque subticebo. Verusne rumor
 an fictus fuerit, ii quos rumor tetigit, ipsi viderint: satis certe dedecoris sustinuere ex ea
 infamia. Crediti enim sunt ita rotas axesque quibus turris innitebatur, per certos homi-
 nes vitiasse, vt ad primum statim motum turris subsideret. Hoc satis ad impediendum
 atque eludendum illius anni conatum esse videbatur, ita vt in reliquum tempus inferre
 bellum Ferdinandus, aut non auderet, aut non posset, aut minus commode posset. Tur-
 rim autem reficere etiam si cordi esset, si perfidia sociorum non dissuaderet, si temporis
 spatium pateretur: tamen rem frumentariam qua maxime laborabat exercitus, non per-
 missuram existimabant. Siquidem multo exilior expectatione hominum illa æstate mes-
 sis fuerat, & exercitus ex dimidio erat maior quam pro commoditate, adeo multitudo
 ipsa nonnunquam, ne victoria potiamur, in causa est. Ferdinandus vt latus ex nauali vi-
 ctoria, boneque spei ac fiduciæ plenus, cum iam machinæ ad finem peruenissent, ita so-
 licitus ob penuriam rei frumentariæ, non prius de expugnatione oppidi, vbi nonnihil
 dura proponebatur dimicatio, agendum constituit, quam milites animo ac corpore refe-
 cisset præda ingenti boum atque ouium. nam subtractus militibus cibus, non modo,
 membris vires, sed etiam animæ quæ magis quam corpus pugnat, vis subtrahitur. Pasce-
 batur autē ferme omnia pecua Granatensem in valle Cartanæ, triginta à Setanillo mil-
 lib, passuum. Hanc omnem multitudinē si possit, aut quantum maximā possit (erat ad tri-
 ginta millia capitum bouini pecoris, & quinquaginta ouium) vt abigat, negotiū dat Lau-
 rentio, & Garciæ, quos supra diximus. Illi cum quatuor millibus equitum leuiter armato-
 rum, totidemq; peditum profecti, quinque & viginti milliaribus confessis, noctu in valle
 quadā altis coarctata montibus, silentio sede capta quiescunt, ac de quarta vigilia, recen-
 tibus equis, iter peragunt, relicto ad custodiendas montium fauces præsidio duum milliū
 peditum: non quia eadē via reuerti constituerent, sed vt ab hoste conspecti, ii qui montes
 insedissent, speciem præberent prædatoriaꝝ manus illac reuersuræ, ignari tamen ipsi con-

fili ducis sui. Sed in difficultate domestici quoque celandi sunt, & perinde atque hostes fallendi: præclareq; cum exercitu ac populo agitur, si dum maiori parti bene consursum sit, minori male consulitur. Quanquam non defuit ad eripiendos è periculo socios cura, postquam prius consilium fortuna approbarat. Facto ex improviso in greges armentaque Laurentius incursu, spatii satis ad cogendam prædam habuit, priusquā ingens manus hostium in apertis campis eum posset inhibere. Plurimi vel viso præsidio, vel ex aliorū voce cognito, esse ad introitum vallis qua prædones venissent, illuc qua cuique proximū est recurrent, ut reuertentem cum præda hostem intercludant, exuantque. Laurentius inservit a collocatis in medio armentis gregibusq; longiore via, sed tuctore, castra versus cursum intendit: oves quas sequi nequibant, præter paucas quas aut in equis, aut in humeris occidas disceptraeque socii ferebant, omnes omisit, iubens suos parcere, tanquam aliquando commodius prædæ futuris. Ambo autem cum maiori equitatus parte curabant, in postremis Laurentius & Garsias, leuia cum in sequentibus assidue certamina converentes. Et cum aliquantulū processissent, ut ab se in sequendo hostem cohiberent, & sociis, sicut cenelectra colligebant, aut circumstessis, aut circumsedendis suppetiasirent: Garsias cum dimidio postremi equitatus redit, eos qui ad in sequendum properabant, in via fundit fugatque, & ad socios admissis equis peruenit, iam fatigantes, & fraude locorum ab hostibus circumuentos. Sed conspecto equitatu qui iam subibat vallem, opinatus hostis adesse omnes cum præda, vndiq; per declives colles cum clamore decurrit, transitu prohibiturus. Idem quoque nostri qui relæti fuerant, arbitrati, & à præsenti periculo nonnihil relaxati, recepto animo & ipsi descendunt, breuique suis iunguntur. Hic in ea valle acre prælrium surgit, illis quasi præda traducenda esset annitentibus, nostris angustias discrimenque sensim inter pugnandum euidentibus. Garsias dum in mediis tellis versatur, sinistra ei veru transfoditur. Tandem multis acceptis utrinque vulneribus, aliquot ex nostris, multis ex altera parte interemptis, se in tutum recepit, siue quod hostis subsequi prædam putaret, quam recuperare malebat, quam cum istis abire volentibus periclitari fortunam belli, siue quod ad eos qui abigerent pecora, redire censeret magis ex vsu esse. Sed iam illi quoq; tuto abibant. Ita utriq; diuersis ex locis sub idem fere tempus, tertio quam profecti sunt die, qui fuit Iouis, in castra hora pomeridiana peruererunt. Ea carne se exercitus illa nocte quam per uigilem comeßando atque perporando traduxit, in præeritum pauit, reseruatis in duos in sequentes dies iocinoribus, quod diceret iocinaria apud eos pro carne non esse. Compluribus diebus ea sagina refecto exercitu, cum iam omnia in procinctu essent Ferdinandus primo die, productis musculis, fossam exteriorem repleri imperat, quo possit muris admoueri turris. Sed maiore negotio secunda fossa altero die oppleta est, oppidanis non modo missilibus, ut priore die fecerant, impedire conantibus, verum etiam eruptione facta, securibus, ignibusque. Virtus amoeni militis, & spes oblata diripiendæ urbis, omnia impedimenta vincebat. Tertio autem die cum omnes copiæ in armis essent, paratis machinis, aliis ad subruendos muros, cum hilari vociferatione turrim quam extruxerant, qui iussi erant, moliri coepurunt. Ea ad primum statim conatum succumbentibus axibus, mox rotis, tota subsedit, & cum magno ineuio periculoque eorum qui & desuper & prope erant, reddito sonitu pependit, acclamantibusque ad subsidium plerisque, ii qui inclusi erant prodire festinauerunt. Ad quem tam inopinatum utrique parti casum nostri stupuere, dolere, pudere, inter se lamentari, detrimenti tantum quod accipiebant, dedecusque, ac queri præditionem, & missitare, quisnam autor præditionis fuisset. Exulcerabat quoque hanc indignationem lætitia obfessorum, qui ex tanto ac tam præsenti discrimine erepti, animos tollerant, ferocioresque, quasi vicissent, se ostentabant, Deum pro ipsorum causa pugnare iactantes. Nam numen adfuisse, non casum, aut fraudem intercessisse existimabant. Omnino nusquam magis impie atque inexplicabiliter proditio grassatur, quam in bello contra religionis hostes. Vbi quæ sibi successerunt prospera scelere nostrorum, ea diuinitus euenisce interpretantur, tegente præditionem in posterum quoque tempus eo qui ad prodendum nostros solicitauit atque induxit. Ex quo fit, ut tam prompti illi animo in bellum ruant, cupidiores interdum inferendæ plagæ quam cauendæ, quod persuasum habent, se & occisores & occisos in bello magnam apud summum Deum mercedem adepturos. Perculsi tanto casu Ferdinandus, adhibet in consilium fidelissimos quosque, & ad eos refert, quid consilii sit ineundum. Dura inibatur ex omni parte ratio. Inquireret fontes, quos magnos viros esse suspicabatur. At ne Adelittum quidem potuerat vlcisci. Reficeret turrim. At magnum dispensarium, & ut in fame magis ac magis inuaesciente, in dies militum contumacia

propo-

proponebatur. Rediret infecta re. At non aliorum culpa, sed ducis argueretur. Tunc Sanctius episcopus, Ego, inquit, Ferdinande à sapientibus viris accepi, vbi necesse est aliquid fieri, aut contra, vbi quid fieri possibile non est, ibi nullum relinquì consultationi locum. Nos Setanillium obsidemus, fames nos obsidet, & quidem arctius. cum qua nisi quacunque ratione decidimus, vereor ne nos ante expugnet, quam à nobis oppidum expugnetur. Quod si quis morbus aut pestilentia in tuo exercitu contigisset, profecto de mutando loco, atq; recedendo non dubitaremus. Nunc fame in nobis orta idem facere dubitamus? plus quam pestifero morbo, & quæ ad maiora scelerà homines inducit quam ullus morbus. Deficit nos res frumentaria, nec suffici aliunde potest. Cedamus igitur necessitatib; & quod effici nequit, non insteñus efficere. Neque est quod istum discessum putes tibi deformem fore. Tu terra mariq; victor redis, tu breui tempore maiora multorum opinioni fecisti, tu quantum in te est, oppidum hoc expugnasti: quod in manu tuam non venierit, id non tibi, sed temporibus, sed sterilitati, sed perfidiæ sociorū assignandum est. Pro re comperta habes dolum versatum esse in turri subruenda, & pro comperto habeas licet, neq; aliter in reliquum tempus expectes, non iam in turri, sed in tuo capite. An hoc usque progredi contentam sceleratorū audaciam censes? Erras si minoris audaciæ putas hoc fecisse, quam tibi venenū dare. Viuo rege cum procul abesse à rebus agendis, tamē multis patiebaris inuidos, & qui te perditū vellent: quid eos nunc facturos suspicaris quos maiorem ipsorū spe potentiam gloriamq; adeptus offendis ac torques? In quos si inquirere cœperis, quamvis non tantū in his præsentibus crimen esse arbitror, seditionē in castris excitaueris, iocundūq; hostibus spectaculū præbueris, & extremum huius militiæ actū fœdatueris, plus habiturus apud populos detractionis ex asperitate vltionis, quam benevolētie & laudis. Relinque itaque eos qui te, qui nomē Hispanū, qui religionē læserunt, hominū iudicio rumoriq; puniendos. Quod si neq; penuria rei frumentariæ neq; sociorum perfidia nos manere permittit, & satis magna cum gloria redimus, quid agendū est, nisi ut te domū recipias, comparaturus in proximū annum, & fideliorē tibi, & commodiore numero manum? Hæc vbi Ferdinandus audiuit, iussit in quartū diem profectionē pronuntiari. Interea ne lēta omnino profectio esset hostibus, circuniectos agros ferro igniq; vastati, quibus ob spem potiundi oppidi haec tenus parcitū erat. Tertio die fumantibus quo verus ex incendio Setanillianis agris, profectus cum omnib. copiis Ferdinandus vbi in campum Mauri peruenit, vnde omnem exercitum subiicere oculis poterat, iniit numerum militum recensuitq; (quod in aduentu non fecerat) equitū ad triginta, peditum ad sex & octoginta millia. Quod vbi egit, partem missam fecit, partem ad certa loca hibernaturam dimisit. Atq; ita diuersis itineribus, vt cuiq; aut cōmodum, aut imperatum fuit, discessum est. Dimissis copiis Ferdinandus ad curanda opera pacis animum intēdit, & vbi apud populos principesq; venerabilis magis atq; charus iustitia ac sapientia effectus est, bellum reparat, coacto exercitu non ex potentissimis ducibus, magna quemq; manus sequente, sed ex medio ordine hominum, probatos, nō multos ducentium, cum minimo luxarum calonumq; numero. Nam hoc genus castra auget, non aciem. Ideoq; multo maior hic quam superior fuit exercitus: sed tanto vtilior, ad sedecim tantum millia equitum quadraginta peditum. Rei quoque frumentariæ (nam in sequens annus fertilis sane fuit) ita prospectum est, vt nulla in parte Hispaniæ minor quam in castris, aut penuria, aut caritas esset. Classis autem eo anno nulla in salo, præter duas naues speculatorias, fuit. Nam barbaro aliam reficiendi aut consilium non fuit, aut fiducia defuit. Verumtamen per omnem interim tempus, Africani principes in Hispaniam clandestino tracieū militem atq; arma summiserant, prouidentes rei Hispanæ, si rursus bellū à Ferdinando inferretur. Hic cum Ispali hyemasset, iam vere ineunte, edict omnis decurionibus, tribunis, præfectis copiarum, vt in diem certum præsto sibi essent ad Eifam, quod est oppidum finitimi hominibus. His interea diebus Helianora vxor, rarissimi exempli mulier, quotidie antelucana diligentia, nudis pedibus, duarum tantum familiarum comitatu, visebatur ire ad ædem diuæ Mariæ, cognomine custodientis: quia maiorum memoria delapsò illic in puteum infantulo quodam, ad inuocationem matris mota matre Domini, succreuit ad otam usque putciaqua, & in columem filium matri restituit. Hanc in ipso digressu maiorem in modum anxiā Ferdinandus cohortans, Quid tu, inquit, vxor tantopere solicitudine mei te afflictas? Deus quem semper religiose coluimus, & causa optima propter quam nunc in expeditionem eo, & apparatus belli, & fides sociorum promittunt me tibi cum victoria reuersurum. Ex quo te bono animo esse, & non demisso decet, ne maritum in hostes euntem infausto prosequi omne iudicare. Nam desiderium mei solabere aspectu colloquio que communium liberorū. Ex quibus Alfonsum abstine, ne ægrotū animum exulcerem,

nolo abducere, fraudoque me ipsum voluptate, vt tu ea fruaris. Caeq; si me amas, ne liberi nostri ex tuo mœrore mœstiam contrahant. Qualis enim aspectus est matris familiæ, talis & totius familiæ est. In qua cohortanda, ac curanda, sustinebis etiam vires meas, & in hac te militia exercebis, cum ego pro religione, pro gloria domus, pro amplitudine vestra, in alia militia ago. Tu vero mi Alfonsæ, et si iucundissimum mihi erat indulgere tibi cupienti tyrocinium sub patre duce, tamen ne matrem solicitudine tui maceres, apud eam manebis, donec rebus prospere ire incipientibus, illa te venire permittat. Interea perge, vt facis, dare operam virtutibus, & in primis affectum quem mihi præstabas, in matrem confer. Cito autem, vt spero & opto, te è castris accersam, quo particeps sis paternæ laudis. Hæc locutus, filios deinceps amplexus osculatusque, abiit cum flore copia. 10
 rum vexillis præcedentibus, quorum primum habebat imaginem Domini nostri in cruce pendentis: alterum matris eius, cum angelo Gabriele conceptum Spiritus sancti annuntiante: tertium sancti Iacobi: quartum erat regni: deinde reliqua. Atque hoc ordine a cætero exercitu exceptus est, vbi cum pauculis diebus statua habitâ essent, Anticheram versus quæ ad Aquilonem Granatæ vergit, castra mouit. Cumque in agrum hostilem peruentum est, magna vis ferarum excitata est ex consuetis locis propter diutinam, vt fit in bello, desuetudinæ rusticorum ab agris. Quæ feræ ab agmine armatorum in quod incidenterant, fugientes, cum in aliud & subinde aliud incurrerent, fugatæ atque exterritæ hominum vociferationibus, tandem conficiebantur, aut viuæ præsertim defessæ fugitando, in potestatē multorum manusq; veniebant. Cum aues etiam multæ, tantis vndiq; vocibus inuicem ad capiendam venationem adhortantium confusæ attonitæque, ac toties reuolando defatigatæ, aut hastis in aere percutiebantur, aut manibus humi capiebantur. Hunc in modum milites ludibundi victoriam ob id prædamq; augurantes, vt est illa natione auguriis dedita, in conspectum Anticheræ venerunt. Est autem id oppidum ad radices collis acclive, cuius arx saxo extructa in declivi supercilio vrbi imminet, disclusa ab altiore colle qui perpetuis montibus ad iuga Granatæ excurrit. Mediam vallem proxima petra fluuius magnis gurgitibus erumpens secat, intra teli iactum utriusque colli vicinus, & muros, qua parte in plana se porrigunt, radens flexo alueo. Dicebatur aliquando à superiori colle venisse auxilia Anticherensibus, cum obsiderentur, eoque non redactos in ditionem, cum cibis iam armisque defecti essent. Hunc locum cum imperator in primis occupandum duxisset, episcopus sibi id negotii desumpsit, eumq; fossa primū, & vallo in sequentibus diebus, per otium muro, ac materia ad staturā hominis circundedit. Idem fecit in inferioribus Ferdinandus munitionibus, quantum dabatur mœnia concludens, crebra nunc huc nunc illuc oppidanorū eruptione opus distinente. A tergo partim iuncti carri cladebāt, partim fossa & vallum. His confectis, aquatione & fluvio oppidanos prohibere constituit. Nam intra muros, vnuſ puteus tantum esse non ignorabatur, & is amarioris aquæ, quales fore cæteros, si plures fodere oppidani tentassent, credibile erat. 30
 Quotidie autem acre prælium conferebatur, nec interdiu tantum, sed noctibus quoque, cum illi porta quæ ad flumen fert, egressi aquarentur. Et auertere quidem cursum fluminis imperator volebat, sed plurimus proponebatur labor, ac plurimorum dierū: verū malebat milites in alio exerceri opere. Itaq; de secunda vigilia, præparato cespite ac materia, ante portam, in citeriore ripa aggerē iaci iubet, ac stationē muniri, collocatisq; tormentis cum sagittariorum cohorte, egressu portæ oppidanos prohibuit. Qua ex reactū de salute obsessorum erat, nisi magistra inuentionis necessitate à superiore aluei parte, suffossa tellure, aquam deriuassent, quæ cursum, ne res deprehenderetur, nō perferret. At ne qua via furum hostibus suboleret, totis noctibus de muro carrucis ad capita vectium consertis, quibus funes ad vasa alligati inerant, aquabant. Interea labore assidue excitabatur machina, duo de viginti carris imposita, proceram scalam sustinens, pronam nonnihil atq; pendente, vt stante extra intimam fossam, machina procumbens, scala sepe in muros, aut in turrim usque porrigeret, lata ab imo ad summum decem pedes, ita sublimis vt in ea centum 50
 armati possent insistere. Subterque intra machinam, quasi in equo Troiano, totidē alii latebant, post illos priores, si turris obtenta esset, ascensuri cum ministris, rebusq; ad expugnationem, ad refectionem, ad curationē vulnerum plagarumq; necessariis. Duæ præterea minores utrinq; machinæ, quasi comites, senis innixæ carris, ex vtraq; singulis surgentibus trabibus, instar naualium malorū, quæ caueas in vertice, & vt nunc in nauibus fieri videmus, velut capita ferebāt, recepturas quaternos arcuballistarios, iā delectos, & inter omnes præcipue insignes, quorū singuli iictus singulis aureis donabantur, ita vt bini tenderet per vices, bini sagittarent: ne quem in muris non modo confisteret, sed ne membrū quidem proferre permetterent. Fuit autem consilium ducis, non ad consummationem machi-

machinam perducere, sed animos hostium oculosque fallere facta in speciem machina,
vt cum compendio temporis, tum incolumitati suorum consuleret alio genere expugna-
tionis. Ideo enim ratio agendorum cuniculorum (hoc enim genus expugnationis insi-
tuebat) & breuis & tuta habetur, quod hostis nullam ex aduerso oppugnationem præ-
parat, & incautus, & nonnunquam dormiens opprimitur. Sed acri est opus diligentia, ne
insidia deprehendantur, vt tunc diligenter prouisum erat. Siquidem ædificatio turris a-
uocabat hostis animum ab omni alia defensio ne, & humus è cuniculis egesta post eam
lignorum molem commode latebat, & sonus suffudentium ad strepitum fabrorum non
exaudiatur. Et cuniculi quidem à principio vni erant, mox in diuersa tendebant: vna
10 via quæ ad turrim effodiendam, altera quæ intra mœnia euaderet, vt pariter succensa ac
collapsa turri, & à cuniculis erumperetur, & ab exterioribus irrumperetur. Sed vt quoti-
dianis deprehendimus experimentis, maximas plurimasque opportunitates co'rrumpi
ac perdi vel minimis causis, ita ibi vsu venit. Nam quidam ex iis qui in statione ripæ excu-
babant, forte totum diem in defodiendis cuniculis insumpsierat, intempesta autem nocte
cum ad vicem vigiliarum excitaretur à socio, & quia surgere nolebat, increparetur, irato
ac maiore sono vocis excusauit defensionem, quia illo die solem non vidisset defessus,
ac defodiens in sepulchro stans, non iacens, humatusq; cum nondum homo desislet esse,
& cum effudit cuniculos, ipse cuniculus factus esset. Ea vox à quodā qui muros eregi-
ne custodiebat, excepta est, vt sunt acrioribus auribus qui magis timent, statimque ad
15 magistratus delata. Nec mora, cæteris omissis summa cura, nunquam intermisso opere,
ad cuniculos tertia nocte, quo tempore à nostris cessabatur, peruererunt, eosque quan-
tum proxime caput ipsum poterant, obstruxerunt, & adhibitis custodiis, opus subterra-
neum destitui coegerunt, & aliud vt sic dicam supramurale maiori studio peragi. Et iam
peractum prope erat, cum barbarus rex dicitur propediem non modo se obcessos libera-
tum iactasse, sed etiam obsidentes oppressurum. Sic enim fore, vt non modo quod è fi-
de regis erga suos aqua, telis, & nonnihil cibo defectos, sed etiam quod dignitate faceret,
& venerat in spem hanc, propter immensam hominum quam præter aduentitiam ex o-
mni regno collegerat. Nam satis constat eam ad decem millia equitum, & centum & vi-
ginti millia peditum fuisse, vix vllis impedimentis, yllisque calonibus ac lixis, compluri-
20 um mulierum comitatu: quæ cum in via castrisque cibos, tum in prælio potum submini-
strarent. Adeo nemini viroru vacabat fere nisi pugnare. Addidit etiam facto superbiam
barbarus: noluit ipse huic expeditioni præesse, quod diceret ab re esse, regem nisi aduer-
sus regem exire in bellum. Quasi vero non sint non solum alii principes interdum maio-
res regibus, ideoque regaliores, vt olim Romani imperatores. Sed certe qui obsidet alte-
tius regnum, ipso rege obcesso non inferior censendus est. Ferdinandum enim Infantem
esse Castellæ, ideo aduersus hunc duos Granatæ sè mittere Infantes. Metu fortassis hoc
fecit, quod videri voluit fecisse consilio. Semper enim vitia nostra honestatis aliquo ve-
lamento prætegimus. Infantes autem in omni Hispania regis filii vocantur. Quem mo-
rem, vt alia plurima, suspicari libet sumptum esse è vetusta Romanorum consuetudine,
25 apud quos, vt Hieronymus prodidit, filii etiam grandes à parentibus infantes vocitaban-
tur. Nisi forte referimus ad Græcos, quorum studia fuisse in Hispania reperio, qui indi-
stincto vocabulo filios puerosque appellant παῖδες, sicut vxores quoque atque mulieres
γυναικες: quod fieri in pleraque Hispania agnoscimus. Hebrei quoque filios iam adultos &
viros, vt David Absalonem, appellabant pueros. Et sane puer ab infante parum distat, cū
infans etiam puer nominetur. Infantum igitur aduentu palam facto, per transfugas quo-
dam Christianos percussi sunt animi nostrorum, tum tanta multitudine, tum quasi fato
datum esset, vt dum in eo esset, vt caperetur vrbs, tunc ipsi necesse haberent ab vrbe re-
cedere. Quos imperator exhortandos existimans, aduocata concione, in huiusmodi
verbahabuit orationem. Quæ res vobis commilitones mei solicitudinem ac metum in-
30 cutit, eadem mihi gaudium, siquid mihi creditis, pariter & spem facit, spem inquam ce-
lerioris maiorisque victoriae. Gaudium quidem, quod video nihil subesse proditionis in
nostro exercitu. Non enim tentaret fortunam belli hostis, si sperasset se, vt superiore bel-
lo, animos aliquorum posse corrumpere. Itaq; & meæ felicitati & vestræ virtuti gratu-
lor, quod vestra pectora ne solicitare quidem ausus es. Spem autem, quod deleta semel
hostium acie, oppidum hoc continuo in manus veniet, cætera subsequentur, cursus vi-
ctoriae ad Granatæ usque perueniet. Neq; vero interest vestræ virtutis, quos ex omni mihi
numero delegi, quosq; aduersus Cyri, aut Darii, aut Xerxis exercitum educere auderem,
extimescere hanc regis Granaten sis tumultuariam manum, & ex ignauissimis quibusq;
collectam, turbaq; non viribus aut scientia militari fidentem, atq; ex maxima parte iner-
mem, neq; tam ad pugnandum, quam ad terrendum, aut aliquid per occasionē faciendum

missam, cui ne rex quidem ipse credere se ausus est, sine commeatu, sine impedimentis, sine bellicis tormentis. Quæ si nos triduum intra castra contineamus, dissoluatur ac redire cogatur. Sed Deus prohibeat, ut illi nos in castris velut obfessos qui obsidemus cernant, & terrere videantur. Neque ego multis mihi, sed fortibus ac bene armatis copiis opus esse duxi, cum liceret multis vti. Mihi credite, si aliae nunc domo nobis auxilio copia adueniant, & meo & vestro nomine aduentum earum, dolorem ausum dicere, etiam missas facerem. Quæ enim laus est imperatori atque eius locis qui gloriae studeant, si non arte bellica vincant ac virtute, sed numero? Potitur is quidem imperator atque exercitus in hunc modum præda, sed quæ generosis animis multo dulcior est, gloria caret. At ego vos non modo ad maiorem gloriam voco, sed ad maiorem etiam prædam. Sicut enim cum maior numerus vincit, nonnulli exortes lucri sunt, ita cum vincit minor, omnes afficiuntur emolumento. Nam quod quidam dicunt, se moueri, quasi fatale sit nobis, cum ad expugnandam urbem ventum sit, expugnationem ipsam impediri. Id vero inane & ridiculum est, quasi vero res semper eodem ordine eant, cum plerumque videamus ire diuerso. An non superiore bello expugnaui Zaram? non alia nonnulla oppida? Ergo non eadem illorum quæ Setanillii fortuna, ita neque erit istius. Ecquid simile in eo atque in hoc bello? in quo plurimi affuerunt qui nunc absunt, assunt plurimi qui tunc aberant. Ad hæc in illo famæ, proditio, item naues vtrinque multæ, terrestris hostium exercitus nullus fuit: in hoc est affatim ita victus, fides procerum militumque, naues vtrinque nullæ, & vtrinque terrestres copiæ. Quare siquid similitudo aut dissimilitudo facit, quoniam plurima hic atque illic dissimilia sunt, diuersum fine m hunc ab illo fore credamus, confidamusque in eo sub cuius imagine in acie stabimus. Ideo Setanillii potendi spe nos frustratos esse, ut probata deo nostra constantia, ad aucta que illorum superbia, aperto bello nobiscum congressos fundamus, cum summa & illorum calamitate, & nostræ lætitia, utilitate, gloria. Quæ cum ita sint, istum indignum virtute vestra metum, & istam superstitionem opinionem deponite: nihilque aliud nisi de fortitudine, de laude, de victoria, de præda, & ante omnia de Deo cogitatis. Ego quod ad me attinet, dabo operam ne in duce vestro consilium atque industriam desideretis. Hæc vbi dixit, animosque omnium alacriores factos cognouit, iubet vt in posterum diem parati sint ad expeditionem, neve quis castris longius exeat, donec de itinere hostium compertum sit. Nam vulgabatur iam hostem mouisse. Sub vesperum exploratores quoquo versum dimittit, qui renuncient, qua ex parte illum aduentare aut videant, aut audiant. Noctu nihil certi explorari potuit. Prima luce alii alibi quosdam equites se procul vidisse nunciant, & ipsos ut credebatur, vel ad explorandum, vel ad fallendum destinandumque missos. Ascendente iam die ac calecente, cum imperator cibum maturius capi præcepisset, unus speculatorum, subditis calcaribus, anhelanti equo, & ipse anhelans castra intrat, & ut cuique obuius fit, nunciat hostes aduentare, non quidem à se visos, sed quos ex puluere venire intelligat, per buccam Asini (hoc nomen faucibus eius montis est) transituros. Ad quem nuncium imperator signa canere iubet, & omnes in armis esse, & in sua quemque statione, equitesque protinus ad vexillâ cum equis præsto esse, simulque Petrum Pontium Marresanum, sane strenuum decurionem dimittit ad certius explorandum, quantæ copiæ, quo in loco castra posituræ, aut quid acturæ, & hæc renunciare episcopo, qui maxime obnoxius venturis hostibus videbatur, qui secundus à duce habebatur. Ipse suspicatus aliquas hostium turmas longius in ipso aduentu excursuras, gratia prædandi vel iumenta, vel pecora, vel homines, cum maiori equitatus parte circuit castra, ex idoneo loco illos aggressurus, interclusurusque, atque in tergis hæsus. Sed tanta celeritas hostium fuit, ut priusquam hic eo quo intendebat euaderet, ad superiora castra peruenirent. Nam simul ac Petrum Pontium viderunt, siue continuato quem instituerant curru, siue ob eum ipsum velut exploratorem magis moti, laxatis habenis virum insequuntur, aliique subinde atque alii, ut quisque maxime effuso cursu persequi poterat, ut ipsi prænuntiis essent: vsque adeo vix satis spatii Petro fuit ad se coniiciendum in claustra portæ castrorum quæ petebat. Ibi pugna non iusta acie incipitur, decursantibus atque obequiantibus munitiones barbaris, si qua transitum facere possent, assidue aliis super alios applicantibus. Episcopus cum sua manu pro munitionibus acri animo pugnans, non sinebat quempiam egredi equitum suorum, donec imperator aduenisset, aut iussisset. Sed cū aliquandiu nihil atroxiorum, neq; à duce, neque ab inferioribus castris mitteretur, nihilque ei præcipiteretur, sibi per se præcipiendum putauit, sumptuque è re præsenti consilio, ante quam hostium & numerus & audacia increaseret, consensis equis, receptoque in medium peditatu, vtraque porta cum clamore erumpit, incautosque ac dispersos inuadit.

dit, & impetu ipso atq; impressione loco non nihil mouet, mox etiam propellit: ibi q; pa-
lum prælium hæsit, & iam prope & quo Marte dimicabatur, nec diu res Christianorum e-
ratatura superior, nisi qui in inferiorib. castris erant equites, cognito prælio, cum quinq;
cohortibus superuenissent, credentes & imperatorem ipsum versari in pugna. Barbaris
quoque non modo equites subinde auxilio veniebant, sed iam pedites aderant, & vterq;
Infans adesse videbatur, alter peditum adhortator: collatoque pe de copiæ pedestres ma-
nus conserebant, & contempta Christianorum paucitate, Maometam se in manibus ha-
bere victoriam, alacri vociferatione testabantur. Interim accepto & clamore & nuncio,
imperator iubet nuaciari iis qui ad castra sunt, relicto quod satis ad præsidium esset, cax-
teros citissime ferre suppetias superioribus castris. Ipse eodem quo constituerat itinere,
sed maiore occasione quam sperauerat, quasi ex occulto in barbaros equites, renouato
clamore è latere incurrit, aciemq; ipso impetu auertit, & labentibus ab equo plurimis in
fugam conuertit. Nostri qui modo laborabant, addito animo instant cedentibus, missisq;
aduce ad pedites auxilio equitibus, eadem illic fortuna pedestris certaminis fuit. Procul-
cabantur iam pedites, non a nostrorum modo equis, sed etiam à suorum, cum in latus
magis quam retro propulsi essent primo incursu. Iam omnis ex inferioribus castris exer-
citus se proiecerat, & alibi effusa, alibi confusa fuga, petentem tutu hostem inuenit. His
vndiq; barbarorum ingens cedes, passim arma abiicientium, siue vt leuius fugerent, siue
vminus ad cædendum prouocarent victorē. Ita arma quæ & ad protegendum dominū,
& ad feriendum hostem inuenta sunt, in contrarium usum mutabantur, quod neque do-
minos protegebāt, & vt illi ab hoste ferirentur, nisi abiecta faciebant. Iam nemo aliorum
de inferenda aliis morte, sed de sua vitanda cogitabat. Ipsi quoq; Infantes vt Ferdinandū,
omisis aliis, instare cum delecta equitum ala sibi solis cognouerant, eximia perniciitate e-
quorum usi sunt, in quam maxime utili re poterant, non in quam maxime speciosa, salute
laudi prælata, tanto turpius inter suorum fugam, anhelitum, lamentationes eunt, quanto
splendidius paulo ante aduenerant. Erat operè pretium videre in tanta hominum mul-
titudine, quæ terga dabat, aut prosternebatur, non unum armorum colorem, sed unū ve-
stimentorum, aut duos. Siquidem non alia ueste amicti erant, quam rubra venetae, aut
ex ambobus discolor. Multi de rupibus vel à turba arctante deiiciebantur, vel ipsi se de-
iciebant, quorum alii nuda humo distracti, alii cotibus lacerati, alii vepribus confixi in-
nexiq; visabantur. Multi se ferarum ritu in dumos ab debant, & cum manus hominū vi-
tant, eo se immergunt, vnde sine hominum subsidio emergere non possint. Nullus in ser-
uitutem acceptus, nulli pepercit ferrum, nisi mulieribus quæ cum in via, tum vero in ca-
stris, & ultra castra captæ sunt. Nam ipso victoriæ cursu, castra nondum munitionib. ci-
cta, capta dirept. q; sunt, licet parū plena essent. Nec longius illinc processum est, & quod
angustiæ quædam subeundæ erant, & quod plurimi in colligēdis spoliis ferendisq; capti-
uis eq; is substiterant, & quod parum iam ante noctem profici poterat, & labore extrahi
in noctem multam, in media hostium terra, parum tutum videbatur. Nam sæpe occasio
rei bene gerendæ viatos ad spem victoriæ inuitat, & extrema victoriæ negligētius admi-
nistrata, calamitatem victoriæ afferunt. Id potius quod supererat temporis, usum est ex-
pugnationi dandum Cocciae oppidi, quod in fauibus ipsis buccæ Asini situm est. Oppi-
dani quibus denunciatū erat, nisi se dederent, extrema passuros: si dederent, cum omnib.
quæ quisq; ferre posset, abituros: primū se imperata facturos negauerunt, deinde ubi tan-
tam manum circumfundi viderunt, se obtemperaturos dixerunt. Quibus responderi iu-
bet imperator, quandoquidē non statim paruerunt, se non relinquere eis nisi uestimenta:
fin punctum temporis in pertinacia persistenter, ne libertatem quidē relinquerum, nec de-
nec etiam fore securos. Hoc terrore permoti se dediderunt, oppidum vero militib. ad
direptionem concessum. Tunc semel data vitæ venia hostibus, & quia multum funiculi
apud captiuas repertum erat, quoscunq; iam barbarorum capiebant, præsertim aut lati-
tatem, aut asperitate veprium circumuentum colligabant, poscentiū misericordiam, &
ultra manus in habitum eorum qui vincuntur, componentium. Res mira di&t, quibus
vinculis alligatum hostem se tradituros suis fœminis promiserant, iis vinculis ipsis inspe-
ctantibus eidem fœminis alligati sunt. Ideoq; iuste videbantur, vt vincirentur, non tru-
cidarentur, orare: quod etiam impetraverūt, posteaquā iustitia suæ causæ innotuit. Dux
prodigato barbaro exercitu, oppido recepto, præsidio imposito, illinc primis tenebris
rediit, ac præeuntibus cereis & latera viæ passim incendentibus, vt qui vagi palantesque
persequendis hostibus abierant longius, vestigia nanciscerentur, in castra peruenit. Ca-
pta fuit signa militaria ad duo millia, candida ferme omnia. Vnum præterea Granatae,
cuius in medio pictum erat granatum (ita enim malum punicum vulgo vocant) hians &

phœnicea grana exerens. Numerus autem captiuorum cæforumque magis à suis quam à nostris initus est, desiderataque sunt, ut eorum confessione compertum est, ad tringinta millia virorum, quingentasque mulieres, quæ ob contumeliam quæ illi sexui fit, magis illic doluere, quam totidem viri ex nostris. Nonnulli ex castris episcopi, vix plures ex aliis, nec sane multi vulnerati. Cuius victoriæ cum magnam laudem episcopus, magnam fortitudo militum retulit, tum multo maiores ipse imperator, qui & ante rem militem animasset, & in re nihil ad superandum hostem reliqui fecisset. Ipse tamen felicitati suæ suorumque, hoc est fauori diuino, victoriam se debere præcipue dicebat. Paucis postea diebus, cum odor cadauerum æstiuo calore adiutus, infestaret castra, non modo præsenti fastidio, sed etiam periculo imposteriorum pestilentiarum dux præcepit, ut tracta vno & in aceruos collecta succenderentur. Ex quo intellectum est, quod diuturna desuetudine diceramus, non plurimis lignis opus esse ad cremanda humana cadauera, præterim ut tum erant solibus incocta, & adipibus qui defluebant, nonnulli alimenti flammæ præbentibus. Offa tamen promiscua atque inhumata manserunt, ne rogum similem præcis hominibus sortirentur. Quorum ideo cremabantur corpora, vt offa cum cineribus legerentur ad sepeliendum. Horum vero is exitus fuit, vt primum vita, deinde vestitu qui deformitatem operit, tum carne, postremo sepultura, etiam apud inferos quiete viduarentur. Sed per eosdem dies quibus hæc ad Anticheram geruntur, duæ aliae pugnae diuersis in locis eodem prope modo gestæ sunt, sed hoc diuerso, quod sicut hic castra nostra hostes, ita illic aliena oppida nostri adorti sunt, infelici & ipsi euentu, nisi fortuna afferuisse. Sed quod aliquanto prius fuit, prius narrabimus. Quatuor oppida sunt finitima Anticheræ, quorum nomina sunt, Humeda, Baieza, Graen, Chelada. Horum incolæ circiter ad tria millia, ex sexta parte equestres, cum fama exisset, non modo bellatores, sed omnes qui per ætatem arma ferre possent, etiam foeminas Granatenses esse in expeditionem, constituunt in illorum agrum facere incursionem, & à muris usque prædas abigere: nunquam enim se tantam occasionem, nec habuisse, nec habituros: itaque læti alacresque proficiscuntur. Res primo prospere ire, neminem prædatoribus obuium cum armis se ferre vident, pastores & eos ratos ad primum incursum diffugere, pecora relinquere, unum salutis suæ auxilium ponere in arduis murisque subeundis. Sic hester na calamitas (nam pridie profligati fuerant) omnes perterritarunt: ita securius ingenitum prædam cogunt, abiguntque retro qua venerant. Re autem palam facta in urbe per eos qui euaserant, & ipsi Granatenses è turribus prospiciunt prædones, & quia in diuersam à castris viam abibant, non esse de numero victorum coniectura colligunt, sed finitimos per occasionem ad prædandum solicitatos. Igitur ne finitimus quoque ludibrii essent, raptim armis sumptis, ad quinque millia peditum, quingentosque equites, hostem vestigiis inseguuntur, fessosque & ad radicem montis stratos, partimque dormientes sub noctem nanciscuntur, incautos aggrediuntur, non paucos trucidant. Ceteri semisomni, qua cuique proximum est, diffugiunt, fere duo millia in montem ascendunt, à quo nusquam nisi eadem via descensus esset. Hostes quia & ipsi, & equi de via fessi erant, cum illuc cursu venissent, satius putarunt differre per noctis tempus, expugnare eos qui iugum montis ascenderant, cum præsertim sine pugna se dedituros crederent: aut si hos vellent omittere, greges abactos non sinere per noctem pascere, sed defatigatos ad nouum laborem impellere, non erat ratio. Sicque dispositis qui obsessos, & qui pecora in pascuis distributa custodiant, cibum quem poterant, deinde quietem capiunt, lucemque expectant, tunc quid consilii iucundum sit, deliberaturi. Tubicines autem cum fremitus hostium ac tumultus ab altera parte misceri cœpisset, & cum iis multi alii ad trecentos numero infrenatis protinus equis fugam intenderunt, beneficioque noctis elapsi sunt, sed aliorum quam in patriam versus. Verum cum equos inedia ac labore confectos, & præsertim nocturno ignotoque itinere adigere vix possent, delituerunt in colle quodam, equis in prato ut quiescerent pascerentque alligatis, quibus de tertia vigilia receptis consensiisque, ubi longo ambitu montem circuissent, obuum habent quandam, nomine Petrum Mendociam, adolescentem, maioris quam proætate, & animi & consilii & roboris, ut ipse declarat exitus. Hunc alii seu quod parcerent, seu quod diffiderent ætati, secum educere recusauerant. eam contumeliam non tolerans adolescentis, atque ira plenus, in sequenti nocte, adhuc intempesta, cum aliquo quibus prædatum domo egressus est, affirmans se facturum periculum an illa in ætate vir esset. Qui cum ad montem ubi ciues obsidebantur, appropinquaret, iam iam pro prædatore futurus præda, deo amico obuius fit trecentis illis, cognitaque ex aspectu eorum fortuna, paucis rem gestam docetur: hortantes eosdem ut secum festinato redi-

ret, ipse è contrario vt secum potius irent, huiusmodi oratione persuasit. Audite quo amici pauca. nam rem vobis honestam, vt spero, atque utilem proponam, quam eligatis licet, si placuerit sociis. Ac ciuibz nostris nihil reliqui est, vt audio, quin aut fame absumentur, aut hosti se dedant. hoc detrimentum quantum sit, ipsi videtis. Quibus si opem non ferimus, cum liceat, mortis eorum aut seruitutis: sin ferimus, vitæ libertatisve autores erimus. At quomodo ferre opem licet? eodem quo patrem meum simili in casu sociis tulisse, ex ipso s̄epe audiui, quod referre temporis angustiæ non s̄unt: tamen similitudinem ex meo consilio cognoscetis. Circueamus hunc collem, unde à sociis videri, ab hostibus non videri possimus, & dum vicini erimus, ab ea parte quæ ad castrafert, tubæ atque cornua bellicum canent, sine ullo nostro clamore, ne paucitas fortasse prodatur. nostri intellecto dolo & ipsi auxilium ab imperatore missum venire simulantes, quippe necessitas cogit omnia audere, præcipiti cursu ferentur. Qua noua audacia fidem faciente has tubas esse aduenientium socium, illi vt spero terga dabunt, aut certe nostros abire permittent, retro se recipientes in tutum. Neque vero strenuos viros esse hos existimare debetis, etsi vos fūgauerunt. Cuius rei hæc documenta habeo: quod soli omnium, tanquam minime strenui, in urbe reliqui sunt: quod nisi noctu vos, nisi incautos dormientesque invadere ausi non sunt. At certe reliqui sunt profligati exercitus. Namque heri propius solis occasum, rumor de victoria imperatoris domi maximus erat, quod iam istos, si de numero illorum non sunt, rescisse oportet. Vt roris tamen modo tales sunt, quibus parvus terror maximum metum incutiat. quod si tantum ad descensum nostrorum summouebuntur, ciues nostros è pernicie eripuerimus, nullo nostro cum periculo, & ingenti cum gloria. Si, quod magis & opto & spero, perculsi metu atque exanimati, longius fugam capessent, aut in prima fuga opprimentur, cum maiori gloria & gratia erimus socii prædarum participesque victoriæ. Quare agite, quod bene vertat, & meum consilium, & meducem sequamini. Hæc locutus pergit: alii, credentes non inuitatos, sed imperatos, uno omnes animo sequuntur. Ille antecedebat, fungens speculatoris officio, atque illis qui erant in iugo se ostendens. Non enim ea nocte præsolicitudine illi somnum ceperant, mirabantur tamen quid rei futurum esset, & iam diluculum erat, cum ad exitum supinæ vallis quæ ad hostes ferebat, cernentibus sociis, circiter duo stadia ab hostibus, ventum est. Ibi tubæ cornuaque cecinere bellicum. Et socii iandudum dolo percepto, omnes strictis gladiis, reddito clamore, decurrunt, semi-somnos attonitosque inuadunt. Illi dupli clamore & clangore circumuenti, prius quo fugiant, quam quo tela sumant, circumpiciunt, fugientium terga Christiani cædunt, simulque Mendocia ex vociferatione fugientium insequentiumque, quo in statu res sit coniectans, in apertum prodire festinat, magis ac magis tubis concrepantibus. vbi conspicatus fugientes, cum comitatu pariter insequitur. Tandemque multis mortibus trucidatis, multis captis, maiorem calamitatem reddunt quam acceperunt, & prædam non modo desperatam, sed multo etiam spe ac voto maiorem reportant. Ita hominis quem vt necdum virum in societatem admittere noluerant, virtute libera-
ti sunt, & victi victoriæ consecuti. Nec vero maligni in agnoscendo beneficio fuerunt, facta illi potestate, quæcumque vellet eligendi, aut si mallet, omnia sumendi: qua tamen vti noluit, nisi prædam ad arbitrium suum partiendi. Ex qua tertiam partem sibi tubicinibusque ac sociis quos reuocauerat, distribuendam adiudicauit: reliquias virilibus partibus inter se diuidendas censuit, quoniam par periculum, labor, audacia extitisset. Atque in hunc modum gnare acta opera, pleni prædarum, ac læti, præterquam quod aliquot è suis amiserant, reuertuntur. Sed tantus fuit propriæ salutis metus, ea recuperata, vt minor de aliena morte dolor sentiretur. At centum numero desiderati sunt, cæteri aut ad victoriæ suorum è latebris prodierunt, aut, quæ mini-
ma pars fuit, per dumos, colles elapsi, tristem nuncium domum reportauerant, ita vt iam pro deploratis omnes essent. Quo magis & latet & admirandus eorum reditus cum præda fuit, vnum Mendociam in cœlum tollentium, quasi singularem ducent, quem domi pridie pro non idoneo adhuc milite reliquistent ac respuissent. Altera pugna non ab oppidanis, sed à castrensis viris incepta est. Erat in castris eques quidam nomine Ioannes Mars Scerentensis, quondam Agarenæ superstitionis, impiger iuuenis, viribus animo respondentibus. Hic hortatus sodales suos, vt in agrum Malacatum incurrentes, agerent prædas, ad centum homines quos paupertas audaces faciebat, coegit. Profecti cum iam octo millibus passuum ab urbe abessent, sub lucem trecentos, vt colligi poterat, equites ex aduerso se ferentes conspiciunt, moxque

conspiciuntur inuicem, parua iam vtrosque dirimente intercapedine. Cæteros, quod de
 deprehensos arbitrarentur, fugere volentes, Ioannes oratione retinuit, & vt hostem quo-
 que inuaderent, induxit. Socii, vt ipse vestri aduentus, & vt sors tulit, vestri periculi autor
 sum: sic meum est, vestri redditus ac vestræ salutis curam habere, non solum meæ. Si locus
 hic vbi sumus satis apertus ad fugam esset, si satis etiam distantia ab hostibus, nimirum
 non tam ferox temerariusque sum, vt pugnam moramue suaderem. Nunc cum & locum
 ceperimus angustum, quo veniremus occultius, & hostis non absit longius quadringen-
 tis passibus, vt opinor recentioribus quam nos equis, quam spem salutis tantam ponim-
 us in vna celeritate equorum? A fessis plus quinque & viginti millibus passuum re-
 metiendum est. Quos isti incompositos ac dissipatos insecuri, vt quemque primum alle-
 quentur, trucidabunt, & vt eorum habeo animum, vsque ad vnum. Non enim firmio-
 res nostri equi, aut, vt dixi, recentiores sunt ad perferendum cursum. Modo tres quatu-
 orum illorum qui plures nobis sunt, si pernicibus equis infideant, instabunt fugientibus,
 terga cædant, & aut morari compellent, aut ritu ouium caprarumque mactabunt sin-
 guli plurimos. Ut renouemus in nobis ea quæ de Rolando Arnaldo in hac regione gesta
 memorantur, qualia fuisse Hectoris, Æneæ, Achillis, aliorumque priscorum, frequenter
 audiui. Ex quo non mortem defugiemus, sed honestam mortem refugerimus. Est autem
 honesta mors in pugna, non in fuga, ad quam mortem fortior vos hortari ausum, si nihil
 aliud sit reliqui: nunc etiam spes salutis ac victoria ostenditur, si fortunam belli tente-
 mus. Sæpe enim pauciores vel consilio, vel virtute, vel quod maximum est, necessitate,
 ac desperatione vicerunt. Magna res est proponere animo, aut vincendum, aut mortem
 dedecusque atque omnia extrema patienda. Sæpe infirmiores feræ quæ in aperto singu-
 las robustiorum ferarum fugissent, cum se inclusas viderunt, contracta rabie, aduersus
 plures insurgunt, & nonnunquam ciuile & fugere compellunt. Ego vidi vulpem vnam,
 vulneratis plerisque canibus, euasisse. Nos ergo tot vulpes cum rem nostram in angusto
 videamus positam, paulo plures canes extimescemos inuadere, si incolumes & cum lau-
 de volumus euadere: quid, quod nostrum adiuuat fortuna consilium? si inuadimus, spe-
 ciem præbebimus, nos partem insidiatorum esse, non totam manum. Neque enim com-
 pertum habent numerum nostrum. videtis vt lente cunctanterque veniunt, vt duos lon-
 gius præmisserunt explorandi causa, & ipsos hæsitantes & circumspicientes. Audendum
 igitur antequam certum explorent, & tanquam fiducia sociorum qui lateant, feroce-
 mus, ferociter irruamus. Victoria imperatoris nostri omnia facit eis formidolosa, nobis
 audenda. Vnde aut victores cum præda & gloria redibimus, aut certe honestissimam
 mortem oppetemus. Quam nefas est appellare mortem, fruituros apud parentem vitæ
 vita æterna. Speroque in Iesu Christo qui me de pristina mortalitate ad spem æternitatis
 reuocauit, eum hanc meam spem non frustraturum, atq; eius inuocato nomine, feror in
 suos hostes. Hoc dicens adacto equo, in duos antecursores, & iam proximi erant, infesta
 hasta dirigit cursum. Illi propere terga dant, cæteri Christiani insequuntur. At barbari
 qui ad responsum exploratorum suspensi erant, visa eorum subita fuga hostiumque in-
 cursu turbantur, & inter pugnæ fugæque consilium commiscentur, & aliis terga danti-
 bus, alii perterrentur, atque ita iam omnibus in fugam versis Christiani irruunt. Sed po-
 stremi non tam cito vertentes terga, quippe qui rem non videbant, vt in locis non ad-
 modum latis, impedimento erant prioribus fugere volentibus. Sic data facultas est Ioan-
 ni sociisque cædendi, sternendi, capiendi, quanquam nullifere curæ erat capere, nisi pri-
 us bene multos ex maiore turba quam ipsi essent interemissa. Nec destiterunt insequi-
 donec & proprius urbem erant, & plus dimidium hominum conciderant. Paucisque ca-
 ptiuis, sed plerisque equis captis, ad castra reuertuntur, equis qui aut saucii aut afflitti
 subsequi nequibant, ne hosti profuturi essent, subneruatis. Ad horum ingressum admiri-
 rabantur omnium oculi, vnde tot sine vectoribus equos, tot eorum strata. Nam multi
 terna quaternaque strata atque ephippia gestabant. Quærebant nonnulli, vel ioco, vel so-
 serio, an socios cum equis amisissent. Respondit quidam, immo interrogate equos ipsos,
 & ornamenta ac vestes, quosnam socios amiserunt. Ioannes etiam facetius, vt fumus in
 victoria faceti & dicaces: Nos vero in nemore sumus venati, & quot animalia nostras
 manus effugerunt, non perdidimus, perdidimus quot non effugerunt: hæc sola nec effu-
 gerunt, nec perdidimus. Et hæc quidem nostrorum in oppida hostium incursions, toti-
 dem sunt illorum circa castra munitionesque nostrorum aliquanto posteriores, quasi &
 ipsi audendum sibi eodem genere existimarent. Sed mirum profecto fit mihi cogitanti,
 omnem quæ per id tempus tentata est incursionem, fuisse non minus infaustam quam
 temerariam. Sed temeritatem Christianorum in bonum, Maometanorum vero in ma-
 lum

lum deduxit Deus. Prior autem ad eos pertinet, de quibus me promisi dicturum, Adelitos, Almogabenosq;. ita hos appellat ea Hispaniae pars, vbi hæc sciætia, si ita appellanda est, viger: quorum alteri sunt duces ac velut magistri, alteri comites ac discipuli. Horum ars ac peritia est; ex volatu avium, ex voce, ex ferarum occursu aliarumq; rerum plurimarum, atioliari quid boni malique sit euenturū: deq; auguriis omnibus prognosticis habent libros diligentissime scriptos, horum vt dixi magistri. quæ opinio vsque ab Homero vtique iam superioribus nata temporibus, apud plerosq; poetas, historicos, philosophos, sibi fidem vendicauit, multique de ea scripserunt, partim qui assererent, partim, quorum de numero ego sum, qui improbarent atq; refellerent. Est alia horum peritia quam compertissimā probat experientia, inuestigare transitus, non equorum modo iumentorumque, sed hominum quoq;, per vestitam, per nudam, per duram humum, per lapides, per saxa, per cotes, vt nec numerus eorum qui transierunt, vñquam fere eos fallat. Ideoq; non segniter ac tarde, sed vt venaticos canes dicas, quibus si Latine sit nomen dandum, nullum decen-
 tius dari queat, quam inuestigatores, cum in vestigiis vestigandis exerceantur. Quos si mihi permittam ita appellari potius, quam eo prope rusticano nomine, non sim insolentiæ accusandus. Habenda enim ratio est decoris in loquendo, cum vtique accurate scribimus. Quod si hoc conceditur, illud multo magis concessum iri necesse est, quos vulgo Caballerios vocant Græci (de his quoque nunc pariter mihi dicendum est) eos vocare e-
 querios, ne eorum sequamur errorem qui verba Vlpiani scribentis de iure ciuili, male ac-
 cipientes, vocant milites. quod nomen eorum proprium est qui militat, præsertim sacra-
 mento illo militiae obligati. Nec id posset alia rei adaptari sine maxima perturbatione li-
 brorum qui & scripti sunt, & scribentur. Ideoq; eruditiores in hanc significationem eo
 nomine non vtuntur, quod tamen cum emendare conantur, in simile vitium incurunt.
 Qui quia caballerius à caballo dicitur, quasi rusticitate in hanc soni reformidantes, pro eo
 equitem substituunt. Sed cum eques habeat suam significationem apud omnes autores,
 sicut miles in eandem quam modo diximus, si aliter accipimus, quam fert consuetudo lib-
 orum, incidemus in perturbationē. Quare quis non videt rebus nouis esse accōmodan-
 da noua nomina? vt veteres, à quibus præcepta habemus, & exempla sumimus, factita-
 runt. Nec nos non minimum operæ pretium est esse præfatos: nunc equerios sine repre-
 hensionis metu dicemus. Hi numero centum fuerunt, inter primos eius ordinis, nonnulli
 aliaduenæ ex Africa, cæteri indigenæ, qui se apud regem deuouerant, nunquam reuersu-
 tos ad cōspectum illius, nisi præclarum aliquod aduersus Christianos facinus edidissent:
 incitati, vt colligi potest, non modo regis charitate, sed æmulatione gloriæ quorundā ex
 Christianis, qui decem millibus passuum à castris stationē tuebantur, tum ne quis trans-
 euntem commeatum intercipere posset, tum ne quis domum se reciperet, treceti nume-
 ro iureiurando adacti, se locum nullo terrore deserturos: & quia in mentibus militū, & fe-
 reonium plus valet pœna metus quam religio, pœna addita, vt si eques desereret, armis
 equoq; exueretur: sin pedes, certo plagarū numero inspectantibus sociis cæderetur. Hos
 barbari equerii cum viribus freti, tum improviso aduentu, sperabant se oppressuros, in-
 terceptaque re frumentaria, stationem retenturos, donec aut rex auxilia misisset, aut sibi
 alias manere conducibile visum esset. Obseruato itaq; tempore, per occultos transuersos
 quetramites, uno tantum contento qui cibum ferret mulione, veniebant. Cum inuesti-
 gatores eorum iter numerumque odorati, mittunt breuiori via ad stationarios nuntium,
 docentq; quid acturi sint: ipsi coacto raptim suorum globo, vestigia inseguiri instant, & v-
 bis sub oculis fuit hostis, quam occultissime poterant subsequuntur, vt lateant credentem
 fallere alios, fallantque cum fallit. Iamque ad torrētem equerii peruenierant, cum pauci
 in statione quæ supra vltiorem ripam posita erat, interlucerent. Hic ex composito ab iis
 qui à tergo & à fronte erant, velut in deprehensos, simul exclamatum est. Quo ancipiiti
 terrore consternati equerii, quia conuertere retro cursum difficile erat, & plures sequi e-
 quites, quam in statione equestres esse vident, ire pergunt, & in alueum se demittunt,
 tanquam per aduersam ripam cum aliquantum processissent, viam inuenturi. quæ mul-
 tum eos fecellit opinio. Nam vbi paulo plus quam iactum sagittæ per glaream procurris-
 sent, offendunt rupem, ex qua torrens cursum quoties habet, in præcepis cadit. Ibi subsi-
 stentes equerii circunspectant attoniti, & consilii inopes, à fronte rupe, à tergo ponte qui
 inflato torrenti imponi solebat, per stationarios deiecto, ab vtroque latere ripis, & eas ho-
 ste premēte interclusi, & vt se dederent, nisi perire mallēt, vndique exaudientes, & infe-
 sta ac suspensa tela cernentes, dixerunt sed dedere: iussique non descendere ab equis, sed
 se longa cunctos serie colligare fune quem victores deiecerant. Ita iuncti ex alueo proce-
 ferunt, scutis ex corio factis, qualibus Mauri semper atque Afri sunt vni, ad sinistram partē

ephippiorum appensis, lancea subter dextrum femur iacente. Atque ita cum inauratis calcaribus, aliisque equerorum insignibus, cum magna exultatione ducentium, quod hoc sua arte potuissent, ad imperatorem perducuntur. Quo ille spectaculo ita magnos risus excitasse fertur, vt vix unquam sit visus risus hilarius, dixisseque circumfusis inuestigatoribus, ac præ victoria gloriabundis, quoniam puderet captiuos in illo cultu conspicere exuerent, & eum sibi haberent: significans per lusum, illorum spolia se dare dono iis qui cepissent. Venio nunc ad postremam barbarorum incursionem. Domuerat per eos dies imperator circumferendo arma, partim terrore, Cozam, Sebar, Alzanam, Maram, alia que nonnulla oppida. Hostes ob id timentes Antidonæ, quæ abest ab Antichera milibus passuum decem, & vt illi loquuntur duabus leugis, magno cum comitatu militum illuc rem frumentariam supportauerant. Nec eo contenti, fiducia vicini receptus allecti sunt ad tentandam excursionem, si quid prædæ abigere possent, fortasse quod audiuerant viderantve multa iumenta pascere aliquot stadiis longe à castris. Pascabant autem illa, quod aut macriora, aut quod minus valida, aut quod minus necessaria dominis carent, aut reuandi sumptus, vt fit, gratia in loco herbidæ ad præterfluentem amnem nomine Gorzam. In hæc illi, & in custodes, si quos nocti sunt, impetum faciunt. Sed eos ut primum contendere in castra versus prospexit noster speculator, signum fumo fecit quo nostri excitati, armis repente sumptis, prouolant. Insidebat speculator in petra, inter utræque urbem pari interuallo, nomine Pegna amatortum, hoc est Petra amantium. Huius nominis causam, quia non iniucunda auditu est, satius est perstringere quam omittere. Iuuenis quispiam (nomen non traditur, nec patria, sed tantum natio, quod eslet Hispanus) seu bello, seu latrocino captiuss, Granatae duobus tribusve annis seruitutem servauit, vtente domino sua opera in rebus urbanis atque domesticis. Filia capta tum formatum lepore lingua, tum liberalibus moribus adolescentis, hominem illexit, & ipsum mutantu flagrantem specie puellæ & elegantia. idem cum viderent, nec in præsentiarū liberam sibi esse consuetudinem, nec diu futuram, cum alter seruus esset, altera nubilis: præterea periculosam vtricq; rem atque capitalem: constituerant per occasionem ambo fugere. Sed adolescentis honestius, quod ipse ad suos, à suis illa abibat, nisi religionis ratio constituit, quod ne credam, sequentia inducunt. Profecti cum ad petram peruenissent, fessaq; mulier requiesceret: ecce pater cum aliquot comitibus, omnes equis vesti, citato cursu insequabantur. Amantes quod unum ad tempus erat præsidium, per petræ cautes rependo in cacumen euadunt. Pater puellæ cum applicuit, frendens atque terribilis, imperiosis, contumeliosisq; verbis, iubere vt confessim descendant, non descendantibus minitari, extrema se in illos exempla editurum. Cæteri admonere, hortari, cum virum, tum præcipue puellam, vt ad pedes domini, patrisq; se abiicerent, misericordiam magis quam vltionem experturos, ne iratū magis exacerbarent. His nec imperata, nec admonita faciéibus, delapsi omnes ab equis, in petram alius alia parte, non minus manibus quam pedibus enitebantur. Iuuenis contra è superno obmoliens faxa, & omnia arma aduocans, euulsis glebis stipitibusq; nunc huc, nunc illuc ab ascendēdo deterrebat. Eo metu ab incepto defistibus, pater exæstuans mittit unū ex comitibus ad accersenda ex vicino vico auxilia, maximeq; sagittarios. Quibus continuo accurrentibus, videntes obfessi se captum iri, hoc est omnia suppliciorū contumeliarumq; genera passuros: quid verborum lachrymarumque ediderint ignotum est. Certe arcto inuicem complexu, & vt credibile est, osculantæ, se se dieicerunt ab ea parte quæ ad patrem familiæ spectabat, atque in eo complexu perlata extintæque sunt. Fertur omnes qui aderant, præter senem illum, & qui mox audierunt, utriusque fortunam fuisse miseratos, non nullos etiam iacentibus amplexisq; illachrymatos, quos non prius amor quam vita defecisset, vt defuncti quoq; voluntario illo complexxu inter se adhuc amare testarentur. Ibi sene inuito, ambo, sicut erant vestiti constrixi, sepulti sunt, & petræ ob eam rem nomen inditum. Huius euentus eti non nihil me quoq; miserationis subit, tamen misericordia indignos ob id fuisse apud Deum existimo, quod & puella amores suos videtur, non religionem secuta, & iuuenis audacior fuisse cum rapina ad se vendicandum in libertatem, quam prius sine rapina, quæ causa, vt iter sibi tardius, & persecutores aciores, & minorem spem veniae pararet, extitit. Præterea neuter in extremis suis rebus bene de Dei bonitate sensit. Ab hoc loco prædam agentes barbaros, nostri quicquid in medio spaciis & cursu emensi, premere incipiunt, virgentque illos, senium fesse in tuta recipientes. Tandem non procul à muris, vndeque aggressi fundunt, ceduntque ad duo millia hominum, ac multis captis, receptaque præda, ita in columnes reuertuntur, vt duo modo desiderati sint, pauci vulnerati. Paucis post hæc diebus turris deambulatoria perfecta est: in qua eo plus temporis consumptum est, vt ne quid villa ex parte, qua-

lealias contigit, accidere posset. Oppidanis qui iam pridem muros ciliciis, storiis, centonibus, stragulis, culcitrīs ad medium usque contexerant aduersus sagittas bombardas que nunc etiam propūgnacula contabulant, & omni humana ope verticem suæ turris mununt, & contra aduentum nostræ hinc atque hinc tormenta disponunt. Sed aduersus quidem hæc, ut pote cum cernerentur, à nostris prouideri poterat. Verum non plus in aptis præsidiis spei ponentes oppidanis quam in occultis, hunc in modum constituerunt fallere contignationem: quæ media in turri sua erant, diruunt, ac totum id quod vacui erat, sparto, stupa, cannabo, & aliis quæ facile ignis corripit, explent ac reficiunt, relicto foramine instar fenestellæ paulo infra turris coronam, unde erumpens incendium scalam nostram sese porrigentem comprehendenderet. Et successit astutia, si succedere est ad modicum tempus fauere fortunam, quo grauius rursus affligat. Imperator primum iubet, quanta erat latitudo machinarū, in fossam quæ castris proxima est (nam tres erant) suum aggerem deuolui ligonibus, bidentibus, marris. Mox medianam lignis minutioribus ad horas usque compleri. Ea oppidanis noctu egressi incendunt. In sequenti die, puluere ac ruberibus, non sine certamine, locus idem cætero solo æquatus, productisq; musculis, multum de aggeribus tertiaræ fossæ in ipsam deiectum, non propter machinæ commoditatem, quæ hanc fossam non erat transitura, sed quo pedites procurrere ad succendendas portas possent. Tertio quam hoc factum est die, imperator sub exortum auroræ signa canere imperat, & omnes in armis esse, ut die incipiente urbem, quo cuique loco præceptum est, corona cingant. Qua hora ipse equo vectus, apparatum telorum instrumentorumque ad implendas iungendasque pontibus fossas, scalas, dolabras, aliaque huiusmodi recognoscit, milites nunc omnes, nunc nominatim aliquos adhortatur admonetque virtutis. Hos cum obambulasset, iubet omnes, antequam machinæ promoueantur, bombardas iectus emittere, ne siquid propugnaculorum discusserint, hosti spatium sit ad reficiendum. Sub hæc machinæ promotæ sunt usque ad laborem tertiaræ fossæ, & dum scala iamiam demissæ ponte, tactura cacumen hostilis turris esset; oppidanis ignem turri suæ immittunt, cæteraque spitacula obstruunt, ut omnè incendium per unum illud foramen erumperet. quod incendium angusto exitu iaculatum, globosque flamarum longe, lateque, ac sursum spargens, in scalam pontemque turbinem suum fert, & eos qui insistebant, non modo ardore vexat, sed etiam superantibus flammis, prospectu priuat. Ibi triste spectaculum cum lymphati milites præsenti ardore amburerentur, & ne scala cremata, deorsum ruerent, timerent, & nec satis consilii ad redundum esset. Ad hæc oppidanis præter cætera missilia, lapides bombardarum nostrarum quos ex omni urbe collectos in turrim subuexerant, deuoluebant, cum magna strage eorum qui in scala insistebant. Sed protinus cognito periculo machina retracta est, & cum pons à turri cui admotus erat, recedit, iam semiustulatus excussus est, atque altera parte sese deflexit, nonnullosque incendium ac lapides armis non ruinam deuitantes, deiecit, cum magno inspectantium suorum gemitu. Quorum corpora nisi reciperentur, non se cibum imperator gustaturum iurauit. Sic nostri magno ardore inter tela ac saxa sub muris cadauera receperunt, eaque cum cæteris honorifice sepulta sunt, ipso duce comitante funeris pompam. Erant enim viri tum alias præstantes, tum vero eo tempore ob insignem animi magnitudinem delecti. Quod si post hanc acceptam calamitatem, copiae illæ non antea subsidio urbis venissent, haud scio an dux suos à suscepcta persuasione reuocare potuisset, non esse fatale, Anticheram ut Setanillium expugnabilem nostris esse: frustra tentata aquæ subtractione, cuniculis, turri, qualis fortuna aut peior in acie contra tot barbarorum copias timeretur. Nunc victoria superiorum dierum eos succumbere animo non sinebant, & vltro quidam alios timidius sentientes increpabant. Ad hæc honos ab imperatore defunctis habitus, & exhortatio, ac præmiorum pollicitatio erigebat. Paucos intra dies scala refecta est, & aduersus incendium tabulata, quibus scala substructa erat coriis crassioribus, amphimalisque aceto maceratis intecta, atque asseribus latera munita, interque scalam ac pontem, in modum cataractæ interposita ianua, quæ in tempore posset aperiri, claudique contra saxa, quæ superne deiecta per scalam deuoluerentur. Octauo die cum iterum producenda machina foret, hora diei tertia, dum iam cibum iussi cepissent milites, Ferdinandus his verbis est adhortatus. Quod superiorib. diebus impedimento fuit cõmilitones, id emendatum satis est, ut ipsi videtis. Quod reliquum est, non nisi in vestra manu positum est. Neque vero tantum in turri spem ponimus, quanquam in ea maximam, alter non nisi qui per hanc ascensiuri sunt, alloquerer. Sed ab omni parte urbs capi potest, cum vadiq; oppugnatur, dum cæteri scalas muris admouebunt, dum portas aliumve locum subruent, si illuc recurret hostis, minus negotii iis qui in machinis sunt, exhibebi-

tur, si aduersus hos vehementius pugnabitur, facilior aliis ad ingrediendam urbem erit occasio. Sic vniuersi mutuo auxilio eritis, & forte qua minime speramus, ut aliquando sci-
mus euenisse, expugnatio incipiet. Raro eodem euentu res sequitur, ad quem consilia di-
reximus. Ideo omnia in ipsa rerum administratione sunt exploranda, vt siquid in quo fi-
debamus spem destituat, id compenset aliud, in quo minus fidebamus, ut venator facit,
qui dispositis per diuersa loca retibus, interdum plus præda nanciscitur ubi minus opinia-
batur, ubi magis sperabat, ibi aut minorem spe, aut nullam venationem natus. Vobis
vero nunc minime præcipites fossæ sunt, iam semioppletæ superioribus diebus, multis-
que in locis pontibus stratae, iam prope ad ipsos muros iter est. Vindicate ergo acce-
ptam nuper turpitudinem, reddite hostibus vicem, vlciscimini socios quos incendum,
falsa, ruina extinxit. Docete nullo in genere pugnæ vos inferiores istis esse. Pauciores
multo cum essetis, non dolo adorti, non noctu, non magna belli arte, tantum hostium
exercitum qui vos adorietebatur, sola virtute superastis, nunc pauciores eorundem su-
perare nequibitis? Hic videbitur ille vester ardor, quem multis in certaminibus iam o-
stendistis, hic operam suam is nauabit, cui dux, cui nomen Hispanum, cui laus, cui re-
ligio curæ erit. Non tanta res hic, quanta in acie nuper agebatur, agitur: sed ob famam,
ob vindictam sociorum, ob satisfactionem iracundiæ prope dixerim maior. alio bello
ad expugnandum Setanillum venimus, infecto negotio recessimus: nunc ad expu-
gnandam Anticheram venimus, quam ô si, quod horret animus, & lingua vix audet
fari, non expugnauerimus, quidni infecto negocio victi non vñtores discedemus? Au-
ferte igitur tantum dedecus à vobis, à patria, à me, & quod præcipuum esse debet,
à nomine Christiano. Nam si nullo periculo ac nullo sanguine nobis mors constaret,
quid tandem meriti apud Deum compararemus? Itaque quia nonnulli ex nostris per-
ierunt, siue quis periturus est, non est quod deterreaini. Si enim isti in sua supersti-
tione nixi, si cæteris in bellis homines mercede conduci, propositis periculis non co-
ercentur, eo deformius erit vos, tot aliis accendentibus causis, deterri. Vos vero qui
scalam ascensuri estis, sigillatim hortari habeo, à quibus maximus terror hosti est, & vn-
de principium victoriæ nasci debet, ne lapides obsint, ianua interposita obstat: ne in-
cendum lædat, coriis, centonibus, asseribus prouisum est. Nunc vestrum est strenuita-
te ac celeritate vti, vt cum nostra machina superet hostium turrim, vos eos pro turri
pugnantes supereritis, facto in eam protinus impetu, ne illis vistra mora & animum adda-
tis, & spatium detis ad tela in vos ingerenda. Tu Didace Ferdinandi Dechines cape hoc
vexillum regium, quod tibi in manus trado, facitoque vt memor sis hoc à me suspicien-
dum esse, aut super hostilem turrim sublime, & ventilante aura vibrans, aut à turri ca-
dem prono vertice suspensum, quorum altero nihil speciosius nobis, altero nihil defor-
mius accidere potest. Hac oratione habita, omnes ad munia sua diuisit, dispositisque
mox vniuersis, machina processit, & cum tempus affuit, deiecta cataracta, multos eo-
rum qui pro turri stabant, ruina sua compressit, eodemque temporis puncto protum-
pens flammam e foramine procella (repleuerant enim eadem materia turrim) in sca-
lam fertur, nec vulgari igni, sed incendiario agebatur, cui aqua resisti non potest. Is ignis
coria ac cætera madentia adeptus, siue ipso humore aleretur, siue repelleretur, cum hor-
risono strepitu in cœlum quo sagittæ mitti nequeant, assidue ferebatur, conuoluens flam-
meas pilas, humano capite maiores. Interea Didacus vix bene delapsa cataracta, inauratum
longeque refulgentem clypeum sinistra præferens, dextraque vexillum sustinens,
crepitantibus toto corpore missilibus, in turrim primus desilit, vel fortior quam octauo
die alii fuerant, vel felicior. Hunc alii à tergo insequantur, strictisque telis in reliquos in-
uadunt. Illi tum casu suorum, tum nostrorum audacia territi, breui certamine edito per
ligneum pontem qui turrim muro iungebat (nam lapideum diruerant) propere delabun-
tur, eumque ubi transiere, funibus suspensum soluunt, qui partim decidit, partim ad pa-
rietem turris hæres pependit, ne vñtores in muros, atque inde in urbem possent descen-
dere. Sic interclusis, nec hostem lædere, nec sociorum multos in angustum locum reci-
pere dabatur, et si assidue succedebant. Cæteri qui sequebantur, non cum viris, sed cum
flammis pugnabant, quas præparato ad hunc casum aceto cohibere nitebantur, subinde
coria, cilicia, ligna perfundentes. Videres alios cum vasis plenis ascendere, alios cum in-
anibus descendere, alios implere, alios porrigere, ubiq; festinari, vrgere, hortari vocib. cla-
moribusq; vt fit in domorum incendio, cuncta misceri, cæteris prope ad tale spectaculū
euentumq; intentis. Nec hos, ii qui in muris erant, magnopere infestabant, à nostris sagit-
tariis prohibiti, adeo totus labor ad machinam erat, nec de vrbe, sed de machina expu-
gnanda res esse videbatur, & qui oblidebant obseSSI, & qui obsidebantur obsidere, & qui

expu-

expugnabantur, expugnatores suos expugnare. Et iam non nihil timebatur, ne durante incendio scala labeficeret. Iam etiam qui in turrim euaserant, sibi metuebant, ne calore solitus fornix decideret, vtique ruina ponis concussus, & multitudine grauis eorum qui ascenderant, nescii nullum esse in muros à turri descensum, & reuerti per scalam flagitiosum sane existimabant, & in eos vndique ab oppidanis sagittabatur. Hoc vnum interim præstabant, ne prope turrim in muris hostis consisteret, vt non tantopere socii ab accessu portæ arcerentur: ne tamen clandestino aditu alimenta ignibus ferrentur, impeditre non poterant. Imperator ob id anxius circuire muros, & hortari omnes, vt qua cuique proximum esset, ad mœnia succederent, quo certamen à machina turrique aliquantum auerteretur. Sed cum obequitat, animaduertit foramen quoddam in imo muro, paululum supra solum, quo ex foramine, ad magnitudinem pene hominis capacem, aquæ pluiae ex vrbe profluere solerent. Percontatus ex quodam qui in vrbe diu fuerat diuersatus, fit rei certior. Ergo impigris viris negotium dat, vt foramen refringant, ac subeant. Ipse in diuersum ab illo locum, quo hostem falleret, omnem transfert molem belli, & se de industria adhortatorem militum ostendit. Illi interim patefacto latius muro subeunt, aliosque furtim atque alios admittunt, donec conflato ingenti globo, per vrbe ad portam turris procurrunt, multos trucidant, fores refringunt, qui foris sunt & ipsi adiuuant. Sed vndique concurrentibus oppidanis, acerrimum intra muros prælium erit, & dum de possessione vrbis certatur, muri deseruntur ab illis, à nostris occupantur. Tandemque reuulsis portarum foribus, viatores Christiani infunduntur, atque vndique barbaros aggressi, in medio interimunt, domos diripiunt, easque dominorum sanguine aspergunt, nulli ex puberibus vita reseruata est, multi in templum, multi in arcem confugerunt. Sed multo magis præses arcis, quam Deus præses templi implorantibus ope in tulit. Nam & audius nostri rapinæ gratia ad templum properarunt, & locum illum magis consentaneum talibus victimis existimauerunt. Natabat omne humano cruento pavimentum, & gemitu morientium templum mugiebat, & à morientibus mortuisque vestitus detrahebantur. Multi nec opinantes domi sunt oppressi. Horum vnuus etiam texens, qui cum audisset vrbem expugnatam, non obseruit fores, non fugit, non etiam surrexit, sed tanquam fieri non posset, texere perseuerauit, atque ita sedens templum suam, antequam detexta esset, sanguine suo tinxit. Qui vero in turri stabant, ne expelles prædæ essent, accepto fune se se demiserunt. Imperator quoque simul atque patet factam portam vidi, cum prætoria cohorte infestis signis intravit, adhuc durante prælio, cuius conspectu, siquid adhuc in oppidanis erat animi ad pugnandum, cecidit, nonnulli que dum victorem fugiunt, ad pedes eius procumbentes vita donati sunt. Mulieres etiam complures cum paruulis liberis accidentes, quod vitæ suæ timerent, certis hominibus commendatae sunt: imperatumque præconi, vt cum tumultus direptoris resedisset, ediceret, nulli mulieri vim afferri, quæ Christianam se fore polliceretur. Quicunque autem talis fuerit, daturum se operam, ne impudicam esse necesse esset. Sic stanti in media platea Ferdinando, obuiam venit Didacus Ferdinandi, scuto ita confozzo, sagittisque hirsuto, atque ita lacerato, vt vix nouæ plagæ locus foret, longeque grauiore pondere quam ab initio fuisset. Hic vltro porrigenti gratulabundam dextram imperatori, nominatimque compellant: Ego, inquit, imperator, imperii tui memor, turrim occupavi, hostem deieci, vexillum statui. Sed profecto mira res accidit, insessam hostibus turrim concendimus, ea potiti descendere nequiuimus. Quod difficilimum factu putabamus, facile fecimus: quod autem facile ac pronum, ad id hæsimus, & interrupto, velut in fluvio, ponte, cursus victoriæ substituit. Verum vt hinc ex inopinato fortuna tibi aduersata est, ita alia ex parte præter opinionē propitia fuit, volens omnem hanc victoriæ laudem penes te vnum esse. Cui respondens imperator, Evidem vi- storiam hanc, vt decet nos sentire, referto Deo acceptam, & secundum Deum tibi, qui quantum abs te expectauit, abunde præstisti. Ideoque tuum præmium suo in loco est. Direpta vrbe caduceatorem ad eos qui in arce sunt, mittit, habere illos in oculis exemplum, qualia, ni se dedant, pastruri sint. Eisdem potentibus triginta dierum industrias, & nisi intra eos rex auxilia misisset, dedituros arcem spondentibus, incolumi tamen libertate ac fortunis, non plus quam bis septem dierum inducæ impetratae sunt. Ad quam diem cum nihil auxiliorum ab rege summissum esset, arcem dediderunt, fortunasque priuatas capere permitti sunt, facta etiam eis potestas eundi quo vellent. Qui Granatam abiere, iis ducentorum equitum præsidium ad certum locum deducendis præfecit: si qui in Castellam mallent, iis non defuturam commodam conditionem promisit. Atque ita pars ad sinistram per medium equitum qui deducturi erant, Granatam versus

abiit, pars in exercitu remansit, humane ab omnibus & benigne tractata. Ante
rincipia obsideri, oppugnata, expugnataque, & arx dedita, atque omnia egregia faci-
nora gesta sunt ab imperatore Martis die, quod eum diem existimaret, Marti, hoc est bel-
lo, dedicatum, non exactissima quidem ille ac plane sapienti ratione, sed tamen ut rebus
Martii excusata. Oppidum à Christianis sacerdotibus expiatum est, & nouis incolis qui
modo Agarenam linguam nescirent, cum agro diuisum: datumque negotium ut muri
resarcirentur, qui multo magis intrinsecus quassati, ad assiduos bombardarum iactus,
quam foris visebantur, sexto quam domo profectum est mense. Ibique certior fit de re-
bus Aragoniæ. Nam antea de morte Martini regis nuntium acceperat, eamque rem se-
dulo suppresserat, ne quid aut hostibus spei, aut suis curæ iniiceret. Alfonsum quoque fi-
lium post victoriam de Granatensibus, quotidie literis orantem ut se in castra accenseret,
iussit expectare propediem aduentum patris, cum quo in Aragoniam iturus esset. Igitur
ex nuntiis intelligens res Aragoniæ, nisi eam proprius accederet, non recte habituras, eo
proficiisci constituit, aduocatoque procerum consilio, in hæc verba differuit. Re bene ac
feliciter gesta proceres, exacta iam æstate, appetit autumnus, ut quicquid ante hyemem
agi posset, id non magni sane momenti esse cendum sit. At maximi momenti est cu-
rain in res Aragoniæ me intendere, meo pariter & publico nomine. Iam primum pleros-
que velrum audisse reor, auunculum meum Martinum regem diem suum obiisse, anno
vertente post mortem Martini filii, quem ego cum classe venturum ad hoc bellum, sicut
vterque promiserat, sperabam. Ex quo primum præsidio, deinde consobrino, tum auun-
culo priuatus sum, duobus regibus, nulli principum nostra memoria secundis. Horum
morte regnum Aragoniæ ad me, tanquam cæteris proximiorem, pertinet, ut semper
consultis viris accepi. Sed id mea absentia ne vi occupetur, summopere verendum est,
& ut ad me perfertur, non via iudiciorum aut iuris, sed factionibus, potentia, armis a-
gitur. Quod si pro iustitia sua annitentes qui litigant, tamen ægre obtinent quod po-
stulant: quid futurum de non annitente putandum est, inter tot competitores? & in a-
liis litibus plerumque satis est habere bonam causam, bonumque iudicem: & in lice-
de regno contra improbitatem aduersariorum, male nobiscum agitur, si in sola & cau-
sa & iudicis bonitate spem ponimus. Armis ac potentia contra hostem armatum po-
tentemque opus est. Itaque siquid apud vos gratia mea valet, quæ so mihi vestro con-
silio vires huius belli aliqua ex parte illuc transferre liceat, ut populos ad recte iudi-
candum nostra autoritate inducamus: cum præsertim hæc res non modo ad benevolen-
tiam mei, ad honoremque iustitiae spectet, sed etiam ad amplitudinem regni, ad
gloriam Hispaniæ, ad incrementum religionis. Etenim si alius quam ego rex Arago-
num creetur, inter quem ac regem Castellæ, ut memoria patrum scimus accidisse,
discordia ex qua bella oriuntur, incidat: an speramus occupatos nos duplii Marte,
ex vtrisque hostibus victoriam reportatueros? Hoc ego, ne si occulta quidem fuerint
odia, nedum si aperta, sperauerim futurum. Quid si non simulas, sed inuidias uberiæ
quæ nonnunquam magis ad nocendum valet, quam vllus affectus: & odia conciliatio-
nem recipiunt, inuidia nullo pacto conciliari potest: & hoc peius nocere solet, quoma-
gis ex occulto grassatur. Quid si metus? an aliquid est, quod maiores aut crebriores cau-
fas habeat ad male cogitandum? Castellæ regnum in omni Hispania maximum est: hoc
cætera ne dicam oderunt, inuidentque, certe metuunt, & ab eo sicut infirmiores qua-
drupedes volucresve à leone aut ab aquila cauent. Nam rex Aragonum et si præpotens
est, ac maris, ut aiunt, dominus, tamen eius vires multo minores fama sunt. Quode-
nim Sardinia regnum male pacatum, ac prope nominis Catalani inimicum, adiuuat
Aragoniam regem bella gerentem cum rege Castellæ? Quid Sicilia? quæ vix didicitiu-
gum ferre alienigenarum, quæque, vt audio, iam nunc non satis quieta est. Omnis igi-
tur vis atque omne robur regis illius residet in Hispania: quæ Hispania cum nostran-
quaquam est comparanda. ex quo necesse est humana imbecillitate metuat potentiorē.
Ideoque inter eos reges fere conuenit, veluti conspiratos, & inter se ament, regem Ca-
stellæ vel destructum, vel diminutum vellent. Quid si accedat avaritia, omnium vitiorum
magistra & parens? an si affulserit spes Aragoniæ regi aliquo portu oppidove regni Gra-
natensis pro mercede poniendi, speratis fore, vt non inueniat causas, cur ab hoste conu-
nos stet in bello? Quid? si hæc omnia, aut certe plura subsint, odium, inuidia, metus, spes:
quo tandem tempore existimatis regnum hoc in nostram potestatem esse venturū? Quod
nostra ætate hoc incommodi vsu non venit, propinquitas regum Aragoniæ cum nostra
domo, in causa fuit. Ea iam extincta, in pristinum dissidium primo quoq; tempore redibi-
tur: ne autem redeatur, vna ratione effici potest, vt hæc duo regna sanguine coharent,

hoc est, ut ego rex illius regni declarer. Quod. commodura nimirum tanto plus erit, quam fuit rege Martino, Ioanne, ac Petro, quanto ego coniunctior sum huic genti, quam illi fuerunt. Vnde consociatis viribus utriusque regni, nullo negotio barbarum perdonabimus, ut breui tempore duo regna alia nostræ genti subsint, quod nunquam fando est cognitum, nec de reliquis quoque duobus sit desperandum. Ita quod in primitis opto, & quo nihil mihi videre est longius, omnis Hispania Christianis principibus obtemperabit. Quare vestrum est probate sententiam meam, ac cause fauere, quicunque publice quidem amplitudinem laudemque & religionis & patriæ amatis, priuatim vero dignitatem meam, potentiam, gloriam iustitia & industria quæsitam, non sine aliqua ratione vestrorum commodorum, qui de me estis benemeriti, quos multo prolixius remunerare ac magnificenter potero rex quam priuatus. Nullum enim ex omni mea felicitate vbe-
tiorē fructum percipere me arbitrabor, quam dum iis quibus debeo gratiam, & quidem cumulatissimam, referam. Hęc Ferdinandus. Cæteri pro se quisque approbare consilium & laudare. Tum Sancius Palentinus episcopus: Ego imperator adeo non aduersor sententiae tuæ, vt nisi tu occupasses, istud ipse pro mea in te fide & benevolentia, tibi consilium daturus fuerim. Age igitur Deo bene iuuante, regnum quod, vt ego quidem sentio, tuum est, capesse. Castellatum multis ad te deferentibus, quia tuum non putasti, capesse te veritus es. Nam vt nulla quantauis occasione ad prætiendum alterius regnum debemus allici, ita nullo labore nulloque periculo abstineri à nostro afferendo. Nec quicquam abiectius est homine qui paruo accedit animo ad vendicandum hæreditarium regnum. Quod siquid ob id laboris, difficultatis, sumptus, periculi subeundum sit, non obtinenti certe contendisse turpe non erit; obtinenti autem eo glorioius, quod pene sua industria comparasse regnum iudicabitur. Et sane præstabilius est regem se facere, quam ab alio fieri, nec alteri fortunam suam, sed sibi debere: & cum paternum nominas regnum, nominare etiam regnum tuum, quod non per manus traditum sit, sed manu partum ac receptum. Quare si tuis vis esse similis, caue committas, vt nullum tēpus interponas, quin regnum quod & successione, & quod in rege primum duco, virtute tuum est, ab iniustis hæredibus ac regnare indignis eripias, & tibi quātū humana ratio valet, afferas. Ad quod vites meas quantulæcunq; sunt, meam operam, sedulitatē, studium, industriam, officium polliceor ac defero. Deniq; nunquam te ab isto proposito, dum de iure iudicatum sit, reuocare tentabo. Huius orationem aliis maiorem in modum laudantibus, & se ad similia præstanta singulis pollicentibus, magis confirmatus Ferdinandus, discessum in diem tertium edicit. Quo die cum iam milites præsidio vrbis imposuerit, vna cum armorum cibariorumque copia, plenus gaudii ob victoriam, ac spei ob futurum regnum, ex Antichera recessit, tertisque castris cum parte copiarum Ispalim domumque peruenit, cum quibus copiis propius Aragoniam iret, cæteras in sua domicilia redire iussit. Quæ autem posthac consecuta sunt, ne subnectamus facit, quod multa, vt tempore priora sunt sic ordine præuertenda, quæ haetenus non attigimus, ne seriem rerum cohærentium quæ eodem in loco gestæ sunt, interrumperemus, duo quodammodo historiarum corpora confundentes, idque saepius, si suis quæque temporibus acta redderentur. Nunc peractis illius Hispaniæ gestis, ad alterius Hispaniæ narrationem animum conuertimus, & de Granata per Castellam, velut pedibus, in Aragoniam Cataloniaque transimus, nouam materiam principiumque sumpturi, non repetito temporis cursu, supra hunc ipsum, de quo nunc scriptum est, annum, sed annum non eiusdem nominis. Quippe is de quo proxime locuti sumus, est post millesimum quadragesimum ab ortu domini decimus, à quo vero nunc ordiemur, nonus.

LAVRENTII VALLÆ DE
REBUS A FERDINANDO ARAGO.
NIÆ REGE GESTIS LIBER II.

LOC anno Martinus Siciliæ rex, Martini Aragoniæ regis filius, apud Calarim, post ingentem de Sardis victoriam, receptaque complura oppida, paucis diebus febri extinguitur: febri non contracta ex æstiuo tempore, quo in omni Sardinia graue cœlum est, quia nondum media ætas erat: non aquarum noxio halitu, quia Calaris à stagnis quæ multa sunt in ea insula, non admodum infestatur: non ex intemperie cœli, aut contagione, quia nemo suorum ægrotauit. Quo magis inopinata mors eius tum sibi tum sociis fuit, eoq; luctuosior, vtique in illo & virtutis flore & ætatis. Tertium enim & tricesimum annum agebat, æqualis Ferdinandu, aut anno maior, infelici quodam omne, siquid omina sunt, ante patrem factus rex, quasi ante patrem vita defuncturus. Nec magis nomine suo lugendus, quam patris, cui vnicus erat iam senescenti: neque tam ætate, vnum nanque & quinquaginta annos natus erat, quam habitu corporis, obesu nimium ac præpinguis, & veterno grauescentis. Accedebat his & ætatis & corporis incommodis quaterna: malum in primis gaudio lætitiaq; curandum. Sic affectu nuntius de morte filii affertur, ex quo quantus patrem mœtor dolorq; , quanta item perturbatio populos peruerterit, sibi quisq; natura & experimento duce subiicere potest. Omnia tamen cogitatio ac sermo erat, quisnam regi futurus hæres destinaretur. At i. qui apud regé amplissimi erant, partim illius benevolētia, partim vt suæ ipsorum potētia cōsulerent, quo tales apud filiū, quales apud patrē forent, & forsitan tutores relinquerentur, non ita multo post exequias, suadēt vt primo quoq; tempore capiat vxorē, nam olim iam regina deceperat, quæ fuerat Comes Iuriæ. Consulendū enim regno, consulendū regio generi, consulendum etiā reliquæ ætati, quam cum vxore liberisq; traduceret iucundiorē. Rex autem etiā multis rationib. aduersabatur, quod senescens, quod inutili corpore, quod ægrotus esset: tamen vt potissimum obiiciebat, non esse opus coniugio, cū nepotem haberet Fœdericum iam infantæ annos egressum, qui maturior ad successionem, quam qui postea nascerentur, foret, qui sibi non alio quam filii loco esset. Sed cum illi præferret filium nepoti, legitimū illegitimo, plures vni, certum in multis liberis, quam inceruum in uno, tandem acquieuit: nec præcepit, vt ab aliis vxor prospiceretur sibi, sed ipse per se, inter duas adulescentulas quæ sub vxore domi creuerant, aliquandiu hæsitauit, ambas forma insignes, & summo loco natas: Cæciliam Iacobi Comitis Vrgellensis sororem, & Margaritam neptem Ioannis Comitis Pratensis. nam Petrus pater mortem obierat. Sed vt erat prudentissimus rex, si cepisset vxorem Cæciliam, vidi fore, vt frater illius se viuo quidem regem agere vellet, ita animo regnū conceperat: mortuo autē, per fas per nefas ad se populos contraheret. Præterea, nequid in autū nepotemque machinaretur. His rationibus vel solis, vel summis adductus, Margaritam præeligendam putauit, non sola formæ præstantia, vt quidam nimis iuuenili animo & quasi amatorio opinantur, nec vt simulatum est, quod medici magis hanc ad conceptus idoneam iudicarent. Vix mensis à nuptiarum die intercesserat, cum legati ab rege Ludouico venerunt. Ludouicum etiā nonnulli regem fuisse negant, tamen regem appellabo, quia multi fuisse regem affirmant cum quibus quam cum illis excusatius atque humanius est peccare, nescientem ab ira parte peccetur. Hilegati ab rege Franciæ quoque venisse dicuntur, quo maior legationi adesset autoritas. Eorum primus fuit episcopus Conserranensis, qui orationem habuit, illa tempestate inter suos omnis iuris diuini humanique consultissimus, denique eloquentissimus. Nam ita constat inter eos qui affuerunt, nullum se literate loquentem, eloquentiorem, nec ante nec postea audisse. Quam tamen orationem, nemo eorum qui laudant, memoria tenet ad verbum, sed sententias alias & præcipua capita, quæ commodiū in oratione regis, ne bis dicantur, à me ponentur. Hic cum cerneret regem subinde orationi suæ, vt putabat, indormientem, oculis connuentibus, capiteq; demisso sterteret, interfistebat. Rex contra, cognoscens cur interquesceret, iubebat eum pergere: non enim se dormire, etiā clausis oculis sterteret, aut si corpus præ morbo dormiret, non tamen dormire animum. Atque hoc saepius facienti, inquit: an tuæ orationi indormierim, an inuigilauerim, & ex mea responsione intelligas licet. Itaque ubi loquendi finem fecit.

piscopus, Quinque, ait, capita continet tua oratio, quorum singulis eodem ordine respondebo. Primum quod me salutasti verbis Ludouici regis tui, mihi affinis, agnosco egregiam erga me illius benevolentiam, quod profecto mutuum fit, nec minus eum mihi fateor esse cordi propter sua in me officia, fidem, amorem, quam propter affinitatem. Quod autem secundo loco nunciandam mihi duxit victoram suam qua potitus est aduersus Ladislaum, in hoc quoque fecit amice, cum sciret me non mediocrem de suis prosperis voluptatem esse capturum, quam & illi & mihi propriam perpetuamque opto. Nec minus in eo quod tertium fuit, amorem suum erga nos declarauit, quod quemadmodum me victoria sua gauisurum sperauit, ita se meam cladem dolere ostendit, missus ad me sapientissimo viro qui consolaretur, quæ profecto consolatio talis est, ut quemuis paternum mœrem mitigare posset, qui modo tantus non esset, quantus hic meus, qui filium, & virum, & vnicum, & regem, & cum omni virtute, tum in patrem charitate præditum, & orbum liberis, amisi. Vt cuncte tamen & miseratio amici grata est, & consolatio sapientis non nihil molestiæ leuavit. Precarique habeo cœlestem regem, ut regem amicum hoc vulnus quo ego saucius confectusque sum, non sinat experiri. Nam quod quarto loco posuisti, longa oratione executus, successionem, si sine liberis decessero, ad uxorem eius filiumue pertinere: istud vero mihi non constat: tu quoque velut in dubia re, multa verba fecisti. Ideoque non est, ut accipiam puerum ac matrem eius, sicut postulasti, cum & ipse verbis euangelicis respondere possim, Quod iustum fuerit dabo vobis. Ais ideo mihi accersendum Ludouicum puerum, ut iam nunc in nostra regia, & inter populos velut futurus rex, assuescat, percepturus mores, linguam, discrimina personarum, ingenia regionum, ne postea cum res poscet, rudit ad gubernacula regni accedat. Hoc ego multis de causis, ne agam, deducor. Primum quia huiusmodi præiudicio non faciam iniuriam aliis qui vobis in successionis iure non cedunt. Si enim vobis acquiesca, quid aliud quam vobiscum ius hoc facere pronuntiem? Deinde si quis alius in iure succedendi, aut sit, aut fiat, aut nascatur potior vobis, qui tandem honor istum puerum consequetur quem à vobis honoratum vultis, si ab adita atque administrata regni possessione dimittatur, & velut expellatur? Non enim deest qui se potiorem vobis putet, non deest qui fieri possit, non deest mihi spes suscipienda & obolis, confidoque clementiæ Dei, quod sicut afflxit me, faciens de patre orbum, ita vulneri meo medicabitur, de orbo faciens patrem, ex hac dilectissima mihi coniuge (assidebat enim ei regina) & certe uterque, quantum in nobis est, enitemur ut parentes sumus (ad quod verbum cum ambo surserunt, tum vero cæteri arriserunt) Medici quoque spem faciunt qui aiunt facilius ex homine prouectioris ætatis, ac puella, quam ex utroque adulescente filios gigni. Et nihilominus quod gaudium oculorum huius meorumque erit, si in hac auiditate atque in hac spe tollenda prolixi, videamus domi versari alienum puerum, quasi nostri versari regni, id est nostræ orbitatis heredem, haud dubie infaustum omen & acerbum augurium. In quo non parum miror affinem meum, eiusque subrequito prudentiam, qui sub ipsis pene nuptiarum auspiciis de successore meo agendum putauit, nec de successore tantum, sed de adoptiōne quasi nec duxisse vixorem, nec vellem ducere, aut ex ductiliberos (quod omen Deus auertat) non essem sublaturus. Quod tamen si non continget, alienusque mihi successorus est hæres, quid mea magis refert, aut quid prius antiquius debet videri, quam prospicere regem proceribus ac populis meis, ex quo iustum imperium, firmum præsidium, perpetuam pacem nanciscantur: proceribus inquit meis ac populis, quorum sanguine partim in Sicilia, partim in Sardinia recipienda, ego & filii vesti sumus. Quorum plerique, aut liberos, aut parētes, aut fratres, aut alio modo propinquos desiderāt, pro domus meæ amplitudine amissos. Neque enim minus regiū puto, populos suos, & præsertim de principe optimi meritos, post obitū suum recte gubernandos curare, quā viuentē recte gubernare. Ex quo testificatus relinquam apud omnes iudiciū meum, ut si domesticus mihi hæres non fuerit, ita ad quos pertinebit, sequantur meā defuncti vel rationē vel autoritatē. Neque vero quod ultimo loco posuisti, abnuo vestrā postulationē, ut permittā causam de successionē, ita nunc quoque agitari. Non enim ita delicato animo ac parum fortis sum in obeūda morte, ut de successore meo disputari, etiā tam recēter à nuptiis, pati æquis auribus nequeam. Filius meus facit, ut hæc pati possim. & mortem non multo plus timeam causa mea, quam optem. Nihilque est quod magis vitam meam oblectet, quam futuræ prolixi solatia, siue mas siue fœmina futura est. Nam ut tu vis, quod facile passus sum te dicere, in paterno regno si mas filius defecerit, fœmina potest succedere, & quidem ante omnes mares qui regem coniunctissimo gradu non attingant. Idque tu ita præsenti constantique animo affirmasti, ut præsentius atque constantius affirmasse viderim neminem.

Siquidem de fortunis omnibus atque capite vis dimicare, si quis naturali iure vel scripto demonstret, hoc introductum in Aragoniam esse, fœminam in regnum non posse succedere. Istam ego te sponzionem facere non sinam, militaribus magis viris decoram, quam literatis, ne dicam pontificibus. Placet itaque in commune referri ad consultos, de iure competitorum, quidnam de successione regni mei diuinum ius habet manumque decernat. Ipse quoque dum per occupationes licebit, præsidebo huic causæ. Multo enim præstat me viuo sospiteque, ac disceptatore, discuti litem iudicii ac verbis, quam me vel defuncto, vel morbo ætateque affecto, vi & armis. Hæc locuto rege, discessum est. Mox cum in cubiculum rex introisset, multusque de his rebus, ab iis qui circumstebat, dum sermo haberetur, Vtinam, inquit Guilielmus Moncada, rex ex te prolem sive marem, siue fœminam primo quoque tempore videamus, quæ & viventi patri, ac diu sit iucunditati, & defuncto succedat. Cæterum si (quod absit) aliter Deo cordi sit, non video quin Ludouicus puer in succedendo primas habeat partes, qui nepos sit ex filia regis Ioannis fratri tui, hoc est, quin ipsa Iolans eius mater, regnum quod fuit patris asequatur. Non vereor enim loqui de iure competitorum apud te, non tanquam regem, sed tanquam disceptatorem ac iudicem, ut te ipse fecisti. Nam qui debent regis esse potius hæredes quam liberi? Atqui filia ex liberis est, & cum sola fuerit, locum liberorum implet. Hæc nifitu frater extitisset, regnum paternum adipisci debebat, quod siquid sexus impedimento est, et si nihil hoc impedire volunt, en filium pro se tibi nobisque offert, ex matre Catalanum, cui ius suum hæreditarium cedit. Atque dicenti, plerique qui intermissio strepitu colloquendi, silentium tenuerant, assentiebantur. Tum Bernardus Centellias: Inimo vero iustius multo debetur successio Iacobo Comiti Vrgellensi. Nam ista fœmina cum alleget nobis puerum, plane fatetur ad se regnum peruenire non posse, eadem ratione quam nec patris potuit esse hæres, cum sola superstes extitisset. Quod ergo ius ipsa non haberet, id profecto alteri tradere non potest. Itaque exclusis fœminis, inter mares est disquirendum, quis regi sit proximus. Is sine controversia erit Comes Vrgellensis cuius pater qui proxime est mortuus, eodem aeo, quo tu progenitus es patre Ioanne, qui successurus Alfonso regierat, nisi Petrus pater tuus maior natu fuisset. Nunc (quod tamen Deus non sicut) deficiente Petri sanguine, ad fratrem seu fratri liberos redeat regnum, sicut ad te rediit paternum regnum, fratre defuncto. Quod si quid momenti habet fœmineus sexus, adest vxor Comitis, filia patris tui, vel patri successura vel fratri, quæ certe tibi conjunctior est, quam fratri filia. Itaque quod sexus adimit, id ex viro, cui & ipsi ius est, in successione supplebitur, atq; ita ambo coniuges, mutuo auxilio innixi, iustitiam omnem hæreditatis implebunt. Tum Bernardus Villalicus, Recte, inquit, Bernardus Centellia locutus esset, si in eodem pares non haberet, atque ut ego sentio, superiores. Nam si placet ad priores patrum redire, certe prior est Alfonsus Dux Gandiæ, & frater eius prosoec tuus rex, Comes Pratensis, patre Petro, aeo Ioanne Rege, qui fuit tuus praauus patruo Alfonso, aeo tuo. Ita eodem te illi contingunt gradu, quo tu Comitem Vrgensem: sed tanto venerabiores quam ille, quanto proprius accedunt ad tuos maiores, tantoque digniores qui succedant, quanto proximiiores iis regibus sunt, vnde quasi ex fonte regniorum emanauit. Eo quidem magis quod hi succedent Ioanni aeo, ille vero Alfonso praeauo. Nam quod aies de vxore, tantum tibi respondeo, eam non modo ex non regina, sed etiam ex nondum vxore genitam esse. Sibyllam enim qualis antequam regina fuerit, omnes scimus. Feret autem hæc rex me dicentem, vel quia, ut inquit Bernardus Centellia, in hac causa iudex est, vel quia loquor ea quæ grata debent esse nostræ reginæ, cum obalia, tum vero ob hoc quod ago causam aui sui, vel fratri aui. Hæc dicenti Villalico, nemo audientium nec assensus est, nec contradixit. Tum Rex, Equidem, inquit, si locus hic indicandi est, iudicarem aliquid inter hos quorum causas egistis. Sed quid attinet de his pronuntiare, cum sit adhuc aliis competitor, qui vereor ne istos omnes excludat. Ferdinandus Infans Castellæ, natus ex Helianora mea sorore, non dico natu maiore quam hæc est ex Sibylla nata, sed ex eadem matre, qua ego sum genita. Dux autem Gandiæ, & prosoec meus, ac Vrgelli Comes, mares illi quidem sunt, sed eos in eadem pono conditio ne, qua fœminas. Nemo enim sic in regno, aut villa in hæreditate succedit, quod de progenie sit illius à quo primum hereditas profecta est. Nam hoc modo ad eos deferetur hæreditas regni, qui ex vetustis priscisque regibus oriundi sunt: sed non ita est. Verum sicut intercisa fontis vena, atque alio deriuata, totus prioris cursus alueus aqua priuatur, ita tota progenies eius, qui semel à successione paterni fontis exclusus est, in perpetuum exarescit, nec nisi aliquo flexu redeuntem è latere aquam recipere potest, hoc est, dum

cursus iterum interruptus, in proximum canalem deriuatur. Id sit, dum rex aut quicunque rerum dominus sine liberis decedit, eius regnum ac bona lege naturæ ad proximum quenque defertur. Nam cum res sint ultimi domini, non autem superiorum, qui suum ius in alterum transmiserunt: nimirum ut quisque maxime coniunctus huic erit, ita plenum iuris in succedendo sibi vendicabit. Quod cum ita sit, non quis proximus sit superioribus regibus Alfonso, Petro, Ioanni querendum est, sed quis mihi cuius regnum est, & in cuius alueo postremus defluit regni riuus. Proximior autem mihi nemo est ea quæ ex iisdem parentibus genita est, & eius filius præponendus est mihi fratis mei nepoti, ceterisque qui me longiore propinquitate contingunt. Nam quod dicitur, fœminas non succedere, id intelligitur, quando & mares proximi sunt. Dux autem Gandiæ, & Comes Vrgelli, tot à me gradibus remoti, non sunt mihi proximi: & Iolante fratri filia, ac Isabellæ sorore, Helianora est mihi proximior. Ego illud vobis affirmare possum, nullum eorum quem cupitis, regem magis ex vsu regni fore, quam Ferdinandum. Sed vos studia partium trahunt: quid autem conducibile vobis sit, non peruidetis. Habetis igitur testificatum iudicium meum, si quid forte de me aliud factum sit, prius quam res disponantur. Verum magis quam pro valitudine corporis, hodie & audiendo, & loquendo laboravi. Ethoc quidem grauissimi ac sincerissimi regis testimonium fuit, quod non modo per urbem Barcellonam, in cuius suburbano prædio hæc gesta sunt, sed per omnes nationes eius ac prouincias demanauit, magnamque Ferdinandῳ autoritatem comparauit. Ceterum rex et si hæc & sentiebat & dixerat, tamen omni diligentia, cura, autoritate, gratia, precibus, pollicitationibus, nepoti suo studebat. Nam delectis iudicibus, per omne cognoscendæ causæ tempus nihil reliquit, quin ius successionis Fœderici esse declararet, & eo quotidie impensis, quod assidue magis ac magis liberos se gignere posse desperabat. Sunt enim qui dicant, nullo pacto, nec medicorum arte, nec multifariis machinis, potuisse eum vel concubere cum muliere, vel puellæ virginitatem demere: licet mater aliaeque nonnullæ fœminæ velut ministræ puellæ adessent, licet viri quoque aliquot auxilio regi essent, qui ventre quasi appensum per fascias à lacunari pendent, quibus tumor proni ventris cohiberetur, demitterent eum sensim in gremium pueræ, ac sustinerent. Sed hæc verecundius forsitan in silentio reponuntur. Commendabat igitur Fœdericum memoria patris, studium aui: sed hæc omnia vitium natalium apud iudices corrumpebat. Ideoque longe fauorabiores erant Ludouicus & Comes Vrgelli. Illum commendabat nomen patris, amicitiaque cum Rege Aragonum, & mutua hospitia utriusque gentis. Adhæc respectus matris, quæ proximi regis filia in oculis & consuetudine virorum mulierumque Cataloniae adoleuerat, aua cum regina Iolans, quæ præsens modo veteres amicos, pro filia, pro nepote, modo veteres amicos clientes que mariti obsecrabat, ut memores essent defuncti regis beneficiorum. Hunc gratus faciebat, quod ex virili stirpe regiae domus, quod iuuensis, quod eximia specie corporis, quod præsens, ipse non pro alio, sed pro se singulos presabat, orabat, donis promissis que implebat. Itaque apud iudices, non minus ambitione quam disceptatione agebatur. Quod Ferdinandus vbi per suos comperit, legatos ad regem mittit, orans ne permitteret in iudicio suffragiis potius, quam legibus agi. Rex illum recte dicere, & æqua postulare, respondit, scilicet daturum operam, ut res ordine irent. Verum hoc prestare non poterat, quia ipse in primis eo vitio laborabat, si vitium appellandum est, & non pietas, pro vnicâ spe familiæ suæ anniti, ut nepos in regno succederet. Qui postquam animaduertit nihil sibi spei fore in iudicio (nam hoc ei iudices confitebantur) iussit illos extrahere tempus, nec quicquam de iure competitorum palam facere, donec ipse alia ratione mentes populorum conciliaret. Alfonso rege præsidente lata lex fuerat, ne quis illegitimus in regno succederet, ita nunc se præsidente, per populos præsentes, quibus idem liceat quod superioribus, exceptionem vnius obtinere, non vi aut imperio aut autoritate, sed cum misericordia aspectu, utpote collocato ad gremium orbi regis populo, tum summissa oratione, darent hoc senectuti suæ, darent orbitati, darent precibus ac lachrymis, sine rent se cum hac lætitia diem suum obire, quod relinquat nepotem hæredem, ne exacerbetur hoc quoque dolore altero vulnere, quo non minus afflictetur, quam ex illo quod filium perdidit. Illo enim amisisse filium, hoc amissum esse regnum. Darent meritis suis qui Siculum regnum Aragonico adiecerint, darent meritis filii qui Sardiniam amissam Cataloniae non parua ex parte restituisset, darent vnico duorum regum filio: iuuensi, qui mortuus est: senis, qui nisi imperiat, cito comes illifuturus fit. Non enim præponi illegitimum legitimis se postulare, sed eum pro legitimo esse. Qui cum aliis nulli potiores sint, nulli iniuriam facturus est, neq; plane esse illegitimum ex patre cœlibe,

ac matre innupta genitum. Hoc si in priuatis semper valuit, multo magis debere valere in regibus, quos sola contentos vxore esse, vix postulandum est, & in bellis aut longinquis regionibus agentes, vt vxores habeant fieri non potest: neque exclusos à successione fuisse filios ancillarum Iacob, neque eandem causam Salomonis obstitisse, quo minus ad regnum tolleretur, cum tamen non modo non solus, qualis Fœdericus, sed ne primus quidem ex Davide liberis esset, & alia plurima omnibus ex gentibus huius generis exempla. Atque quo facilius honestiusque peruerinceret, vt est ingeniosa charitas, vedit operæ pretium fore, natales nepotis emendari per summum pontificem. Neque enim id difficile factu, & hoc effecto non ausuros, etiam si qui minus vellent, populos aduersari regi roganti pro eo qui iam illegitimus non esset. Erat autem summus apud eos pontifex, affinis pueri, matrisque consanguineus, Petrus de Luna, nomine Benedictus. Ad hunc rex Dertusæ agentem scribit, rogans vt Barcellonam, caprato tempore, quasi per causam alterius negotii, ne res patesieret, se conferret. Interea Comes Vrgellenis è diuerso non minus & ipse laborabat, vel ob hoc solicitior quam rex, quod ille alteri, hic sibi consultum volebat. Et cum Catalonia iam suarum partium existimaret, quod in ea natales, domum, potentiam, clientelas suas ac patris auique haberet: Valentiam quoque multis officiis, largitionibus, studiis deuinctam sibi reddidisset, vt vix constaret, ab vtris magis obseruatetur, Villaragutis, atque Centelliis, quæ sunt duæ illic summæ atque diuersæ inter se factiones. Tamen nihil actum esse centuit, nisi idem in Aragonia, vbi caput rerum est, effecisset. Sunt autem in Aragonia nomina factionum, Luna, & Vrrea. Lunam iam sibi conciliauerat, ascito sibi Antonio Luna, qui tunc principatum factionis obtinebat: diuersam vero factionem non modo ob odia partium infensam habebat, sed etiam quia studeret Ludouico competitori in regno, autore ac duce Garsia Heredia archiepiscopo Cæsar. augustano (erat enim is beneficiarius domus Franciæ. hoc profecto pessimum est in petitione regni, quod nemo iuri, omnes amicitiae fauent) secundum hunc propinquo eius Egidio Roizæ, Aragoniæ gubernatore: cuius filius Ioannes in Herediam familiam fuerat adoptatus. Ex quo fauor Ludouici propter summos magistratus in Aragonia plus pollebat. Hos Comes vbi blanditiis promissisque pellicere se posse desperauit, excogitauit quo modo illorum diminueret potētiam, suorum adaugeret, simul se dominum causa constitueret. Postulat ab rege vt in Aragoniam gubernator delegetur, qui magistratus soli regis primigenio tribui solet: contendit cum alia quædam esse ex vsu prouinciarum, tum vero illud ex vsu regi fisci, si rationes iam compluribus annis repetantur rerum administratarum. Rex etsi nihil minus volebat, quam Aragoniam velut arcem regnorum, ab hoc regnum affectante occupari, & quasi eum adoptasset hoc magistratu, exire famam, simulque sine causa sincerissimum ac prudentissimum virum à magistratu amouere: tamen admonito Comite, caueret quid ageret, postulata concessit, neque id magnopere intuitus, tum sperans illo absente, commodius cum Papa confectum iri negotium nepotis, tum volens conciliari maiora in Aragonia homini odia, quo minus temeritas prospera esset. Dat itaque ad gubernatorem atque archiepiscopum clandestinas literas, vt aduersus Comitem iure suo vtantur, nullam tamen de literis ipsis, vt saluus sit pudor regis sinceritatis, mentionem habeant. Comes diuulgato rumore, se iam pro indubitate haberi successore ab rege, cum magistratus qui soli primigenio regis indulgeatur, sibi indulitus sit, cum magno apparatu Cæsaraugustam venit, stipatus omni factione Lunensi, poscitque se admitti in possessionem. Ei gubernator prætorque quem iustitiam vocant, atque archiepiscopus, cum cæteris suæ factionis intercedunt, negantque illi ex lege præsidem licere esse, nec regem velle reuocare legem quam non possit, sed impudicitia Comitis non ausum refragari, ne hominem odisse diceretur, ita tamen id concessisse, quatenus ratum lege esset, ac populi admitterent, nunc nec legem admittere, nec populos. Hic multa alteratio, mox seditio, dehinc res ad manum vocatur, quotidie que leuia prælia, prope ciuilia conseruntur. Ex quo sunt qui dicant, à quo homine primum excitatum est, & iis regionibus bellum intestinum, in eius domo subuertenda, tandem esse restinctum. Pauculis diebus superuenit Ioannes Ferrandis auxilio patri, auunculo, partibusque, cum magna armatorum manu: urbemque ingressus, ante pugnam commissam, Comitem è foro domum fugat, dumque expugnare domum aggreditur, ille per posticum quod ad flumen fert, cum cæteris abiit. Sunt qui habitu dissimulato, ac fine comite, nec equo sed pedibus fugisse dicant, quod falsum esse compertum habeo. Illud quoque non minus falso dici, ab rege præceptum illis literis, vt Comitem interficiendum curarent, quod non modo abhorret à vero, sed etiam à regis ingenio mitissimi ac iustissimi, & qui sape dixerit, nolle se regni ius auferre ei cuius foret, nec si centum alia sibi regna adeptum in

existimaret, meminisse se Christianum esse, cuius æternum regnum foret, si recte egisset: rursusque æternum supplicium, si præue. Si cito relicturus esset hoc regnum, petiturusque illud, cur insolito scelere commacularet manus pro alio quem vellet hæredem, cum ne pro se quidem commaculatus esset? Regnum sibi eripi non posse, post sua fata, eius fore cui Deus destinasset: prophetare tamen audere, qui non via iuris, sed factionibus dolisq; regnum affectaret, eum ad regnum non esse peruenturum, Comitem significans. hæc respondit iis qui suadebant: non enim deerant, qui suaderent ut Comitem tolleret. Ille ex Cæsar Augusta fugatus Aragoniaque, in Catalonium Ballegarium domum suam sese reperat, non reuersus Barcellonam: siue ob euidentius indignationem pudoremque: siue quod vitaret urbem nonnihil pestilentem, quam rex quoque deuitauerat, primum habitans in prædio suo cui nomen Pulcher Aspectus, de quo supra dixi, deinde in habitaculis monasterii in Valle Donzellæ, non procul à muris: siue ne interesset pōmpæ legitimatiōnis Fœderici, nam & ab iis qui cum papa Barcellonæ erant, susurrabatur, & Siculorum legati præ se ferebant, qui omnibus precibus obsecrantes regem, vt eis regem præficeret Fœdericum, ex Siculo rege, & de Siculis optime merito, & ex matre Sicula, & in insula ipsa genitum, confessionem ab eo expresserant voluntatis, qua erat auus in nepotem: siue vt vitaret suspicionem sceleris quod ab eo per vxorem & matrem creditur admissum. Referam non omnibus rem notam, nec passim diuulgatam ob Comitis, vt creditur, tanquam futuri regis vel metum vel gratiam: sed tamen inter domesticos, à quibus ego accipi, viris bonis & grauibus, agitatam, & prope compertam. Dicitur Comes pro deplorata habuisse spem suam, si legitimatio fieret per summum pontificem, deinde per Aragonenses, exceptio vnius Fœderici in lege quæ est contraillegitimos lata. Ad quod ipsum quasi de publico consensu venisse gubernatorem, proxime audierat. Omnia enim rerum certior quotidie siebat per vxorem & matrem, quæ per causam propinquitatis ne pedem quidem ab regina discedebant: quam etiam studiosam causæ Comitis reddiderant, & ab ea Centelliam familiam vnde ipsa materno genere erat, conciliatam habebant. Hæ mulieres die Louis, ante diem Dominicum solennibus legitimatiōnis destinatum, quæ erant futuræ Calendæ Iunii, vesperi dicuntur ansere saginatum quem opipare concinnabant, assūm regiis ministris porrexisse, per speciem demerendæ reginæ, vt regem & adipibus & quartanæ torpidum ad Venerem procreationis gratia excitarent. De quo ansere vbi comedit rex, statim vehementi dolore stomachi conflictari cœpit ac lamentari, moxque ardentissima febri insecura, signaque & maculæ quædam in defuncti corpore (secundo autem die defunctus est) apparuerunt: quanquā potuerunt esse signa pestilentiae. Nam quod dubium est in tantæ re, id ego nolo fieri mea asseveratione certum. Omnes enim fere ex eadem doino, post regem vel peste vel febri extinti sunt, quales etiam plurimi ex ciuitate. Potest & id in causa regis fuisse, non malitia, sed simplicitas mulierum atq; stultitia, quæ quotidie citra medicorū conscientiam, cibariis ad Vennerem quam ad salutem aptioribus inferciebant virūm, vnguentisq; oblinebant. Siquidē defuncto rege, & domo, vt fit, à fœminis subito derelicta, est inuenta cellula his cibariis vnguentisque differta. Ut cunque res administrata sit, certe Comes in morte regis præter cetera hanc spem secutus dicitur, quod gubernatoris munus inuitis inimicis administrare posset, cum id per legem defuncto rege non prohiberetur: aut saltem impunius archiepiscopum cæterosque de medio tollere, vt nihil sibi posthac superesset impedimenti. Cui rei euentus ipse testimonium dedit. Ut autem ad rem redeam, vbi totam illam noctem rex per æstus atque cruciatus insomne duxisset, cum illuxit, legati Barcellonæ multique proceres lectulū circumsteterunt, multi mortiferam sentientes, & inter se consurstantes, sed in horas magis ac magis ad extrema vita spiritus properare videbatur. Cum interea mater Comitis atque vxor regem adeunt, rogantque vt nunc saltem in ipso extremitate tempore Comitem declararet regni successorem. Non respondenti, atque vt solebat, sed alio somno subdormitanti, apprehendit matrona vestem à pectore, atque inquit, filii mei est regni successio, filii mei, quem tu succedere vetas contra fas iusque. Ad quam ille inspiciens, Ego, inquit, ignoro istud, & ita esse non credo. Simulque Guilielmus Moncada, & unus legatorum, retracta manu à brachio fœminæ, admonuerunt, vt reuerterentur tangeret regem. Postridie deplorata iam eius salute, ne maturius præfocaretur, constituant in sella amictum tenui tantum amictulo, ac dispectoratum. erat enim soles æstui. Illuc eum complures adierunt, & iam quasi defunctum lamentabantur, & in primis Siculi legati, Fœdericum sibi regem dari, cum fletu lachrymisque poscebant. Quibus rex ingemiscens, verbis ac vultu quantum poterat, commendauit. Tum legati Barcellonenses nequid responsum regis fortasse scrupuli moueret imposterū adhibitus tabellionibus in-

terrogarunt, iuberetne eius regna esse cui iure deberentur: ita se iubere respondit. Praeclarum profecto responsum, vel quod mulieribus, vel quod Siculis, vel quod Barcellonensis reddidit. Primum quidem liberum, ingenuum, ac præfractum, sed sine bile atq; indignatione: alterum vero molle atque affectus plenum, sed ita ut iustitiae magis quam affectui se parere ostenderet: ultimum autem simplex ac solidum, ut nihil petendum sibi existimaret, nullo competitorum in succedendo populis proceribusq; commendato. Iam omnis familia per domum propemodum lymphata ferebatur, iam cubicula illa quæ nuper ornamentis, mulierum symphoniis, atque omni iucunditatum genere exultauerant, deseruntur, denudantur, & velut ad hostium aduentum, aut si Erynnis inuasisset, lugubria videntur ac feralia, cunctis partim occultius, partim apertius emigrantibus. Quoru^m unus fuit Egidius Aragoniæ gubernator, qui intelligens quam infestos haberet inimicos, per causam dormiendi, meridie cubiculu suum intravit, & mutato habitu cum regio confessore Barcellonam abiit, rumorq; fuit, conatos esse quosdam in domo regis vincula ei iniicere. credo hanc opinionem ex eo ortam, quod Comes certis hominibus negotium dederat, ut ei vincula iniicerent, captumque ducerent, aut necarent. Nam Barcellona, cum eo venit gubernator, plena armatoru erat, ex maxima parte eorum qui Comiti studebant, & intrantes urbem, perque viam euntes, ciuitas sciscitabatur, an rex adhuc spiraret, an ibi gubernator Aragoniæ adesset? Quo maturius ille tantopere se queri ab inimicis cognoscens, sibi delitescendum putauit. Atque ea nocte, cum se cus atq; consuetudo ferebat, clausæ forent portæ, audiebat è domo in qua latebat, in propinquavbi multi verabantur armati, colloquentes, admirantes, quærentes, vbi est gubernator? quid de cofatum est? quo abiit? Hic autem vbi multa iam die apertæ iam portæ essent, non equum, sed nauigium concedit, Paniscolamque quæ sibi amica erat, se contulit. Hæc retuli, ut quam violento ad affectionem regni fuerit animo Comes Vrgellensis, appareat. Nunc referam id, quod an veneni, an pestis, an alterius rei signum sit, medici viderint. Quod ipsi qui vident, quid fuerit se scire negat, idemque regem veneno periisse non credit. Is est Borrascurrarum eximus, quatuor & octoginta hodie natus annos, neandum à scurando vacans. De quo ne quis miretur me facere mentionem, in tanta fuit apud complures semper reges dignitate dicam, an opinione, an benevolentia, ut eum in libris meis fastidire non debeam, quem reges nullo quamlibet serio in negotio fastidierunt: cum præsertim, quod apud vulgi opinionem valet, plurimum diues sit, adeo ut ad centum millia aureoru profiteri possit. Vir profecto natus ad exprobrañdum literarum scientiæque ac sapientiæ studiosis, qui doctrinam non veri contemplatione, non summi boni fine, non ipsa virtutum laude, sed pecunia, & vmbra populorum honore metiuntur. Ad hos quotidianum Borrasconuitum pertinet dicentis, plus se & pecunia & honoris comparasse, dum stultum agit, quam qui literarum & sapientiæ studiosi vocantur. Quod cum audiunt plerique literati, ornatumque hominis regalem vident, & erubescunt, & dolent, & si vera fateri volunt, etiam inuident: nimirum infra omnes scurras, histriones, mimosque detrudendi, male meriti de liberalibus artibus, quibus inuidiosam volunt esse vitam scurilem. Hicigitur Borra de numero erat eorum qui suis rebus, non sibi timerent, in quibus absportandis cum aliquot horis districtus fuisset, tandem ad conspectum rediit regis. Cui ille vix suppetente voce, Vnde, inquit, domine Borra, qui tandiu abfueristi? Hic simul ut rem dissimularet, simul ut regem cupidum suavis alloquii, si posset, hilaritate afficeret: Ego vero, inquit, è vicina vinea redeo, vbi nescio qui hinnulū meum per caudam ad sicum suspenderant, quasi ficos furto edisset, qui nondum maturi sunt. Ad hanc facetam vocem rex cum arrisisset, mox animam celerius agere cœpit. Borra, ut erat ex aduerso, videbat vmbram quandam breue loci spatiū occupantem, paulatim à medio ventre ascendentem, prout anima cōtinenter inferiora relinquebat. Id viderit ne, an videte visus sit, an cōuexitas aliqua corporis obumbrauerit, fides penes oculos eius sit. Vbi ad guttur euasit, & ipsa euauit, & rex animam efflauit. Ita Martinus rex, vel diutinæ quartanæ languore, vel tunc grassante morbo, vel incommoda habitudine corporis, vel infando veneno, vel in consultis vxoris medicamentis, vel in oratore amissi filii, vel horum plerisque excessitæ vita, omnium Aragoniæ regum & potentissimus (nam nullus ante eum Siciliam tenuerat) & ultimus ex familia Comitis Barcellonæ, in quem regnum Aragoniæ transierat, filia regis quæ patri successerat, in matrimonium accepta. Ex quo mirari habeo, quid in mente venerit illi regi atq; Aragonensis populis, velle non licere in regnum succedere fœminæ, cum ex hac regina & vir Catalanus in regiam dignitatē consenderit: quæ res etiā nationigloriosa est, & Aragonia maiorem in modum maiestatē suam propagauerit, adiectaci quasi appendice Catalonia, quæ viribus ad illam sequialtera est. Siquidem cum rex Aragoniæ

ragonia nuncupatur, Cataloniæ quoq; princeps subintelligitur, hoc est quod ambarum
 vnuis idemq; rex, sed ab vna quæ sit dignior, nuncupatur. Quare haud dubitem dicere re-
 gem illum, suæq; ætatis homines qui contra fœminam decreuerunt, fecisse quod sui ma-
 iores non faciendum existimauerunt. Mortis Martini nonnullæ res, vt creduntur, præ-
 nuntiæ fuerunt. Eodem mense fuit eclipsis lunæ toto sydere obductæ, circiter horæ spa-
 tiuum: item terræ motus semel, cum mane surgeret, iterum cum poculum à pincernæ ma-
 nu accepturus esset. Cumq; dixisset, Mors magni alicuius viri terræ motu significatur: in-
 quis ex intimis quidam, Nunc nostræ timeo parti: ad eum rex, Ego non sum magnus, vbi
 adest maior? maior me papa est, de illo igitur terræ motus loquitur, non de me. Erat au-
 tem tunc Benedictus Barcellonæ, ipse vero eodem in prædio suburbano. Itaque visus est
 minus soluisse audientibus quæstionem terræ motus, quam innodasse. Ex quo animi suo-
 rum magis anxiæ esse cœperunt. Nam in tota Hispania non modo Benedictus qui sub um-
 bra regis latebat, sed nemo aliis cum Martino erat comparandus. Corpus defuncti à me-
 dicis curatum, & ad tricesimum usque diem in publico reseruatum est, vt ex omnibus re-
 gnis homines conuenientes agnoscerent. Sed maiore cura reginam Comes asseruandam
 curauit, vt vix miseræ cubiculo pedem liceret efferre: verbo quidem, quod diceret du-
 bium esse, an grauida è rege foret: re auté, quod vereretur, ne ex altero postea concipiens,
 è rege se concepisse mentiretur. Siquidem & apud iuris consultos, & apud physicos rece-
 pta opinio est, incertum tempus esse pariendi, & in undecimum usque, & interdū in ter-
 ciumdecimum mensem extrahi partum posse: & hæc quidem domestica sunt. Publice
 autem post defunctum sepultumq; regem patefacta est magis apertis studiis ianua, & o-
 missio iudiciorum ordine, pro se quisque impensis quotidie parare arma, clientes con-
 trahere, concire cuiusq; generis homines, suas partes augere, consultare cum suis, nec do-
 mestica tantu, sed externa etiam auxilia accersere, donare, polliceri, nihil remittere: ma-
 gisq; ac magis in dies ad vim spectare res videbatur, & regnū eius fore qui plurimum pos-
 set. Poterat auté plurimum tunc Comes Vrgellensis, Fœderico morte aui prope destitu-
 to, & per ætatem magis adhortando, quam adhortante, Duce Gandiæ non per se, sed per
 alios auxilia rogante, Ludouico & Ferdinando extra regnum proculq; agentibus: vt Co-
 mes ex quatuor competitoribus, duorum qui aderant iam victor esset, duorum qui aberant,
 alterum non timeret, quem nemo fere priuatū defenderet, alterius cuius adiutrix factio
 Virea esset, propediem victor videretur. Adeo iam de capiendis regiis insignibus, appel-
 landoq; se rege deliberabat. Quod vbi rescuere Cataloniæ vrbes, summopere dissuase-
 runt, amissurum ea via illum omne suum ius, omne hominum studium, nec à Catalonia
 sed ab Aragonia incipiendum esse. Catalonia quidē studiosam eius semper fore, verum
 tantam labem minime subituram esse, vt regem ipsa & prima & sola faciat, contra suas &
 quidem maiores natu sorores. expectaret quid eligendi iudices pronuntiarent. Iam con-
 cilium, quod illi parlamentū vocant, cogi ex omnibus prouinciis in Calataubio. Sed hoc
 illi molestum erat, quod res in Aragonia, quod archiepiscopo autore, quasi nauis guber-
 natore, administrarentur. Quid enim sperandū sibi de brachio ecclesiastico (quatuor e-
 nim brachia in Aragonia faciunt) cuius caput sit archiepiscopus, competitoris studiosus,
 sui inimicus, cum quo Benedictus papa faciat, vt omnia communi abbatorū consilio geri
 videantur? Quid de nobilium equorumq; cum gubernator prætorq; tam sibi infensi,
 quam archiepiscopo obnoxii sint, cum alter affinis, alter gener illi esset? Quid de brachio
 ciuitatum, quod vocant regale, quorum plerique superiorum vel autoritatē vel gratiam
 lequuntur? Eo quidem magis, quod dabat operam archiepiscopus, vt concilium Cæsar-
 augustam transferretur: idque recte ac iure fieri per suos papa assuerabat. Quod si fieret,
 multo meliores fore partes Ludouici intelligens Comes, vtriq; minatus est: archiepisco-
 po se pro pileo pontificali impositurum cassidem ignitam: papæ rasurum esse verticē non
 aqua, sicut fieri solet, ante perfusum. Interea quotidie cædes seditionesque per prouin-
 cias siebant, nec cuiusquam autoritas aut potestas ire obuiam poterat: nemo satis alteri cre-
 dere, nemo obtemperare, ipsa capita inter se dissidere, ac digladiari. Usq; adeo iam in con-
 temptum venerant exteris. Siquidē in Sicilia, de quo postea dicemus, Bernardus Caprera
 res nouas moliebatur, & insulæ regnum affectabat. Cuius non minor metus incessit ani-
 mosorum qui bonum publicū & gloriam Aragoniæ curam habebant, quam quis Ara-
 goniæ rex esset, cum plus damni fieret, alienata Sicilia, quam quolibet competitorū rege-
 facto. Igitur omnia plena motus, timoris, turbationum, ac periculorum, & velut in tem-
 pestate multorum ventorū, cum inter nautas non modo litigatur de gubernando, sed et-
 iam pugnatur. Huc accedebat, quod Ludouicus suauis archiepiscopi, quo maior causæ sue
 esset & autoritas & gratia, miserat ad fines Cataloniæ copias militū, nuntiosq; ad conciliū,

qui hortarentur ad iustitiam, nihil metueret, præsto esse copias aduersus perturbatores ordinis iudiciorum & iuris, nec defuturas pecunias. Idem facit Ferdinandus, non ignorans à Ludouico non minus illa in fauorem fieri iuri priuati quam publici, & contra Comitem factionibus armisq; cœlum ac terras miscentem, autoritate armorum esse agendum. Ferdinandum quantum fauor in aduersarios propensus lœdebat, tantum recens gloria rerum gestarum commendabat, quod mariterraque viator redisset, quod imperium Castellæ ampliasset, quod pro re Christiana fortissime ac fœlicissime dimicasset, quod nisi ad expediendam litem de successione venisset, prope iam regem barbarum debellasset: & de eo quotidie magis ac magis homines fauorabiliter & sentiebant & loquebantur. Ex quo animaduertens Comes, iam duos externos competitores in dies maiorem sibi autoritatem comparare, idque archiepiscopi opera, facinus exequi festinat, & quod minatus fuerat, perpetrare. Itaque Antonio Lunæ negotium dat, ut hominem per speciem colloquii euocatum obtruncet. Erat autem Antonius et si diuersæ factionis, tam perfamiliatis archiepiscopo, ac pene cliens. Nam annuis quasi stipendiis ab eo donabatur, & eodē mense septingentos aureos Aragonicos acceperat. Id dicitur fecisse archiepiscopus, quod cum fuisset tutor Ioannis Ferrandis, fraudarat pupillū dimidiata hæreditate, eamque in Blascum qui gentilis atque agnatus suus erat, transtulerat, indignū existimans tantam generis sui hæreditatem, totam in alienum deferri, nulla ei qui ex ipsa domo esset relicta portione. Is cum postea cerneret Ioannem erecto ac sublimi animo virum, Blascum vero segniori ac longe imparem, vedit fore, ut se defuncto, ac ne dum quidem defuncto, Ioannes Blascum hæreditariis bonis exueret. Ea re præsidium homini infirmiori aduersus potentiorē in diuersa factione comparauit, propinquum suum in contraria acie ponens, ducem hostium intra sua castra versari patiens ac volens, vnde mortis suæ origo defluit. Et postea cum rerū merita nesciamus, iudicia diuina mirati solemus. Enim uero hanc quam retuli causam, paucissimi notam habent. Neq; ego nunc de iudicio Dei in vniuersum pronunciasse intelligar. Scio equidem iustos saepè multatos infortunio fuisse, & iniquos secundissima fortuna vsos. Sed nonnunquam sapientissimi non longe absunt à coniectanda Dei voluntate, cum patrem ille aut dominum agere videretur. Archiepiscopum è Calataubio reuertente, atq; in oppido Almuma agenit, Antonius ait se adire velle colloquii gratia. Etenim saepè eum pro familiaritate interuilebat, colloquio que ad insidias in proximo nemore ducentis equitibus hastatis, & ex parte magna loricas, ipse cum paucis armatis procedit. Nam armati tum omnes fere qui ex factionibus professi erant, incedebant, ac præmittit è vicino ad archiepiscopum, qui dicat se ad colloquium venire. Eo hic nuntio lætatus, tanquam aliquid quo gauderet ab amico auditurus, consenso mulo, obuiam egressus est, decē duodecimve comitibus: Nam festinatio plures vndique conuenire non sciuerat. Ille tardius de industria iter faciens, plus duabus stadiis procul à muris archiepiscopum excepit. Cumque se mutuo salutassent, hic illum filii, ille hunc patris nomine: Ecquid, inquit Antonius, eritne rex Comes Vrgellie? Nō me viuo respondit. Ego, inquit, aut te capto, aut maestato. Maestato respondit fortasse, captiuo nequaquam. Atque hæc dicenti frenosq; flectenti Antonius colaphum in medio ore incussum, arreptoq; protinus gladio, caput ferit, refugiente cæteri vulnerant, subinde caput muli, vt ab instituto cursu auerterent, percutientes. inter eos Antonii armiger, qui unus lanceam gerebat, ea subtus brachium adducta, incurrens præcipitauit è mulo, atq; ita iacentem contrucidarunt, manumque inter cætera vulnera amputarunt. Ita is qui diademam imponere regis debebat, imperio eius qui diadema sperabat, teterima morte est affectus, vltores angelos relinquens, ne vñquam in sellam regiam illi daretur ascendere, per quem summi in regno antistitis corpus foedissime confossum laceratumque iacuisset. Ideoque statim diuinum, si recte æstimemus, numen apparuit. Nam si tantum animaduendam urbem illis, quantum ad aggrediendum facinus fuisset, haud dubie sublatis erat, & oppressa factione Vrrea, Comes regiam dignitatem velextorissem, vel impotens. Nunc sceleris, non voti, compos effectus est, dum hostem debilitatum mancumque magis de fuga, quam de vltione cogitaturū putat, tam procul posito Ludouico, à quo peterentur auxilia: nec in mentem venit ei, plarissq; animalibus auctiora arma in fuga esse, & ingenium ex necessitatibus crescere. Dato hunc in modū spatio inimicis ad libi confundendum, illi tamen illatae iniuriæ dolore, tum inferendæ metu, ad proximum ac magis validum Ferdinandi, de cuius iure bene quoq; sentiebant, præsidium configunt, longe decepta aduersariorum spe, qui à semel susceptra causa in aliam descituros hostes nō suspicabantur: ignari plus posse odium quam benevolentiam, & dolorem quam gratiam, & cupiditatē se ab atrocis iniuria vlciscendi, quam alieno honori inseruendi. Blascus quoq; qui

qui ingresso Antonio opem tulisset, nunc ingressus cum potētia aliis opem ferre, nisi scleratissimus videri vellet, & à bonis cadere, coactus est. Ferdinandus intelligens ex vna re tria sibi commoda fore, quod partes suæ roborarentur, quod competitorum qui validissimi erant, alter debilitaretur, alter hostes supra caput acerrimos habiturus esset, non graduata auxilia misit. Periit autem archiepiscopus anno circuacto, ab obitu regis eodem mense. Cuius morte solutum concilium est Calatauibii, & postmodum conuentus provinciales agi incepti, ab Aragonensibus in Alcamitio, à Valentiniis in Tragera, à Catalaniis Dertusæ, quod hæc oppida finitima sunt aliis duabus prouinciis. Quo difficultius fuit, inter distractos conuentus, mature deliberari, cum præsertim quotidie maiora consere-
tentur in Aragonia certamina, gubernatore volente prouincia in officio tenere ac quie-
te, Comite, accersitis è Vasconia & trans montes copiis, annitente reliquias aduersæ fa-
ctionis euertere & suam rebus gerendis præficere. Tandem post aliquot menses, per con-
uentus vniuersos, hoc est, per terna brachia, Valentia & Catalonia, ecclesiastica, patri-
tia, plebeia, ultra quatuor illa Aragonia quæ diximus, locus delectus est in Aragonia, op-
pidum Capsa, mandatumque gubernatori ut dispositis præsidiis armatorum, curaret ne-
quid res publica detrimenti caperet, quoad interregnum duraret. Ibi cum alia multa, tum
vero de iudicibus diligendis tractabatur. Interea Comes non eadem qua in Aragonia,
sed non multum dissimili iniustitia, par propemodum sui fauoris ac partium naufragium
fecit, Valentia primum ab alienatis à se Centelliis, deinde suæ factionis propugnatoribus
Villaragutis profligatis. Materies calamitatis hinc ortum accepit. Ioannes Baliera præses
quem & ipsum gubernatorem vocant, ita infesto ferebatur animo pro Villaragutis contra
Centellias, ut non gubernatoris sed carnificis munus se crederet accepisse, nullum op-
portunius vel vltioni vel iniuriæ tempus ratus quam illud interregni demens atque insipiens,
qui non intelligeret neminem vehementius delinquere magistratum, quam qui
personam præsidis gerit, & quod multo magis est, etiam regis qui vita excessit: tunc etiam
præses nulla ex parte sius, sed totus ciuium, totus reip. est, & quasi canis in ouili sine cu-
stode, cum magis vigilandum latrandumq; pro gregè est. At iste in situ partium odio pro
cane lupus effectus, aut peior lupo canis, absente pastore partem gregis, qui colorem eti-
Centellianum habebat, non tantum fugabat, sed trucidabat quoque, ad quadraginta nu-
mero, & eo amplius. constat honestos homines per fas perq; nefas, vel suspendisse, vel se-
curi percussisse. Adhæc vicos oppidaq; Centellarum, asperitate iudiciorum exhausten-
da curauerat. Hæc cum ad Comitem deferret Bernardus Centellia, qui princeps familiae
erat, quotidieq; comploraret: ille negligentius lentiusque ferre videbatur, nec curare, eti-
videri volebat iniuriam propulsandam, videlicet quod vereretur præsidem cui addicta
plebs erat, offendere: atq; eo remissius agebat, quod Villaraguti Lunis, & Centellæ Vrreis
in Aragonia responderet. Sic expressa necessitas Centelliis, ab eodem implorare auxiliū,
à quo implorasse atque impetrasse Vrreas videbant: eo facilius quod regina Margarita,
conciliatrix fauoris, aliena à Comite erat, vel ob contumeliam acceptam, vel ob suspicio-
nem regis extincti. Simulque indignum ducebant, cum de iure competitorum ambi-
guum esset, Comiti contra alios adesse. Missis itaque ad Ferdinandum, item ad Vrreas
nuntiis qui auxilia implorent, Gilbertus Centellia Bernardi frater, cum bene magna cli-
entum manu in agrum Valentinium incursionem facit, & ad sex m. llium capitum promi-
scui pecoris, quæ erant Ioannis Villaraguti subgubernatoris, abigit, dicens illum per cor-
ruptionem iudiciorum, cum ex aliis, tum vero ex Centellianis vicis, eum pecorum quæ-
sum fecisse. Ad hunc coercendum Valentini magistratus tum publico tum priuato no-
mine equitatum, quo ipsi non multo vtebantur, à Comite accersunt. Ille confessim qua-
dringentos equites Vasconum mittit, Raimundo Pereloso præfecto, inter primos Cata-
lanorum procerum, fortis ac strenuo. Sed ii fere sub idem tempus applicuerunt ad oppi-
dum, cui nomen est Castellioni, ad flumen Borrianam, quo Ioannes Ferrandis applicuit,
cum septingentis equitibus Saguntum, quod nunc vocant Murum veterem, quam vr-
bem Centellæ suæ factionis stadiosam tenebant, pene medianam inter Castellionem atquo
Valentiam, hinc quatuor, illinc sex leugis distantem, atq; vtrique transitu prohibentem.
Nam à dextro latere perpetui montes ad mediterraneam Hispaniā porrecti, nisi plurimum
dierum circuitu Valentiam ire vetant: à sinistro oppidum Puteoli, & alia loca natura atq;
opere munita, facile transitu intersepiunt. Adhæc inter Saguntum Valentiamq; interie-
ctæ paludes, vtiq; hybernis austibus laxiores, vt tum erant: vix tamen intercedinem li-
toris ad transitum relinquebant. Quas angustias maris ac paludis obsidere aduersus Va-
lentinos transitulos, vt colligi conjectura poterat, constituerant. Horum vtrorumque ad-
uentu percepto, præses Valentinus fremere ac furere, quod auxilia hostibus venissent, suæ

peruenire non possent, & quod inimicis non modo impune esset læsisse, sed etiam ad vi-
teriorem iniuriam animus facultasque accessisset, & quod gubernator Aragoniæ in alie-
nam prouinciam aduersus alterum gubernatorem per contemptum arma misisset. Tot i-
gitur irritatis causis, iubet in posterum diem omnes qui per ætatem valetudinemq; pos-
sent, qui arma haberent, præsto sibi essent in foro armati: vt primum socios ad Castellio-
nem reciperent: deinde vicos ac prædia Centellarum atq; sociorum igne ferroq; vastra-
rent. Eadem nocte ad Ioannem Ferrandis atq; Castellanos qui cum eo erant equites, cita-
tissimo cursu superuenit Comes Castræ cum cohorte fortissimorū iuuenum a Ferdinandi-
do missus, ne quid factio atq; arma Comitis Vrgellenis in Valentia finibus perturbarēt.
Vbi illuxit, populus Valentinus sub armis, ad duodecimq; millia peditum ac ducentos e-
quites, ad locum præsto fuit, maxima ex parte inuitus, quod & bellum ciuale detestaretur,
& quod Centellianæ factionis plæriq; studiosi essent, quos præses præcipue arma sumere
imperauerat, tum vt experiretur quam obedienter imperata facerent, animaduersurus in
contumaces (nam capitale edixerat, si quis eorum non adesset) tum ne urbem diuersa fa-
ctionis hominibus relinqueret, si tantum suos eduxisset. Hæc est conditio tyrannorū, aut
tyrannis similiū, vt suis ciuibus nec absentibus nec præsentibus satis confidant, etsi con-
fidere necesse habent: ideoque plærumq; cum res in periculum vocatur, ab alterutris cla-
dein accipiunt, vt nunc videmus contigisse. Nam cum iis copiis gubernator sub signis v-
bi ad angustias venit, videt procul instructos ex aduerso hostes, magis illos quidem ad in-
tercludendum iter paratos, quam inuadendum. Erant enim pauci, ac pene nulli ad tan-
tam multitudinem, sed spes seditionis hostilis, & fiducia equitatus, & victoriæ pretium
excitabat animos. Bernardus, iussis subsistere suis, progressus in medium, iubet aliquos è
diuerso in colloquium mitti. His missis, ait: Nihil minus se cupere, quam aduersus patriæ
bellum gerere. Ideo nulla dum arma intulisse, vltum priuatas iniurias esse, etsi nō satis pro
indignitate vltum, vlturumq; si inimici iniurias facere pergent, cohibere vim, non after-
re, velle rogare illos, vt à lædendo temperent, satis habentes quod ciuitatem arbitrio suo
moderentur, paruim per expectent dum rex declaretur. nolit esse ciuilis belli causa, in quo
vtrauis pars vincat, vtrisque si patriam amant, esse dolitum, se agnoscere ciues suos, a-
micos, propinquos. Deniq; cogitaret præses non tam hostili animo omnes qui secum es-
sent, pugnaturos contra nomen Centellianum quam Castellanos, atq; Aragonenses con-
tra Bellerianum, se quidem cum paucis domesticis esse, & sociis qui plures sunt ac pugna-
cissimi, vt è cæde reuocare non possit: illum vero cum multis etiam inuitis, quibus bello
commisso, vt pugnant, imperare nequeat. Hæc vbi magistratus audiere, signum timoris
interpretati sunt, ob idque ferociores effecti, non pactionibus agendum esse respondent,
aduersus exules & patriæ proditores, sed gladiis. Se regem esse, quoad regni controuersia
est, proinde aut se permittat ei qui pro rege est, aut pugnam capessant. Ille tum magna vo-
ce exclamat, ne interpretarentur se diffidentia virium illa loqui, sed patriæ charitate, pro-
uiderent prius quam gladii stringerentur, ne tristem eum diem & infastum patriæ red-
derent. Et cum nonnulli à magistratu iussi obstreperent ac conuiciarentur, tamquam tem-
pus terenti: Deum (inquit) qui ex alto intuetur, testor, & vos homines qui adestis, & te-
bellio, vt mihi publicus testis sis, inuitum me ac coactum ad pugnandum descedere cum
ciuibus meis. Vos tamen amici, quos istic mihi plurimos esse scio, quæso ne committatis,
vt amici vestri aut vos feriant, aut feriantur à vobis. Sunt qui opinentur illum dolo ad col-
loquium venisse, vt sereret inter hostes discordiam, plurimiq; à pugna se vel abstinerent,
vel subducerent, prout factum est, sed ipsorum malo. Ego sicut doli incertus sum, ita illud
certum habeo sacerdotum testimonio, Bernardum maluisse & amicis consultum esse, &
patriæ, quam dimicatum. Post hæc verba ad suos regressus, renuntiat quid vltro citroque
dictum sit. Socii concepta ira atque spe venientibus occurruunt, & qua in parte volitare
præsidem cernunt, cum robore equitum impressionem faciunt. Locus angustus paucio-
res adiuuat, aliquandiu acerrime, & præcipue inter equites dimicatur. Ibi duo ex pri-
moribus Castellanorum equitum cadunt cum aliquot sociorum, sed eo acrius cæteri in-
gerunt, & præsidem ob regalia vestis insignia conspicuum circumfistunt, atque obtrun-
cant, plurimosque comitum adiiciunt, cæteri in fugam vertuntur: pedites quoque qui
circa ducem pugnabant, quia hostem à tergo adoriri non poterant, & ab alia equitu ma-
nu confertisq; peditibus distinebantur, aliquantū sustinuere certamen, sed minus acris-
nimo, quod multos sociorum non periculo, sed spectaculo adesse cernebant, quasi pu-
gnandi eis propter angustias copia nō esset. At vbi ducem cum multis obtruncatum, cæ-
terosque equites fugientes cognouerunt, & ipsi in fugam vertuntur, miscenturque cum
aliis qui manus non conseruerant. Sed Castellani qui Centellianos & Villaragutos non
inter-

internoscerent, ut in quemque incidebant, promiscue sine discrimine feriebant. Illi qui cum sociis stante acie ferrum non strinxerant, non profligatis sociis stringere cogebantur. Sed quis aut vincentium ferociam, aut fugientium ignauiam, reprimere potest? Cadunt igitur Valentini ex omni genere ac sternuntur, versisque in fugam omnibus terga cæduntur, nec fuga eis saluti erat, cum equitatum hærentem tergis euitare non possent. Videres itaque hos in altum mare, illos in limosam paludem, velut in castra penetrantes, & dum tutiora ab accessu equorum petunt, in voragine ac depressa labentes, nec fere præ armorum pondere emergentes. noua vbique facies, insolitus tumultus ac clamor. eodem tempore terrestre prælium tam angusto in loco gerebatur, ac cædes fiebat, mari palude, ac interiecta inter hæc terra, tribus diuersis locis continenter cruore imbutis. Nec omnes gladio mors absumebat, sed etiam aqua multos, & vtroque genere. Quod nisi Bernardus & Ferrandis intercessissent, hinc ferrum suorum compescentes, hinc Valentinis iter fugamque patefacentes ac præeuntes, insignis inter paucas calamitas eo die Valentinis accepta esset. Perierunt tamen ex iis illo prælio, & postea ex vulneribus ad quatuor millia virorum. Cæteri quos neque mare, neque palus, neque gladius hausit, fugasse in urbem receperunt, & ni duo ii quos dixi obstitissent, veriti urbem direptum iri, victores cum viætis in portas irrupissent, & quod incredibile videatur, tanta ciuitas ac tam frequens à tantulis copiis direpta fuisset atque euersa: eoque missis in urbem Bernardus aliquot ex suo numero principibus amicorum, ipse Saguntum se recepit, cum paucis captiuis aduersæ factionis. Cæterum neque hanc humanitatem in ciues suos, neque superiorem pugnæ deprecationem, tantæ laudi tribuo Bernardo, quanto dedecori illam immanitatem atque sæuitiam, quod reuertens iussit amputari caput præsidis, ac præfixum hastæ tradi filio puero quem ceperat, in urbem usque gestandum, vt in altissimo postmodum trabe suffixum pro trophyo statueret. Neque enim sic crudelitas inimici vlciscenda est, vt crudelior ipse iudiceris. Adeo minus immane fakturum fuerat filium super paternum cruentum iugulasse, quam religiosum illud patris ac filii pignus polluisse, ac ludibrio habuisse. In sequentibus diebus à populo Valentino acciti Centelliæ, magistratus ex corpore suo creant, remque publicam ad se omnem transferunt: mox Castellanos accersunt, ire ad ciuitatem vt suspicabantur iratam formidantes. Sed ii ciues necesse habebant aliis veniam dare, qui sibi ipsis ab eisdem victoribus veniam precarentur. Raimundus audita pugna fertur dixisse, se agnoscere fortunam Comitis, cuius ducum alterius tardum ac timidum consilium in Aragonia fuisset, alterius repentinum ac præferox Valentiæ. Nam si diem horamque certaminis cum Raimundo præses communicaasset, in eam cladem ventum non esset. Sed videlicet nimia fiducia, quæ frequenter potentiores partes euertit, præsidem in ruinam impulit, & priuatam & publicam. Itaque Raimundus unum præsidem incusans ac detestans, infecto negotio rediit. Porro victoria hæc longe plurimum, non dico momenti, sed autoritatis contulit causæ Ferdinandi, coegerique iudicia maturari, antequam omni ex parte intestinis bellis prouinciæ vexarentur. Delecti itaque sunt nouem iudices, ex singulis prouinciis terni. Imparem enim numerum ad finiendas vel lites, vel consultationes, Hispani multo commodiorem existimant: & id temporis non poterat sententia pro aliquo competitorum ferri, nisi à se quis altera parte iudicum, immo singularum prouinciarum: quippe cum necesse esset, duos ex singulis prouinciis iudices conuenire. Prouincias appello parum proprie, quæ sunt tantum gentes à populo Romano viætæ, sed ego usitatum vulgo morem sequor, quia tria regna, vt mallem, dicere non possum propter Catalonia, quæ regnum non est, par tamen duobus regnis. Non ab re fuerit, & nomina iudicum & qualitates referre, vt posteritas sciat, quos viros tantæ rei præficiendos ex suo quoque corpore consilia tanta existimauerint. Ex Aragonia quidem delecti sunt, Dominicus Ramus episcopus Oscensis, quem postea Ilerdensem, ad extremum archiepiscopum Terraconensem, eundemque cardinalem scimus nuper diem suum obiisse, post omnes collegas illius iudicij, in quo ipse sedebat primus: de cuius scientia, vita, autoritate dicere, parum attinet, cuia iudicia hominum, hoc est, honores habitu, testimonium dicant. Franciscus Aranda, vestitu ac barba horridiore, quod videlicet renuntiasset rebus humanis, aliqui ita accommodatus ad domos principum quibus diu præfuerat, moderandas, vt nusquam non & in consultandis, & in administrandis rebus ac maturandis, primas obtinuerit partes, idque sola naturæ bonitate atque ingenii dotibus, citra villam scientiam, ac citra villas propemodum literas, vt appareat ex hominè nativis bonis excellenti formari potius præcepta sapientiæ, quam ex præceptis sapientiæ formati hominem excellentem. In quo illud præcipue admirabantur, cum quasi pater esset,

vt quasi tutor potentissimi cuiusque, tam modico ex quoque contentus foret : ideoque libertatis miræ, ac nemini obnoxius erat. Berengarius Bardessinus, quo neminem neque illius neque huius temporis iurisconsultum in Hispania senes meminerunt maioris autoritatis fuisse, & perinde ad tantas opes peruenisse. Ex Valentia, Ferrarius dominus Cartusiae, non tam scientia (erat enim in iure ciuili perdoctus) quam conscientia optima, prudentiaque, ac grauitate singulari insignis. Vincentius Ferrarius eius frater, ordinis prædicatorum, cuius admirabilis in concionando laus ad exterias usque nationes est per uagata, princeps haud dubie sui temporis oratorum duntaxat illiterate loquentium, & si vera memorantur, miraculis clarus, & ante & post obitam mortem. Petrus Bernardus, iuris ita peritus, vt Valentiae nemini postferretur, vita quoque casta & integra. Ex Catalonia, Franciscus Sagarriga Terraconensis archiepiscopus, cum doctus sane in ciuili ac pontificio iure, tum vero ita facundus, vt ei primæ partes in eloquentia tribuerentur, & qui non minora ornamenta naturæ ad facunde pronuntiandum: quam episcopus Conserranensis cum in contentionem venissent, iudicatus est habere. Bernardus Vallis sicæ, quem non tanti faciebant, quod in iure ciuili nulli suorum foret secundus, & in dicendo sane admodum valeret, quanti quod plerasque causas gratis defensitabat: neque ex patrociniis poteriorum fauores, neque ex humiliorum gloriam captabat. Guilielmus Gaspes vir, vt in Hispania literis satis eruditus ac cultus, atque ex omni Barcellona, cum prudentissimus tum sincerissimus iudicatus. Hi iudices quo primo die ingressuri iudicium erant, corpus domini inspectante populo communiter acceperunt. Deinde continuos triginta dies, præter feriatos, partium aduocatos audierunt, quoties & quan diu cuique libuit dicere. Libellos, disputationes, cæteraque in scriptis probationum genera seorsum singula accipiebant. Reliquam diei partem in consultando soli consumebant. Postea vero quam nihil cuiquam libitum est verborum ac scriptorum proferre, conclusi sunt in oppidi arce, hac lege vt illinc prodire fas non esset, nisi rege declarato. Qui sermones ab iis inter se habiti, vel ante quam includerentur, vel vbi inclusi sunt, an multum an parum, nihil ne dubitatum dissensumque sit, incompertum mihi est: quia nec aliquis deprehendit, & ipsi nihil intercessisse dissensionis significauerunt, siue quod ita fuerit, siue quod suæ grauitatis censuerint esse consiliorum arcana reticere, siue quod morem Hispanum custodierint, quo nefas habetur, post euictam à senatu sententiam mentionem de his facere qui ab ea sententia quæ superata est, steterint, & nihilo minus parui interest scire quid intus quæsitum sit, cum sciamus quid propalam declaratum est. Octavo die quam se concluderat, qui fuit profestus diei qui celebratur in honorem principis apostolorum mense Iunio, conuocatis partibus ad sententiam audiendam, iudices in loco edito ante valueas templi confederunt. Gradus autem templi qui multi sunt, & statim plateam actecta omnia, vnde prospici iudicium poterat, omnis ætas sexusque repleuerat, clausisque portis armati muros ac vicos, nequid turbæ fieret, tuebantur. Tum Vincentius à cœtu collegarum surrexit, suggestumque pro gradibus positum, & ad populos obuersum concendit, atque oratiunculam habuit quæ dignitatem quandam sententiaz compararet, tum instrumentum in quo scripta erat sententia, capit aperitque. Pendebant ab uno omnium ora, mentesque inter spem metumque solicitäe. Non sic ad expectationem pugnæ suspensi sunt animi eorum qui de turribus domibusque populares suos cum hostibus decertantes prospectant. Nunquam post hominum memoria tanta causa in iudiciis versata fuerat. Nemo non illue suos affectus tulerat, nihil sane quisquam suspicabatur, nihil de futuro diuinare poterat, omnia prospera cupiditas, omnia improspera timor subiiciebat. Ipse quoque pronuntiator cum partem primam sententiaz recitasset, & ad nomen regis aduentaret, subinde magis expectationem hominum suspendebat, interloquens : Ecquem putatis iam Regem vestrum esse ? quo maxime gaudebitis, qui maxime optandus est. Et cum aliquoties interfatus ardenter attentionem magis incendiisset: Infantem Castellæ Ferdinandum recitauit Regem declaratum. Ad quod nomen tantus exultantis turbæ clamor excitatus est, plerasque assurgentibus ac discursantibus, vt reliqua recitationis pars non fuerit exaudita, præfertim militaribus vnde vocibus tubisque ac cornibus, præterea bombardis obstrepentibus. Dicta sententia, ad tres contentus nuntiis cum literis quæ rem docerent, missi sunt, ad Calatauibum, ad Tregeriam, Dertusamque. Qui simul vbi re cognouerunt Ferdinandum esse Regem, Accipe dixerunt, literasque passim per urbes dimisere, legatosque ad excipiendum Regem e Castella Aragoniam ingressurum delegere. Postridie quam Rex declaratus est, cum audiret Vincentius, ad eumque referrentur voces nonnullorum causantium, non indigenam Regem, qualis Comes Vrgelli futurus erat, sed alienigenam f. & cum, eodem in loco ora-

tionem habuit, dicens: vbi de iure successionis quæ situm sit, ibi non esse causam, cur de persona mentio haberetur. Nam Comes Vrgelli cuius vicem nonnulli dolerent, tantum abesse ut comparandus fuerit cum Ferdinandō, vt iure iurando interposito & teste conscientia collegarū iudicatus sit à duce Gandiæ in succedendo superari. Quod autem ad personam pertinet, esse Ferdinandū matre Catalanum, Comitem Vrgelli Lombardum, illum patre Rege ex eadem natione, qua Reges Aragoniæ, dignitate vultus ac corporis tanta, vt sit nulli secundus, & quasi ad regnandum natus. Animo autem ac virtute, siue inter suos, siue inter hostes, vt si morem prudentium quorundam populorum sequi licet, non minus eligendus ad regnum fuerit, quam per iudicium successionis declarandus, quæ laus nequaquam vlla ex parte in Comite agnosceretur. Quare non modo & quo sed etiam libenti animo, Regem sibi diuinitus datum expectarent atque exciperent. Et alia in hanc sententiam plura, quæ tamen insitos atque impressos diu affectus, & ab iis natam opinionem non potuerunt omnino excutere. Per vniuersas tamen urbes tam libentibus auribus nuntius declarati Regis exceptus est, vt omnes fere sibi hunc inter competitores Regem optatum speratumque fuisse videri vellent. Valentia quoque vix bene obductis cicatricibus, vniuersi clausis tabernis officinisque lætitiam tot diebus celebrarunt, vt iubendi fuerint per magistratum, omissis feriis ad opera reuerti. Ferdinandus primum per publicas literas certior factus se Regem declaratum, deinde legatos ad excipendum ingredientem regnum suum delectos, & ad se iter habentes Aragoniam versus contendit. Cumque ad fines regni aduentaret, legati Aragoniæ Valentia que introgessi nonnihil Castellam obuiam Regi, ex equis delapsi sunt ac manum deosculati: Cataloniae vero intra fines substiterunt, neque ingrediente Aragoniam Rege ex equis descendebant, quorum ego neutros neque reprehendere, neque alteris præponere ausim. Nam priores illi officiosum existimarunt non excipere Regem suum, velut ex limine domus, sed prodire in viam, & obuiam progressos introducere, habitu maiore honore, quam qui patibus haberi solet. Pares enim ex equis sibi dextras porrigunt. Postiores vero magis consentaneum putarunt, non egredi in alienum, sed ex solo patrio Regem in possessionem regni admittere, neque descendere ab equis nouo exemplo, quod superioribus regibus sciebant non fuisse factitatum. Sunt enim varii mores hominum variaeque sententiae, suis quæque defensoribus tutæ atque honestæ. Rex tamen horum nulli manum portexit, sub humero sinistro admouit, præterquam Francisco Clementi episcopo Barcellonensi, qui fuerat patriarcha Hierosolymitanus, quem quia nouerat suæ partis cupidissimum fuisse, suauiatus est. Atque ita communiter legati cum ingenti ex omnibus regnis manu procerum Calatauibium, mox Cæsaraugustam deduxerunt. Vbi non multos dies est commoratus, dum pacificaret interposita sua autoritate dissidentes, neque regis existimauit munus esse, meminisse iniuriarum quas priuatus accepisset, & odiorum quæ aduersus se nonnulli gessissent. Nam qui priuato hostes extitissent, postea regi non hostes sed clientes esse, & quibus prius ipse infensus fuisset, post regium nomen, patronum, tutorem, patrem esse debere, nec præterita sed sequentia delicta cognoscere. His in cordiam reuocatis, idem de Valentiniis qui ibidem aderant, et si nonnulli saluum sibi ius esse quo semper illa natio vsa est, inter se belligandi postulabant, effecit. Nemo enim gerere inimicitias æquum sibi censebat, cum videret regem suas deposituisse, & in neutros se propensiorem ostendere, paratum & passos & inferentes iniuriam vlcisci. Est quidem hic apud illius gentis proceres mos, siue æqua siue iniqua ratione introductus, impunè inter se certamina conserendi, quo pugnaciores reddantur, si belli terror à duobus potentissimis regibus ingruat, vtrunque latus prementibus Franciæ, atque Castellæ. Sed regis potestatis fulgor quoties audet, ac iusta causa subest, gliscientia hæc simultatum certamina quasi nubila repellit & discutit. Forte iis diebus dum hæc geruntur, Alfonsus Regis primigenius, vix adolescentiam ingressus, cum islet venatum, nactus est eximia magnitudine aprum, quem, vt velocissimo equo vehebatur, præcipue vrgebat, cupiens aut solus occidere, aut primus ferire, nec procul aberat Iberus longe maximum Hispaniæ flumen, Cæsaraugustæ muros præterfluens. Huc aperit seu casu, seu vti in locum iam sibi antea notum, cursum intendit, perque ripas atque inuia se demittens, aquas ingreditur. Alfonsus à tergo instans, ac iamiam feriens, eadem tipa & semita consequitur, ac ne tam insignem prædam, hoc est tam insignem cum laude victoriam, quam in manibus habebat, amitteret, & ipse adacto equo flumen intrat, immemor quantum periculi adiret, natantemque feram natanti equo infesta vrget hasta, quasi illam posset in tam rapido fluvio capere. Hoc spectaculo Bernardus Centellia (eius cuæ commissus adolescentulus erat) examinatus, reuocare pergentem clamoribus

cum non posset, ipse quoque cum aliis nonnullis aquas ineunt, magis verentes infamiam
destituti filii regis, quam vitæ periculum. Ille inter natandum quoad poterat, ferire co-
natus, in vltiore ripam evasit, atque illinc aliquandiu persecutus, strenue occidit, &
maximi apri, & maximi fluminis viator. Rex vbi resciuit, inter cogitationem periculi, &
admirationem facti, nec indignationem nec lætitiam ostendit, nolens neque strenuita-
tem reprehendere, neque audaciam nimiam adiuuare. Hac ex indole Alfonsus futuræ
magnanimitatis specimen dedit, sicut patientia ac mansuetudinis ex eo quod egit post
ea diebus. Concesserat rex venatum, non tam ex more, quam vt Petrum ex filiis mini-
mum circiter nouem annos natum, venationibus, vt sic dicam, initiaret. Atque vbi bona
diei parte, & suos & filiorum oculos animosque multifaria venatione pavit, iussit filium
ad tenerum adhuc aprum, canis morsu retentum, sauciumque accedere, atque illum ha-
sta ex equo ferire, vt tanquam præda à se capta latus vigorem animo præsumeret. Cum
in hoc occupatus est puer, & multi cum risu hilaritateque exhortantes, vt sit, circumfun-
duntur, & vt spectaculo intersint immiscentur, indignissima res contigit. Equus cui insi-
debat Bernardus Centellia, Alfonso, vt diximus, datus custos, tanquam Achilli Phœnix,
calcem magna vi incussit adolescenti in exteriori parte genu sinistri. nesciebat ille calci-
trosum esse equum, quippe quem commodato forte eo die accepisset. Ad eum ictum
Alfonsus non exclamans, neque ingemiscens (pudebat enim à dolore vinci) tantum ad
plagam apposuit manum, & represso gemitu, dissimulare magnitudinem mali conaba-
tur: sed pallor insecutus & rigor, & quod iamiam collapsurus videbatur, dolorem ingen-
tem periculofamque plagam indicabant. Tum inter amplexus multorum qui accurre-
rant, ex equo humi depositus cum esset, pro loci opportunitate vulnus obligabatur, mul-
tisque in extremo adolescentulum esse mussitantibus, aliis circumfrementibus, aliis nun-
tiatum regi qui non nihil aberat, euntibus: fuerunt qui Bernardo suaderent vt fugam ca-
pesseret, ne aduenientis iram Regis operiretur: solus frater ne faceret, dissuasit. Fore
enim vt velut noxiū ac sceleris concium, multi sequerentur etiam Regis iniussu. Nam
quisquis fugit, alios quodammodo inuitat ad insequendum, à quibus vel retrahendus es-
set cum dedecore, vel puniendus in fuga, ob facti vltionem. Siquidem impune est pec-
casse iis, qui vt Regi gratificarentur, alios offenderunt. Rex audita re cum attonitus ac-
currisset, fremensque diceret, Vbi est qui primigenium meum mihi peremis? ille relu-
ctans dolori, vultu ac voce eretiore quam pro viribus, Nihil est, inquit, periculi pater,
nihil mali erit, solent huiusmodi contingere, equus me non homo percussit. Hæc verba
velut pro amico timentis, extenuarunt & apud patrem & apud ceteros culpæ atrocita-
tem. Quanta autem hæc fuerit animi præstantia fortitudoque declarat quod aliquot di-
ebus per extremos dolores sine villa recreatione iactatus est, desperantibus iam medicis
quin plagam sacer ignis corriperet, nisi superuenisset chirurgicus quidam Ferdinandus
Alfonsi, vir dignus, vel hac vna curatione, qui literis memoriazque mandetur. Recepta
salubritate filii, Rex Dertusa, vbi se tenebat papa, deinde Ilerda studiorum nutricula, Bar-
cellonam peruenit, ibique concilium generale prouinciaz Cataloniæ indicit. Necdum
se Regem Siciliæ appellari volebat, priusquam illius possessionem recepisset. affectabat 40
enim regnum Bernardus Caprera, nomen ac spiritus cui referens, qui ornatissimam Ge-
nuensium classem bello vicit & cepit. Huic quidem spem faciebat, quod per mortem
Martini Aragonia intestinis bellis laborabat, quod in Sicilia neminem neque potentiaz,
neque factionis, neque autoritatis maioris sciebat, adhæc quod erat prætor insulæ, quem
magistratum iusticiarum vocant. Nam Blancam Regis Nauarrensis filiam, quæ fuerat v-
xor Regis Martini filii, vt fœminam contemnebat, eamque vt spoliaret ac se augeret, au-
toritate priuatam videri volebat, quod defuncto Rege cuius partibus fungebatur, exau-
ctorata esset. Se autem cum antea, tum vero nunc esse summum magistratum, & ad quæ
spectet mode rari prouinciam. Neque vero ob id modo aduersabatur reginæ, vt primus i-
psæ ac solus magistratus esset, quo facilius regnum occuparet, sed vt illam quoque in ma-
trimonium acciperet, quo maiorem sibi autoritatem compararet, ad regium nomen as-
sumendum. Faciebat præterea spem vicinitas Ladislai, autoritasque alterius summi pon-
tificis, si plures eodem tempore possunt summi pontifices esse. Nam tunc de pontificatu
contendebant, Benedictus, Gregorius, Ioannes. Colorem autem iuris præbebat, quod
defuncta sine liberis Maria Siciliæ regina, regnum ad Martinum eius virum non potue-
rat peruenire, nec deinde ad Martinum patrem, eoque illum Regem esse debere quem
sibi Siculi ipsi delegissent. Cogitabat & aliam apud se ipsum causam, quod si Blancam in
matrimonium accepisset, vendicaret sibi ob hoc quoque regnum, quod Blanca Mariz,
vt propinquaz succederet. Siquidem Maria proneptis fuerat Regis Nauarræ ex filia, quæ
fuit

fuit prima vxor Regis Petri, vnde vxor Regis Fœderici mater eius genita erat. Ex quo intelligi licet, quod præpostere Bernardus ageret, veluti alienam à regno Siciliæ Blancam insequebatur, cuius hæreditario iure regnum sibi destinabat afferere. Hac cogitatione qua fallere alios volebat, vt mea fert opinio, tam callidus, tam vafer vir non fallebatur. Neque enim cum fugiebat, multo proximiorem Mariæ fuisse Martinum patrem, vtpote unculum, vti modo ostendi, pariter & consobrinum, cuius mater, soror Fœderici Regis fuisset, vtroque ex parente. Quod ius propinquitatis erat in Helianora regina Castelæ, cuius filius Ferdinandus eodem gradu propinquitatis contingebat hanc, quo Martinus, qui fuit vir suus vere Rex Siciliæ non modo viua vxore, sed etiam mortua, cum præfertim Siculi Regem, & ante mortem vxoris, & ea mortua agnouissent. Sed Bernardo si regno reginaque vxore potitus esset, quantulumcunque ius satis sibi fore videbatur. Hoc in loco mihi consideranti Mariam, quæ patri in regno successit, Martinum vel alterum, vel trunque, qui in ius fœminæ successor fuit, Bernardum qui tenui hæreditarii regni apud fœminam filo, velut anchora nauem spei suæ firmabat : subit admiratio de Aragonensibus, qui nolebant propinquos Regis ex fœmina in suo regno succedere, cum velint suos hoc eodem iure succedere in alieno. Itaque sic, ne alia repeatantur, Ferdinandus in regno Aragoniæ potuit succedere, quo modo Martinus in Siculo. In hoc, sicut dixi, Bernardus non fallebatur, fallebatur in eo quod multo maioris haberi debet & erroris & detrimenti. Erat ei in optatis eximia singularisque Reginæ pulchritudo, & in tam dubiis rebus atque arduis amare vacabat, aut vacare videbatur: cum potius optandum foret, illam minus speciosam esse, hoc est minus superbam ac fastidiosam, vti que viro nec iuueni nec formoso. Ea propter si propalam in matrimonium peteret, extimescebat ne respueretur, neue factum suum non satis idoneo colore tegere posset: quippe qui credi volebat, velle insulam in officio tenere, donec in Aragonia inter regnum. Constituit itaque dolo atque insidiis rem tractare, si id parum procederet, blanditiis ac promissis, ad extremum adhibere terrorem atque vim. Tenebat se per id tempus Regina in vrbe Catina, vbi arx inter primas tutæ, & mari vicina est, sed diuersabatur fere in propinquuo monasterio cum sandwichianis, quod nullarum esset quam illarum consuetudo, vel aptior viduæ fœminæ, vel ad famam honestior. Hoc in loco Bernardus eam comprehendere cum parasset, illa seu admonita à suspicantibus, seu certior facta à scientibus, in arcem furtim concessit. Quæde re Bernardus maiorem in modum dolens, non modo quod deceptus spe foret, verum etiam quod vehementi conflagraret inuidia, qui dolo in Reginam vteretur: misit ad eam qui de colloquio agerent, cupere enim se purgare inuidiam & suspicionem ab illius animo adimere. Nec abnuit Regina. Verum quia parum fidei vterque alteri haberet, conuentum est, vt illa de puppi triremis, hic de ponte, quo littori nauis iungitur, sermonem faceret. Ille post multa verba quæ ad purgationem facti attinebant, dicitur intulisse coniugii mentionem, & ad ea turbato vultu Reginam subiecisse, Hui senex scabide, nec plura his, auertensque se iussisse Raimundum Torres (is erat dominus triremis, solusque aderat) retraheret longius à terra triremim. Is protinus imperans remigibus in altum referte nauim, coegit Capreram conantem excusare præsentem orationem, cum præterita facta male purgasset, propere desilire de ponte, ne in mare cum ipso ponte decideret. Hic vero pernegabat postea se de coniugio appellasse Reginam, ideoque nec eam fastidiose respondisse: sed hanc sibi contumeliam ab inimico impositam, qui magis vt incommodaret ei quem oderat, illic triremim habuisset, quam vt Reginæ gratificaretur. Quæ dicenti non defuissent, qui crederent, et si sciebant nauem adhuc stante eo in ponte reductam fuisse, nisi quæ insecura sunt indicassent, non modo affectasse vxorem, quo factius honestiusque regno potiretur, sed etiam corpus adamasse. Erat enim vir aliqui in primis mulierosus, vt nescires Martem ne magis an Venerem coleret. Lapsus hac iterum spe, & per contumeliam elusus abiit indignans ac minabundus, se monstraturum illi quæ inconsulte ageret, quæ recusaret cum summo magistratu consilia in publicam salutem agitare, potiusque cum aliis priuatis hominibus consultaret, & seorsum haberet concilia bula, cum iam priuata esset. Itaque comparatis copiis, partim vi, partim minis, partim auctoritate ciuitates plurimas ab illius ditione ad suam transfert. Idem propediē facturus de Syracusis videbatur. Quā vrbe nō vt regiā, sed vt peculiarē, traditamq; sibi pro vita dignitate, Regina cordi habēs magisq; quā cæteras amittere verita, illuc se cōfert, accersitq; Sanciū Doris Egidii, de quo supra diximus, filiū præfectumq; classiariū, quē vulgo Almitacū vocant, quod sciebat simultates gerere cum Bernardo Caprera, vt rationem iniret, quā tam violēto viro queat obſistere. Is cum ad eā vna cum subpræfecto in arcē venisset,

Bernardus se ratus, vt dicebat, matrem cum pullis vna capturum esse, eodem accurrit cum septingentis equitibus, ac mille peditibus, arcemque prætergressus urbem inuidit, ac nemine repugnante, tum propter metum, tum propter gratiam ac factionem recipit: comitibus Sancii qua potuerunt fuga clapsis, quos Sancius in arcem admittere noluit, quod re cibaria admodum tenui vtebaritur. Vix recepta vrbe, Bernardus arcem obside-re atque oppugnare instituit, prætendens urbem quidem redigere se voluisse in suam po-testatem, quo teneret in officio, donec de iure Regis in Aragonia disquireretur: arcem vero obsidere, non tam ob Reginam quæ non nihil ab officio recederet, quam ob Sanctum capitalissimum suum, qui cum semper alias in se male cogitauit, tum maxime id tem-poris post reconciliatam gratiam arma contra se sumpsit, & aduersus præsidem consilia cum primoribus de administrando bello agitat. Est autem arx, Marchettum vocant, in iis angustiis, quæ porticos Graece dicuntur, quasi limite quodam inter continentem, vt sic dicam, & urbem pene insulam, & sic olim vocabatur, cum non vrbs, sed tertia pars urbis esset. Has angustias duo portus coarctant, maior minorque supra maiorem arx posita est, breui muro cum porta arcem portumque iungente, ab altera parte longiore muro, & si-ne porta, ad minorem portum produc-to. Ita nemo terrestri itinere urbem aut ingredi aut egredi potest, nisi per portam arcis subiectam. Eam portam cum repentina aduentu Ber-nardus occupasset, custodiri iusserat, dum urbem vel cepisset, vel desperasset, neue for-tassis re infecta, confecta hostes commodam fugam nanciscerentur. Vtraque itaque frö-te terræ occupata, arcem & ab urbe, & à continente munitionibus cingit, stationes ex-truit, præsidia disponit, oppidanis seu voluntariis seu inuitis nunquam intermisso labore adiuuantibus, ac nequa nauis à portu maiori (nam id à minori propter angustum aditum non timebatur) subuenire posset, vtraque castra ducto super aquas ponte committit, ma-chinisque erectis ac tormentis saxa iaculantibus, obcessos quotidie oppugnat, ne nocti-bus quidem ad quietem datis, & quod minime decebat amatorem (horios sit auribus) fi-mum ac peiora fimo, quæ teterimum odorem remittunt, sèpius quam saxa in arcis tecta iaciebat, nolens deesse fortunæ, vt dictabat, votis suis aspiranti. Etsi paucorum dierum cibos esse obcessis ei compertum erat, tamen nihil longius videbatur, quam vt Reginam quam cupiebat vxorem, ac tantopere amabat, & Almiracum quem nec minus oderat, & suis consiliis aduersum præcipue timebat, redigeret in suam potestatem, id est, ante- quam Rex in Aragonia constitueretur, ipse se Regem in Sicilia faceret. Huius tanta re conficiendæ & liuor & perfidia, si ei credimus, impedimento fuerunt: si cæteris, auaritia: & vt ipse arbitrör, irreligio. Siquidem laudes eius hæc duo præcipue vitia foedabant, sa-crorum contemptus, ac tenacitas. Quorum alterum numinibus, alterum hominibus in primis inuisum est. Quanquam in eo non fuerunt illæ virtutes quæ amabilem reddunt, humanitas, affabilitas, comitas, clementia, largitas, magnificentia: sed quæ venerabilem, atque interdum horrendum, seueritas, austritas, tolerantia laborum, inedia, algoris, æ-stus, vigilarum, multatio fontium ac negligentium segniumque, & his similia. Erat in eisdem castris Ioannes Moncada, frater Antonii Comitis Darnonis, cui postea in paterna hæreditate successit. Hic cæteris quidem in rebus Bernardi partes fouebat, sed in oppu-gnanda Regina dissentiens, cum verbis hominem à sententia reuocare non posset, clam armatis sociis, salutato duce, ac retinere conante, erupit è castris, nonnullis qui cæteros quo scunque possent ad similiter agendum suaderent relictis. Ad eum se in tutiora insule loca recipientem, Sanciani confluunt, itemque alii qui melius de re Catalana sentiebant, & rebus nouis Bernardi infensi erant; atque paucis diebus ex composito sub exortum au-roræ Raimundus cum sua triremi ante portum Syracusanum præsto fuit, & Ioannes Moncada cum trecentis equitibus, totidemque peditibus ligones dolabraque ferenti-bus, castra inuidit, fossas implet, vallum rescindit, præsidium deiicit, atque in ipsa castra irrumpit. Cumque vndique ad arma conclamat ac discurritur, & vt quisque primum tela ceperat, ad periculum properat: Ioannes obuios quoque ipso impetu propellens ac sternens, ad pontem peruenerat, triremi ad tumultum excitata, atque ad constitutum lo-cum festinante. Sed ii qui in vltioribus castris erant, raptim sumptis armis, cum auxili-um alteris castris ferunt, in ipso ponte Ioanni occurunt. Ibi pugna oritur, paucis ad prohibendum transitum sufficientibus: & nox, & angustia loci, & suspensa super aquas ma-china, pedestribus quam equestribus aptior, anticipitem magis atque horribiliorem pu-gnam reddebat. Ad hæc a tergo magis ac magis atrox certamen accendebat. Cum in-terim Bernardus in medio suorum volitans, alios vt arma capiant, alios vt dimicent ex-hortans, multos castigans atque increpans, nulli satis fidens, atque vbique infidias suspi-cans, omnia ipse munera obibat. Ioannes è diuerso, nunc ad primos, nunc ad medios

nunc,

nunc ad postremos recurrebat, iam eos qui ad vltiorem partem pontis obliterat, sum-
mouerat, ac multi suorum peruerterat: nec magno distabant inter se ipsi duces spatio, cum
Ioannes Bernardum agnoscit. erat enim sine galea, & linteum, sicut è cubili surrexerat,
circundatum capiti gerebat. Tunc Ioannes exclamat ad socios, vt eum solum peterent,
cuius caput linteo cernerent obuolutum. Atque ita à plurimis Bernardus petebatur, &
fortasse summum discrimen adiisset, nisi cognita re linteum abieccisset, paulumque donec
galeam caperet, declinasset atque latuisset. Ibi reuersus ad pontem prælium maiore manu
suorum iam senescens ac languidum redintegrat: & cum omnis moles belli in pontem
contrahitur, pons ipse soluitur, multosque mortales maiori quidem cum metu quam
10 cum noxa in mare exposuit, sed maiori dolore damnoque Reginæ, quam eorum qui de-
ciderunt. Quippe eo ipso tempore quo trepidata illa ad descendendum in pontem, & in-
de in triremim accingitur, pons interruptus est, atque ea præcipue parte qua descendend-
um erat. Sic enim tabulata ac trabes disiectæ atque euersæ sunt, vt quasi dedita opera ex-
itum ad euadendum in triremim interseperint. Sed patefacta porta muri ab auxiliatibus
qui in vltiora transierant, vtique adiuuantibus nauticis, & iis qui in arce erant, cæteri
per portam non fugiendo, sed se recipiendo ingressi, potiuntur vltioribus castris, in vr-
bem aut quocunque poterant plenisque Capreronis militibus qui in iis castris fuerant, fu-
gatendentibus. Cæteri aut capti sunt, aut ad veniam petendam, priusquam caperentur, se
contulerunt. Simulque Syracusani superueniunt: qui vt Bernardum iuissent, si vincen-
10 tem reperissent (nam superiores in bello adiuuare tutius est) sic meliorem nocti Reginæ
conditionem, se illi (nec mentiebantur) auxilio venisse dixerunt. Atque ita soluta obsi-
dio, recuperata vrbs, & regina sine trepidatione in nauem imposita est: Sanciusque ne
quam ansam præberet Bernardo ad reginam propter ipsorum simultates offendendam,
cum Ioanne sociisque abiit ad suam & reginæ iniuriam vlciscendam. Et dum hic atque
ille ad roborandas pro se quisque vires elaborant, legati interim è Catalonia Drepiduum
appulsi sunt, missi ad reconciliandum Bernardum cum regina & Sancio, consulendum
que regno, nequid tale in Siciliâ, quale apud eos, aut deterius accideret. Venerat autem
regina iam Panormum, tenebatque se in domo regia, quæ dicitur illorum lingua Hoste-
rium, posita super littus maris, à fronte vero ad caput ingentis plateæ & fori, qua ad mare
10 exitur, quodam aperto prospectu, nunc quantum ipsum forum ac campus est, forniciibus
in speciem muri prospectum interseipientibus, in quorum pene extremo porta est, quæ
nonnunquam vehementi Aquilone vndis alluitur. Hac in domo, tantaque in vrbe, qua
nulla populis in ea insula frequentior est, nihil sibi timebat regina, præcipue post aduen-
tum legatorum. Atqui Bernardo ea vrbs maxime opportuna insidiis, quod illic nihil ca-
ueretur, videbatur: nec domus inopportuna, quod remota à frequentia vicinorum es-
set, & legatorum aduentus securiorem & magis indiligentem redderet, & alioqui ma-
turandum erat, antequam quod suspicabatur, à legatis iuberetur. Itaque compositis in-
sidiis, omnia itinera obsidet, nequis reginam admonere, aut legati se prius adire possent.
Nulli illo triduo ab oppidis Bernardi quæ illic multa possidebat, iter Panormum versus
10 patuit: eoque Petrum Martini, qui postea fuit scriba portionis, nuntium legatorū iuben-
tium triremim quæ ad Panormum esset, primo quoque die ad se venire, duobus diebus
& dimidiato apud se retinuit in oppido Alcamo. Sed nimirum fraudis ac sceleris plærunt
que comes est aduersa fortuna. Si nuntio per eum licuisset eodem die Panormum perue-
nire, proxima nocte triremis dominus è statione soluisset: nunc ea triremis prædam è fau-
cibus lupi hiantis ac iamiam rapientis eripuit. Enim uero tertia die sub meridiem profe-
ctus, intempesta nocte Panormum furtiuo aditu ingressus est, nec tamen ciuitatem fefel-
lit. Nam ad eius aduentum, vt insolito tempore, strepitus tumultuantum excitatus est, &
clamor aliorum alios inclamantium, & vbi erat plus timoris, vociferatio aut trepidan-
tium, aut adhortantium, & necesse est maiorem videri sonum in silentio noctis. Multi
10 noinen Capretæ compellabant, non ex suis, sed ex aliis qui hominis milites agnoscebāt.
Ita notitia rei ad reginam peruenit. Illa se magis, quam vrbum inuadi intelligens, exa-
nimata è cubili proslit, domus multo magis quam vrbs muliebri metu ac lamentatio-
ne confunditur, ne spatium quidem illis vestiendi datur, cum pro sua, tum vero pro do-
minæ pudore sollicitis. Timor ipse ac festinatio satagentibus ad celeritatem impedimen-
to est. Seminudæ igitur atq; neglecto capillo è cubiculis erumpunt, & inter primas regi-
na, quod consilium ineant, quo se conferant, ignorant: & cum mature facto opus est, in i-
psa calamitatis impendentis fuga hastitant. Iamq; inter deliberationē ac festinantiam, vel-
ut ex incendio per gradus lymphatae, in viam se proiecerant, cum in mentem venit vicine
triремis. Nam arcum altera, quam longa vrbs est, distabat, altera mari adibatur. Ibi capto

consilio, & iam magis ac magis in vrbe tumultuati audiebat, succincte & repressa lamen-
 tatione, cursum capessunt, & campum quanta nunquam celeritate, & prope vno spiritu
 transmittunt, perque portam egressæ, inter quas velocissimam aiunt fuisse reginam, vt
 quæ maxime timebat, aquas ingrediuntur, subductis supra genua vestibus, nec reformi-
 dantes, aut vadi altitudinem, aut humoris algorem, cum tempus anni adhuc hybernum
 esset, sed vt quæque prima veniebat, secura maris & frigoris intrabat. Etenim fuga ipsa
 tam effusa, maiorem illis imaginationem hostis, velut in tergis earum hærentis, impresser-
 rat. Dignum profecto risu spectaculū, si cui ridere in tali casu vacaret, & alienum pericu-
 lum turpitudinemque spectare voluptati foret. Mulieres crinibus pene passis, nocturna
 tantum ueste induitæ, aut altera quoque circumuolutæ magis quam amictæ, & inter eas
 regina vt dignitate, sic celeritate præcipua, quasi pro corona currentes in stadio, diuari-
 catæque ad femora irrupere in mare pene glaciatum. Sed huius timoris, turpitudinis,
 risus, frigoris, & cuius auidus erat captiuitatis, Bernardus postea pœnas vicemque per-
 soluit. Ibant per mare non ausæ vocare nauarchum, ne ab hoste exaudirentur: pauci fa-
 muli quibus regina nonnullæque alia innitebantur, vocatum nauarchum orabant, vt pe-
 riclitantibus adesset. Statimque ille à vigilibus qui rem videbant, admonitus, obuoluta
 ueste, è cubiculo stupefactus exiliit, iussitque remigibus admouere triremim, & deiecta
 scapha reginam cæterasque tanquam è naufragio attonitas exanguesque exceptit. Cum
 hæ triremim, Bernardus in domum ingreditur, compertaque ad nauem fuga reginæ, ex-
 ecratus diem, En, inquit, tertio manus meas effugit: atque ita indignabundus ad cubicu-
 lum reginæ perrexit, intravitque. Vbi cernens cubile turbatum, quale solet ad subitum ti-
 morem relinqui: Perdicem, ait, perdidì, sed nidum teneo: protinusque depositis ve-
 stibus, vt adhuc erat tepidum subit, ac per totum se volutans, & subinde spiritum per-
 nares trahens, significabat more venatici canis ad lustrum feræ, ipso se odore delecta-
 ri. Tanta ei fuit inter maximarum rerum conatus cura amoris, tanta etiam intempe-
 rantia, vt quod in primis dissimulatum oportuit, & quod antea pernegauerat, id nunc
 detegeret atque fateretur. Sed opinor posteaquam prope iam deprensus esset, fauora-
 bile sibi apud eam ducebat, si amator videretur. Illa sequentibus diebus ad Soloentum
 deuicta est, oppidum in dextro littore Panormi positum, decem millibus passuum re-
 motum. Legati interim, quia triremis tardius opinione veniebat, terrestri itinere Pa-
 normum veniunt: quos Bernardus quotidie inani spe pascens, reginam nunc blandi-
 tiis, nunc terroribus adoriebatur, adeo vt arce Panormitana, quæ palatum dicitur, ca-
 stris circundata, Soloentum se conferret, ostentans se reginæ vt strenuum in equitan-
 do, & amari dignum: cum tamen, vt constat, robustius equitaret quam decentius, iam
 nemini pro ambiguo erat, eum & reginam coniugem, & regnum petere. legati quoque,
 caueret quid ageret, monebant. Sed ille contumaces rebellesque cohæcere, è dignitate
 sui magistratus esse respondebat, esse ex suis hostibus qui cum principibus Italiae secus
 inierint. Ita quod suum crimen erat, quo magis abesse ab eo videretur, vt sunt peruerso-
 rum hominum artes, alteri prior obiectabat. Verum tunc animus regni affectator ap-
 paruit, vbi declarato rege Ferdinando, ab incepto non destitit. Tandem Antonius Mon-
 cada cum suis, tum vero copiis Sanctii, sed vt dicebat, auspiciis reginæ, tanquam summi
 in insula magistratus, obuiam venit, ac per nuntios agit, vt à Panormitanæ arcis obsedio-
 ne discedat, quas vrbes, quæque oppida recepit, restituat, eam superiorem agnoscat. Ille
 se responsurum per se ipsum, renuntiare iubet, legatosque subsequutus, cum maiore co-
 piarum parte occurrit, cumque aliquamdiu instructa acie vterque stetisset, neutri inci-
 pere certamen, cum ambo in loco tuto essent, visum est. Paucis diebus, siue prodicione
 Vasconis cuiusdam, vt sui dictitant, siue calliditate hostis, dum partem valli qui extra mu-
 ros est, circuit, ac stationes recognoscit, improuiso hostium aduentu circumuentus est, &
 cum aliquantis per gladio se in orbem tutatus esset, captus. Itaq; qui capere reginam co-
 nabatur, qui coniugio, qui amori, qui regno acquirendo operam dabat, iam tantum dea-
 mittendis bonis, deseruitute sua, de morte cogitabat. Traditus enim in manus Sancti, du-
 etnsq; in castellum cui nomen Mota, atque ibi ab inimico in cisternam vacuam demissus
 est. Nec ita multo post ad immensam pluuiam laxatis caducis, tanquam fortuito id acci-
 disset, cum ex imperio factu esset, riui in cisternam defluebant, eamq; replebant. Bernar-
 do identidem vociferante, auxiliuimq; implorante, nemo ei domesticorū respondebat, tan-
 quam obstrepete eorum auribus pluuiia, ne audirent, & ad alium quendam locū quo im-
 ber penetraret, occupati essent, donec innatante iam lectulo, non procul à vitæ periculo
 erat. Tunc quidam veluti tunc primū audisset, ab ore cisternæ respondet, ac festinabun-
 dus domino nuntiat, qui miseranti similis. propere succurri imperauit. Educitur è pro-
 fundo

fundo lacū, obscuraque testudine Bernardus, modo Siciliæ regulus, veste, capillo, toto corpore madenti, & hoc, vt vix credibile videatur, ex pluuiā. Atque hic fuit horrendi carceris exitus, sed in locum transitus omni carcere grauiorem, et si non grauior esse videbatur, ita res ei abominanda contigit. Aliquot adulatus diebus homini à quo custodiebatur, vbi sibi factum esse familiarem benevolumque existimat, tentat pretio corrumpere, daturum se, si liberetur opera illius (vt solent qui vita periclitantur) mōtes aureos, in præsentia antequam illinc pedes efferat, mille aureos. Custos respōdet, se ea nocte deliberare velle, idque spatiū dari impetrat. Kem confessim ad Sancium defert, iubetur vt mane petenti annuat, pecuniamque in manū tradi sibi curet, cæteraque quæ agenda sint docet. Mane deliberatum sibi esse vt adiuuaret calamitosum, iurat se, vt Bernardus exco-gitarat, è fenestra turris eū per funes demissurum. Eo die pecunia per amicos clanculum affertur, per numeraturq;. Proxima nocte, de tertia vigilia summissio fune caligis cōplicatis, nulla amictus tunica demittitur, custode, vt validius conturbaret miseri consilium, urgente ad descendendum, tanquam anxius esset, ne in fuga deprehenderetur. Ille noctis pariter & timoris tenebris confusus, dum celerius quam manus ferunt, lubrico fune delabitur, adaptatis ad id retibus induit, & ritu feræ cassibus captæ, hæsit: ita vt nec sese deuicere, et si præceps casus erat, posset, nec receptus in fenestram ullus daretur. Si ferrum ad manū fuisset, mortem fortassis sibi ipsi consciasset, sed mors id loci pudenda quoque erat, atque inimico iucunda, & auditas iniuriæ aliquando vlciscendæ, contumacem vitam ad perpetienda dedecora faciebat. Nocturnum frigus, & postea solem adurentem corpus nō sensit, cum animum magis dolor vreret. Non tam è tenebris cisternæ produci in lucem optauerat, quam nunc è luce reduci in tenebras. Ita totum diem retibus inuolutus, ac plane irretitus, tanquam Mars in adulterio Veneris, ridiculum simul, ac miserandum plurimis spectaculum fuit. Cuius turpitudini hic quoq; cumulus accessit, vt cum ad transitum notorum atq; honestorum virorum faciem vellet auertere, prohiberetur, ne illis posteriora ostenderet: nec quod cibo ac potu caruerit eo die doluit, sed quod ea quæ nisi remotis arbitris decore non fiunt, præsentibus arbitris facere non licuit. Receptus vesperi eodem vnde fugerat, si fugisse est è carcere in laqueum incidere, aliis quoq; ludibriis non caruit: donec rege Ferdinando poscente per legatum suum vincitus productus est, ac legato traditus, à quo solutus ad regem protinus in Cataloniā Barcellonamq; se contulit, & in pristino apud illum honore habitus est. Hunc exitum habuit conatus occupandæ Siciliæ Bernardi Caprerae. Cui si res prospere cessisset, haud minus inter Hispanos Italicosq; bellū excitasset, quam olim pro eadem insula inter Pœnos atq; Romanos, aut Athenienses Lacedæmoniosq; exarsit. Recepta itaq; insula, rex Ferdinandus Siciliæ quoque regem se nominari voluit. quod antea noluisse, haud in postrema equidem magnanimitatis parte posuerim. Nam quas res nec possidemus, nec possidere contendimus, eas non belle, nec generose titulotenus vendicamus. Quas vbi adipisci contingit, tunc erectus atque sublimis animus, facti sui & apud se & apud alios percipit uberrimum fructum.

LAURENTII VALLÆ DE REBUS A FERDINANDO ARAGO- NIÆ REGE GESTIS LIBER III.

INTER competitores Caprera et si non fuit numeratus, tamen numerari potest in uno duntaxat regno. Non enim minus est petere regnū bello, quam iudicio. In quo fortunam Ferdinando, sicut in cæteris, fuisse propitiam cognoscimus, quod Caprera victus, non viator fuit: haud tamen ex competitoribus aut primus aut postremus fuit, quem Ferdinandus ad genua sua procumbentem viderit, sed secundus. Si quidem primas partes, vt vir integer ac paci consulens, cum summa omnium laudatione præsumpsérat Dux Gandiae. Nam quod Comes exemplum Ducis non imitaretur, amici excusabant morbum, in quem incidisse credibile erat, tum propter mœrorem frustratæ spei, tum quod se, quasi lucem inuisam haberet, assidue intra cubiculum tenebat, vbi per speciem mœroris ac morbi consilia coquebat. Quod Catalani suspicentes, veriti nequid ille rerum nouarum moliretur, consulendum & publicæ quieti & priuatæ hominis dignitati ac saluti putauerunt. Cuius vicem alioqui dolebant, quod

infinitos sumptus fecisset, nec pro dignitate in posterum posset viuere, nisi ad dissoluendum æs alienum, & ad repigneranda oppida adiuuaretur. Hanc & quam atque humanam causam existimantes, ex communi Catalanorum voluntate primores Barcellonensium regem adeunt, orantque ut olim competitoris sui conditionis misereatur, non eum contra regem, sed pro se omni conatu pugnasse, esse regiæ munificentia nobilissimum virum, quem non culpa, sed casus, aut potius virtus affixerit, & pecunia subleuare, & honore augere, & alia in hanc sententiam. In quibus faciliores aures regis quam Comitis, ut contumax in agnoscendo rege non esset, habuerunt. Miserant enim ad eum quoque legatos. Tandem grauibus amicorum consiliis obtemperans, dimisit ad regem treis legatos, Raimundum Perilos, Franciscum è Villanova, & Dalmaum Cicereram, qui pro absente iuriandum offerrent de fide regi præstanta. Quibus vicissim rex spopondit, se habiturum in eo honore Comitem, ut medius inter regios filios federet, primitus ac secundo præcedentibus, magistro sancti Iacobi, & magistro Calatravæ, Petro. que eum sequentibus: indulta quam in primis poposcerat licentia, ut si nunquam in conspectum regis veniret, fraudi non esset. Ad hæc luiturum æs alienum quod ille contraxerat, & oppida quæ oppignerauerat, adiecturumque in compensationem sumptuum quos fecisset, sexaginta millia aureorum, neconon alia & ornamenta & adiumenta. Parum constat, an integra fide Comes Ferdinandum regem agnouerit, promissaque admouerit, an tempus extrahi voluerit, dum rei agendæ adesset occasio. Nam neque villos honos satis se dignus videbatur, qui regnum animo conceperat, & hæc pecunia nihil esse ad illam quam erogauerat, quæ tanta fuit, ut eam nemo vñquam putasset tam cito faciendis sumptibus fuisse perituram. Habuerat ille à patre relicta scrinia aureis argenteisque pro regionum ditieritate numismatis referta: & quod fandū vix cognitum est, malleo cuneata, idque non avaritiæ modo, sed lusus ac contumeliaz gratia. Hospites enim qui permulti ad eum familiariter diuertebant, sciscitabatur cuiusnam generis pecunia indigerent. Respondentes eius generis, ut in quam quisque prouinciam iter haberet, adducebat ad scrinia, & quantum vellent, capere iubebat, frustraque conantes capere deridebat, & hos sibi de amicis iocos comparabat, nouo genere dissimulandæ avaritiæ, iactandarumque opum: quod haud ab re diuinitus esset castigandum. Successitque filius qui breui exinanitis scriniis obæratus vitieret, & ex iis nihil sibi nisi curas mœroresque contraxerit, & ad extremam quoque perniciem. Verum dum ita transactum esset inter regem & Comitem, iamq; concilium fieri coepit, Fœdericus puer qui & ipse fuerat cōpetitor, idemq; Comes Lunæ, vrbē ingressus est, eo apparatu, ut vix elegantiori Martinum patrem, aut Martinum auum fuerit aditus. Trecentos enim equites ad numerum arcium quibus singulos præfecerat, ducebat, & quod inuidiosius est, vexillum permixtis Aragoniæ ac Siciliæ signis, & ad regii vexilli magnitudinem, sericis quoque fimbriis Valentino artificio adornantibus. Hunc in modum per medium vrbem splendido velatus sagulo, lente ac triumphantis ritu equis euntibus ferebatur, quacunque transibat maribus ei fœminisque bona precantibus: nonnullis illachrymantibus, vtroque miserantibus desiderio parentum regum, nonnullis etiam dicentibus: Hic erat, hic esse debebat, hic vtinam foret rex. Ille apparatus pompa apud mentes eorum, atque illatas puerilis fauorem conciliabat. Res leuis atque inanis, perinde atque illa facerent ad promerendam regiam dignitatem. Sed vulgus ut ex imperitis atque inconsultis plarisque constat, sic imperite plarunque iudicat & inconsulte, ut definamus mirari, si quid quod diuinitus accidat, mirandum est, quod sœpe nos Deus plecit nescientes quid petamus. Præsentibus nunquam contenti sumus, absentia ducimus potiora, eisdem vbi potius sumus, diuersa desideramus. Hunc si auus instituisset hæredē, causarentur se pro rege puerum sortitos, ut tutorum plurium non principis vnius arbitrio seruendum sit, eumq; testis legibus illegitimum, matre Sicula, nec ea regis concubina, sed vulgarissimo scorto, ne incredibile sit esse suppositum. Nec intelligebant se confidare his vocibus inuidiam pueri, sua alioqui sponte sibi inuidiam conflanti, eo fastu apud regem, cui ut in recenti regno, necesse erat omnia esse suspecta. Verum non puerū (quid enim delinquere puer potest?) seuerus censor castiget, sed magistros atque autores, qui dum populis ostentare regii pueri excellentiam volunt, principi prodiderūt, cui nihil & que inuisum est, ac munus suum honoremq; ab altero vlla ratione usurpari. Neque id ad leniendam insolentiam fuit, quod filius regis defuncti fuisset, quod præsentis propinquus esset, quod summo quoque pontifici affinis & charus. Nemo enim sic alieno honore gaudet, ut illo iacturam sui facere velit. Ideoq; melius cum pueri actum esset, si cætera sic summisse gessisset, vti psam regis adorationē. Nam vbi ad ianuā regiæ peruenit, ex equo delapsus, ante ipsam i-

nuam

nuam genu posuit, iterum ad aulæ hostium, tertio ad fores conclavis in quo rex eum excepturus sedebat, postremo ad pedes regis. Cui rex assurgens dexteram porrexit, eumque amplexatum exosculatumq; ori suo admouit, osculumque mutuum dedit. Deinde percunctatur, quid ita sero venisset. Ille, quod in apparando comitatu tēpus triuisset, respondet. Nec multis verbis vltro citroq; habitis, iubet vt apud primigenium cœnaturus maneat. Ille inuitatum à propinquis fœminis in domum aui se esse, ac promisiſſe ait: cum idem postridie excusasset, tertio die apud primigenium laute acceptus est. Cumq; secundum prandium omnes pueri regi præsto fuissent, rex sermonem intulit de sumptu domestico, quæſiuitque à puerō, quid ita magnos sumptus faceret in tanto comitatū alendo. Ille 10 vt puer respondet, nullum ob id se facere sumptum, sed eos pro se vnumquemque, cum sit singularum artium magistratus. tot enim, inquit, habeo oppida castellaq;. Admiratus rex tum tantam pueri potentiam, tum suas, vt regis, tenues opes: Tu vero, inquit, fœliciter, honeste, atque ipso rege regalius, cæterique tui ordinis quibus sua iura constant, quorum nemo non ex suis oppidis plus multo percipit quam rex proportione ex suis, vt haud dubie vctigalia nostra ad nihilum redacta sint, idq; tum negligentia regum, tum fraude ac perfidia subditorum. Olim Comes Barcellonæ percipiebat ex Catalonia librarum quadringena millia, nunc piget ac pudet, quantum percipimus, dicere, pene precario regnamus. Nec mihi in dubio est nostram autoritatem apud alios reges non satis amplam haberi, & quodammodo contemni, cum auxilia bellorum aliarumque rerum magnarum à 20 populis nostris corrogare habeamus, deque eorum arbitrio pendeamus. Certe cum paternum regnum, & hoc inuicem considero, illic regnum videtur, hic procuratio esse: & postea aiunt præter cæteras gentes, Catalani se fideles esse in regem. Evidē nolim quicquam detractum de laude meorum populorum, sed vtinam verius quam gloriosius dicent. Nam si recte æstimemus, sibi fideliores esse quam regi, reperientur. non dico quia non est causa cur rebellent, vt sit apud illos qui onera ab regibus imposita ferre nequeunt, veluti decem tribus Israel quæ à Salomone descivérūt, & alii multi, & hodie in Italia præcipue, sed quia regem suum patrimonio exuunt, quod nulli alii populi faciunt, vt in hoc sint, pace Catalanorum dictum sit, fideliores appellandi. Atque si qui rebellent, ideo rebellant, vt ius suum retineant: hi vero idcirco à rebellando abstinent, vt ius regium præripiant. At enim aiunt se ab regibus illa coemisse: taceo quantum fraude interceptum est. Quis ignorat nunquam reges ea vendituros fuisse, nisi pecunia ad necessitates indiguisserint, nec aliter à populis auxilia impetrare potuissent. En fides in principem admiranda, non habent aurum quo illius necessitates subleuent, habent quo dignitatem exhaustant. Et ego de bonitate atque humanitate populorum loquor, qui non vetiti sed sponte autoritatem regiam nec imminuerent, nec patarentur imminui. Nunc etiam vetantur lege, in quam iurauerunt, qua sanctum est, nequid regiliceat de patrimonio alienare, & si quis ab eo quippiā vel emerit, vel pignori acceperit, eum continuo præditionis crīmē incurrit, vocarique apud Aragonenses traditorem, apud Catalanos baram. Verum nisi proposatum animi mei præripiat mors, regni decus profligatum pessundatumque instaurabo atque restituam: nec desinam dum ostendam, absit inuidia dicto, non minorem regio nomini per me quam mihi per regium nomen obuenisse dignitatem. Quid enim attinet externa comparare, si interna non reparas: & alios redigere in seruitutem, si domum tuam non asseras in libertatem? Ego pro ampliando filii fratri regno bella gessi, pro afferendo meo ipsius regnior ero? Sed nondum rescindendi viceris tempus est, vt nuper Cæsarau-gustæ cognoscere licuit, cum in vctigali aduectitii vni tam acres, vt aiunt, publicæ libertatis exhibuere se defensores. Experiāt apertius vbi eorum tam celebrata in regem fides, vbi bonitas, vbi iustitia? Est quidem optandum, vt quod postulamus, non grauentur: si minus, & asperis & mollibus medicamentis vtemur. Certūq; est mihi, si ius meum neque extorquerè, neq; impetrare potero, paterni regni pecunia redimere, vt nō imbecillior sim ego regni propugnator, quam cæteri oppugnatores. Hæc inter domesticos atq; intimos locutus, vbi in alios sermones diuertisset, iubet Fœdericum, vt vexillum illud quod tulerat, afferri mandet. Nam cupere alterum simile fieri sibi, quod exquisito quodam modo elaboratum esset. Ille protinus late atq; hilariter afferri imperat, nihil vitii subesse suspicans. Allatum rex contemplans, laudare artificium, laudare materiam, dicere non aliud sibi velle. Deniq; accersito vexillario qui simile conficeret, impetrat à puerō facili ac volente accommodari ad exemplar imitandum. Opifex vt erat iussus, eo exemplo vexillum fecit, sed transuersa fascia coloris Veneti, quæ indicaret, consueto apud magnas familiæ more, illegitimis natales. Rex id ad se postea perlatum, tradi Fœderico præcepit, & quidē cum elogio, quod illud Ferdinandō, hoc Fœderico dignum esset. Sed edictus puer

à suis, fasciam illam ignominiae esse argumentum, nunquam postea nisi album gesit, & reue vexillum: haud clam testatus, ægro se ferre animo, regis castigationem & contumaciam aduersus summum imperium, vel præsumens vel detegens. quasi vero tolerandum id regi fuerit, quempiam sibi regios honores vendicare, & eum præsentim qui videri poterat hoc facto testari, ad se regni spectare successionem. Cæca omnino res est ambitio, & præposterior virtutis plerumque consiliis. Nostram dignitatem anxie tuemur, retinere que ad vnguem, ut dicitur, volumus: alios, ne dicam tanto superiores, suam retinere non patimur, atque dedignamur. Ego Ferdinandum sicubi vñquam, in hoc certe loco regem egisse confirmo, magistris pueri qui peruerse docerent, magis quam pueri reprehensi. Qui si sapuissent, non vltiori contumacia iram regis irritassent, nec animum tenerum atq; obnoxium vanis opinionibus imbuissent. Ergo qui ex nimio fastu populi studia plausque captauerat, ab ipso censore plausibus studiisque spoliatus est, nemoq; non, præcipue prudentum ac bonorum, censuram probauit atq; laudauit. Paucis diebus dum hæc gesta sunt, alia censura rex vsus est aduersus Comitem Vrgellensem, quam nonnulli asperiorem aliquanto fuisse volunt. Sed vt ita sit, profecto tantula res non impulisset animum ad rebellionem, nisi ægrotum atque corruptum. Habebat hic odio capitali Ioannem Raimundum Comitem Cardonæ: occulte quidem, quod cum iureiterando se deuouisset, neminem alium se habiturum pro rege quam Comitem Vrgellensem, tamen iuriurandum rescidisset: propalam autem cum alia multa, tum quod castella nonnulla occupasset, quæ Comitis Vrgellensis essent. Ea de re feciale, quem Araldum vocant, Barcellonam mittit, indutum veste, pictas conscriptasque habente prodiciones inimici, qui vniuersam vrbem perequitans passim, ut quosq; honestissimos haberet obuios percunctaretur, unquid Ioannem Raimundum Cardonæ Comitem nossent. Respondentibusq; se nosse, oraret primum inspiccerent, perlegerentque quæ ipse ferret, deinde renuntiarent homini, se vocari verbis Iacobi Comitis Vrgelli ad singulare certamen, rege cum cæteris principibus certamini præcessuris, & alia huiusmodi ludibria. Quæcum facialis exequetur, fremere multi, alii gaudere, alii dolere, prout quisque animo affectus erat, tota deniq; ciuitas mota rei nouitate, omnis sexus ætatis, conditionis, nihil aliud loqui ac querere, & regis expectare iudicium. Ille vbi rem rescivit, iubet Araldū comprehendendi, denudariq; & quacunq; transisset pictus inscriptusq; eadem vrbis parte virgis cædi, ipsum corpus pro veste pingentibus atq; scribentibus, talesq; remitti ad herum, siue rei indignitate motus quod se præsente tantum licentiæ temeritati daretur, pessimo in posterum exemplo, siue quod iniuriam Comitis Cardonæ mallet vltam poena leuissimi hominis, quam bellū inter duos proceres excitari, siue nollet, si forte ad certamen venirent, præsidere, cum eo quod hunc proditionis, id est iuriurandi non seruati arguere videri poterat adhuc refidere regios spiritus in pectore arguentis. Id ego etsi rei militaris periti quidam negent fuisse regi facere, quia iure gentium sancti sunt feiales, tamen iure riteq; fecisse existimo. Non fecialium numero hi homines habendi sunt, qui pudore neglecto & alieno & suo, non certamen indicunt, sed ignominia afficiunt propter quam iure certamina committuntur. Verecunda debet actio esse iure prouocantis, vel ob hoc, ne iniuria prouocare videatur. Hanc contumeliam sui nuntii plus quā ægri animo tulisse dicitur Iacobus, non ælmans quanto ægrius ferēda fuit ea quam ipse faciebat. Sed in affecto corpore atq; languido, exigua offensa magno momento est ad letiferum languorē. Quanquam haud scio, an hunc colorem apud homines quæsierit ad rebellandum. Enimuero faciebat ei animos Henricus regis Angliæ filius, vir iam tum bello singularis, qui nuper in Galliam intestino bello laborantem transferat, auxilio futurus partib. Comitis Aurelianii. Itaq; seu iam antea cum illo composuerat, seu nunc primum composuit, Ilerdam duodecim millibus passuum à Ballagerio distante, improviso aduentu constituit noctu occupare, corruptis è plebe quibusdam, qui portam adulterinis clauibus aperirent. Fert autem ea porta ad Ballagerium, ab eoq; ut mos in plœrisq; vrbibus est, nomen accepit. Dabat etiam proditioni opportunitatem, quod ea pars vrbis ædificiis sane infrequens est. Neque vero magna in potiendare dimicatio proponebatur, cum plurimas clientelas, multos ex nobilitate beneficiarios, non paucos è plebe obæratos haberet. Itaque constituta nocte cum duobus millibus peditum ex dimidio leuiter armatorum aduenit, certos hortos, ut sunt ibi fere parietibus horti circundati, adulterinis quoque clauibus apertos intrat, illinc missis qui proditores in muris stantes aduentus sui certiores faciant. Porta referatur ac longo ordine succeditur, & iam quadringentorum numerum, qui ingressi fuerunt, expleuerant: cum interim res incredibilis mirandæque nouitatis contigit, & quæ numen aduersum intercessisse testetur. Qualia quoties olim cōtingebant, Deum ipsum è cælo delaplum esse poete finge-

ingebant. Tubicen quidam qui haud procul ab ea porta habitabat, loco parum celebri, quo licentius caneret, forte ea ipsa hora surrexerat eius rei gratia: qua solent qui sèpius bibunt, quod genus est in primis tibicinum. Utque sunt leues atque improbi, per noctem inflare tubam cœpit, ita ut erat nudus (nam messis iam instabat) & socium qui in arce excubabat prouocare. Ille nihil moratus, ne probior sodale foret, prouocanti respondet. Dumque ad huius cantum prouocator subinde requiescit, sentit è vicino tumultuari, & discutiare armatos. Enim uero extimuerant qui erant introgressi, ne res deprehensa esset, & inconsulte atque cum strepitu ad portam se recipiebant, volentes proprius à suis quam ab oppidanis abesse. Nox, & sceleris conscientia, & timor si agnoscerentur, & fortuna ut videbatur aduersa, debilitabat animos. Re noua perturbatur tubicē, in locum unde commodius prospici poterat porta, conuolat, eernitque armatos, non tantum audit, & luna pernox erat. Animaduertens itaque urbem suam, nisi iamiam succurratur, ab hoste captiuū iri, ac fortasse direptum: non ad ensem, lanceam, clypeumque, sed ad utiliora, ut in illo casu, arma, tubam recurrit, atque eum sonum quo populus exercitusve ad arma conclamat, inflavit, eo quidem audacius quod sciret socium, eumque ex magis celebriloco ciuitatem excitaturum, prout factum est. Ad horum amborum terribilem sonum ciues con clamant, punctoque temporis in vias procurrunt. Dalmaus quoque Murus citato agmine scholasticoruī, cum multis luminibus de vertice urbis in forum venit, ciuibusq; se iungit, & facto cuncti globo ad portam feruntur, sonum clangentis sine intermissione tubæ sequentes. Nemo fere llerdensium est, ac pene in omni Catalonia, quin propter intestinas etiam priuatorum discordias, arma domi habeat, saltem gladium, lanceam, pugionem, clypeum: nec domi modo, sed ad latuū fere, atque in manu. Si quidem in concilia de communi re consulturis, & in templo oraturis, arma portare vitio non datur. Horum impetum non ausi sustinere qui introierant, repelluntur, cum interim Comes audito tumultu, rapto cætero agmine aduolat, & quia dolus improspere cesserat, viconatur irrumperē, cumque aliquandiu tentasset, frustra fuit. Tandem oratione blanda amicam ciuitatem appellans, ac merita commemorans, & plura pollicens, responsum accepit, se nihil nisi ut ab llerdensibus capi possit; loquendo manendove proficere. Sic ille veritus abiit, atque præ impotenti ira messes llerdensium ferro ignique corrupit, ex quo acerbissimum in se ciuitatis illius odium concitauit, credique meruit idem in urbe si potitus esset, fuisse facturus. De proditoribus autem conuictis confessisque supplicium sumptum est. Proditione infelicititer tentata Comes eo frequentiores nuntios missitare ad principes confederatos, vt quamprimum auxilia mittantur, occupandum esse, antequam Rex comparet exercitum. Et iam hæc res animos omnium non modo Catalano rum, verum etiam finitimarum erexerat. Erant enim & ipsi finitimi sua sponte cupidi rerum nouarum, & ingentibus promissis à Comite pellecti. Et confitendum certe est plurimum in hac re egisse fortunam, quæ & Comitis imprudentiam, & Regis virtutem redideret insigniorem. Per idem enim tempus defunctorum Angliae Regem, filius ad capessendum regnum in patriam nauigauit, relictis quibusdam præfectis qui magis promitterent magnum quam mediocre in præsentia auxilium ferrent. Eade re finitimarum principum ardor atque audacia refrixit, præsertim cum tantam è diuerso diligentiam Regis, tantum consilium, tantas vires animaduenterent. Iam primum Rex comperta defectione Comitis, bellum cæteris rebus præuerendum sibi existimauit, sed non ita ut concilium tanta cura coactum dissolu eret, aut suspensum teneret. Verum cum & belli administratio, & pacis consultatio præsentiam suam desiderarent, maluit bellum sibi desumere, vbi non cū suis, sed cum hoste res esset, consultationi, vbi minus periculi versabatur, vicarium præficere Alfonsum filium. Huic adolescentulo ad tam rem magis deerat autoritas dignitatis, quam animi prudentia. Ideoq; Ioanne Ferrandis, & Guilielmo Moncada ad conciliū referentibus, vniuersi Alfonsum, quibus solennib. petierat, pro primogenio acceperunt, id quod nunquā Catalani alteri Regis filio dūtaxat vniuersi & publico consilio præstiterant. Rex interea dum maiores copias parat, Franciscum Herillū cum mediocri manu ad coercendos Comitis conatus præire iubet, simulque ad extrema regni, qua transituros hostes suspicabatur, expeditos milites dimittit, finitimos principes monet ac territat, ne quibus peregrinis copiis in regnum suum præbeant transitum. Tanta autem fuit diligentia in mittendis nuntiis, quo cuncta explorata, prouisa, cauta forent, ut eodem die responsa acciperet ab his qui longius sexaginta millibus passuum abessent, non ignarus antiquius esse atque præstantius arcere bella, quam gerere. Postquam de transitu hostium intercludendo, retinendisque in officio finitimis, curam egit, post medium astatim, iam cæteris oppidis quæ Comitis erant, vel in fidem acceptis, vel in ditionem

redactis, Ballagerium, vbi se hostis tenebat, castra mouit, oppidum situ & opere & arce tutissimum, præter oppidanos defensum mille & quingentis peditibus, trecentisque equitibus. Qui quotidie nunc hac nunc illa porta egressi, cum obsidentibus, vel castramentibus, vel caltrametatis, certamina conserebant. Erant Regis copiae ex Castellanis Catalanisque promiscuae, ad octo millia peditum, quatuor equitum. Sed acrius certamen erat machinarum, præcipueque bombardarum, quæ utrinque prorumpebant: plurimam tamen è castris ac maiorum, quarum nonnullæ erant, & vastitate & violentia mirabiles. Atque quo crepus horribilior, & ictus perniciosior foret, omnes non eodem momento, sed pene puncto temporis laxabantur, ad quarum impulsum puluereus ex discussis parietibus fumus diu in arce visebatur. Sunt qui vxorem Comitis per nuntium orasse Regem affirment, prægnanti parceret: nam fœtum ex matris pauore ad sonum percussorum parietum atque tectorum in utero subuerti, cum amborum vitæ periculo: Regemque respondisse, eligeret quam vellet arcis partem, in ea tuto mansuram, prohibitis illuc tendere ictus, qui machinas temperarent, sed ea lege, ne cum viro communiter veteretur: nec illam voluisse accipere huiusmodi conditionem, velut impiam ac turpem, sibi omni periculo acerborem. Non enim in periculis modo, sed in morte quoque viri nolle ab eo separari, nec quicquam sibi iucundum, nisi cum illo commune, cuius incolumitatem cuperet sua calamitate depacisci. Sunt qui dicant eos qui in muris erant, quotidie probra iecisse in Ferdinandum, nec eum, sed Iacobum Regem appellasse. Sunt qui velint per quosdam induciarum dies, in Regem transeuntem è muris multa missilia coniecta, duobusque confossum telis, cui insidebat equum concidisse, Rege supra collapso, illosque quasi victores exclamasse, extinctum Ferdinandum, Regemque Iacobum regnatum, nec ullis præterea verborum abstinuisse contumeliis. Ob quod tantum periculum, tantamque iniuriam, simulque ob violatam fidem, iurasse Regem, Iacobum non impune esse laturum: statimque cunctas incendi machinas iussisse, ut ne nocturnæ quidem quieti parceret, licet purgante Comite per uxorem: quippe haec ad Regem commearere & tractare inter utrosque cœperat. Nam postquam Comes ex multis qui ab Anglicis præfectis mittebantur internunciis, unum aut alterum ægre peruenisse ad se cognouit, eosque fortius quam tutius hortantes, non putauit extremum sibi tempus, et si pene extreum erat, expectandum, ne nullus relinqueretur apud hostem venia locus: cum præfertim in dies singulos, per causam dimicandi, sui milites ad Regem transirent, tum eodem metu comamoti, quo Comes ipse, tum quia stipendia, quod primum apud militum animos est, sponsionibus ac precibus magis quam rebus soluerentur. Multum etiam spei in uxore, quod matertera Regis esset, ponebat: multum in proceribus, & inter primos in duce Gandiae, qui in castris aderat, apud Regem summæ & autoritatis & gratiae, qui pro amico & propinquo, & nobilissimo viro officiosè laborabat, ac mutua mandata perferebat. Sed Rex intelligebat illum frustratum omni spe ad deditonem descendere, & aliquid quantum in alienis precibus, nihil in sua causa confidere, quod urbem nocturnis infidiliis occupare voluisset, quod finitos principes ad arma solicitasset, quod externos Reges, quantum in ipso esset, in Catalonia adduxisset, quod denique se Regem facere, electoque Ferdinand, constituisset, præter ea quæ ex Ballagerio, vel factis, vel dictis iniuriolose fecisset. Nec immerito iram Regis summopere verebatur, maioremque esse culpam, quam quæ facilem veniam, aut leuem poenam mereretur. Impetratum tamen est, ut nihil in vita, membrorumque iacturæ pateretur, cætera & ipsum conspectum, & ipsam diem impetraturum amici assuerabant. Sunt qui addant, Regem promisisse materteræ, proceribusque orantibus, nec diutinam captiuitatem fore, nec extra regnum. id magis vulgatum est, quam constat, & ab Rege magis non denegatum poscentibus, quam promissum. Progreditur igitur Iacobus è natali oppido, suaque domo, sed iam non sua, qui suus iam ipsius non esset, equo sedens, mœsto magis quam demissio vultu, coma ac barba flava, gladio, qualis heroum mos fuit, pendent ex humero, oculis omnium in eum intentis ac fortunam miserantibus. Cui iam portam egredienti obuiam fit miles quidam, nondum obducta ingentis cicatrice vulneris quod pro illo pugnans in capite acceperat: & ut erat ipso corporis habitu miserabilis, opem orat, ne militem suum plagæ morbo, fami, nuditati, tanquam immanibus feris conficiendum, relinquat. Huic Comes, Tu quidem recte, sed ego te miserabilior, qui non modo nihil quod dem, sed ne me quidem metipsum habeo. Quid loquor? agedum miles, habeo quod dem. gerebat loricam hamis contextam, non consertam, non parvæ pecuniæ, eam protinus sibi detractam militi dedit, cunctis qui aderant, talem fortunam in tanta virtute prope deflentibus. Vbi ad conspectum Regis venit, in angusta sedentis sella, extra iactum lapidis ex equo descendit, genuq; posuit, pauplumq;

hūm̄q; progressus, itērum adorauit, tertio non procul ab Rege cum adorasset, nec Rex aſ-
 surget, nullumq; dum signum clementiæ in vultu ostenderet, erumpabant omnib. la-
 chrymæ gemitusque ac singultus, cogitantibus, quæ ē spe, & in quam recidisset, cui genua
 submittenti ad pedes sedentis in regia sella paulo ante competitoris, in tanto procerum a-
 micorum cœtu, ne salutationem quidem aut clemétem vultum impetrare fas esset: cum
 p̄ſertim regis Petri filia, eademque mater tera ad pedes sororis filii aduoluta, muliebri-
 bus precibus veniam marito precaretur. Rex commotos aſſistentium ac flentes vultus in-
 tuens, Prospexisset ſibi, inquit, mature, & non ad vltimum obſtinationis perueniſſet, nūc
 p̄ſtquam venenum in nos omne consumpsit, ad clementiam venit, voluntas tamen eadē
 10 perstat quæ fuit. Cui detur iterum grassandi materia, iam denuo de noſtra pernicie cogi-
 tabit. Necessitas hoc ab eo officium expressit. Volūtati igitur quæ nulla neq; erga nos, ne-
 que ad bonum & æquum eſt, nihil debemus: neceſſitati, quæ promiſimus, abūde p̄ſta-
 bimus. Vlteriorib. autem beneficiis nos ita ſubito in eum vti, mores ſui diſſuadent, ne no-
 bis iterum officiat bene feciſſe, & anguē gelu enectum noſtro lare refocillaffe. Meis tamē
 morib. quam iſtius potius vtor, & mihi quam ipſi ero ſimilior. Tu vero Aluare ducito te-
 cum hūc in aliquod pro ſua dignitate tentoriū. Hic finis conatuſ Iacobi Aragonii fuit, vt
 minus deformis quam Bernardi Caprera, ita multo miserabilior: quippe ex tanta regni
 aſſequendi ſpe, ex maximis opib. ex ingenti populariū atq; optimatum fauore, vulgata iā
 fama velut Regis futuri, in perpetuū carcerē ergaſtulum ve cōiecti. cuius calamitatis hæc
 20 quoq; accessio fuit, vt quem adire nunquā, etiā ſi ab eo cum ſummo honore excipiendus
 eſſet, cōſtituerat, Regem videre nō ſuſtinens, eum victus captiuuſq;, & quod extreſum
 malorum eſt, omnis ſpei vacuus adorauerit. Tertio mense quā obſideri Ballagerium cō-
 ptū eſt, & oppidum & dominus in deditiōne veneſunt. Finiſq; bellis atq; certaminib. in
 omnibus quæ Regi Aragonum parent regionib. impoſitus eſt. Eadem in caſtra maiorum
 in Italia rerum allatus eſt nuncius: Ladislauum Regem Neapoli vel febri, vel veneno pau-
 ciſ dieb. quā illuc láguens applicuerat, demortuum eſſe. Is ſimul ac Ferdinādum audierat
 declaratum Regē, legatos miserat, qui gratularentur: p̄tēterea de fœderatione cōtra Lu-
 douicum cōmunem amborum hostem agerēt. Ferdinādus vbi gratias egit, quod legatos
 ad gratulādum ille miſiſſet, quod ad fœderationem attinet, amicitiā, inquit, Ladislai cha-
 rā quidem ſibi eſſe & expetendā, fœderationem vero aduersus Ludouicum inire, non eſ-
 ſe luę æquitatis. Filium illius cōpetitorem ſuūm fuisse, hostem eum nunquā: nunc ſublata
 aſimulatione, agnoscere ſe vtrumq; & amicum & propinquum. Quorum pater consobri-
 na vir eſſet, filius ex consobrina eadem natus, promptioremq; ſe eſſe ad amicitiam inter
 ambos Reges conciliandam, quam ad inimicitiam fouendam. Suadere vtrisq; ne toties
 in fortunarum vitæq; veniant aleam, ne vrbes ſuas abſumi euertiq; velint potius, quam a-
 liquantulum de ſuo iure decedere. Nihil pace iucūdius, nihil bello eſſe tristius. Quod au-
 tem ad ſe ac regnum ſuūm pertineat, magis ē comodo ſuo fore, vtrumq; Regem, aut v-
 trumq; habere aut facere ſibi amicum, neutri fauēdo, hoc ipſo, vt neuter offendatur, quā
 alteri fauendo, alterum initicium. De Ladislai virtutibus vitiisque dicerem, niſi res lon-
 gius à proposito nō retraheret. Huic ſucceddit Ioanna fato quodam intra breue ſpatium,
 tot regnis ad fœminas reſidentibus, quemadmodum paulo poſt contigit de regno Na-
 uarræ, quod poſtea Ioannes Ferdinandi ſecundus ab Alfonſo filius, matrimonii iure ſor-
 titus eſt, cum Neapolitanum ſperauifſet. Nam de coniugio cum Ioanna regina conuene-
 rat, ad quam cum ſe deferret maritus, in ipſo itinere vxorem nupsiſſe accepit Iacobus Co-
 miti Marciæ, viro in primis strenuo, & qui ſub Ferdinandō in vtraq; expeditione aduer-
 ſus Granatenses militauerat. Huius facti culpam nescio an ipſi adſcribā, aut ſuasoribus qui
 in Gallicaniam quam in Hispanam gentem propenſiores, Gallicum virum p̄æligere co-
 egerunt, infausto atque infelici euentu, tum ipſis coniugibus, tum reip. Neapolitanorum.
 Hunc ſemper exitum habent quæ ab infandis illicitisque incepereunt. Verum id me ma-
 40 xime angit atque afficit, quod iram diuinam aut non intelligunt homines, aut poſt inter-
 ieſtum aliquod tempus obliuiscuntur. Vti nunc reginæ ſui ciues ſuaserunt, moxque di-
 ſuaserunt, vt Ioannem Regis filium virum acciperet, ſic iterum Alfonsum ut adoptaret fi-
 lium, deinde abdicaret. Magna tamen criminis portio penes ipſam quoque fuit, nullo-
 rum minus amantem, quam maritorum, aut filiorum, in alterum fratrum fallacem vxo-
 tem, in alterum pefſimam matrem. De qua cum multa in ſequentibus libris dicenda ſint
 hæc pauca attigisse ſit ſatis, ad ſignificandam temporum memoriam. Nunc eodem vnde
 diſceſſimus reuertamur. Conſecto bello, Rex ex Ballagerio digreſſus, ſpecie prope trium-
 phantis in Aragoniā, Cæſaraugustāq; verſus iter intēdit, diadema acceptus, maior etiā
 ac venerabilior quam abierat. Nam prius populi ſui ſtrenuitatem eius tantum audiuerat,

nunc etiam præsentes cognouerant. Exoratus ab Ilerdensibus qui maxime victoria ea exultabant, ut illac transiret, non transiuit solum, sed etiam apud eos mansit complusculos dies. Vbi Alfonsus peractis iam conuentibus, patri occurrit, atque ita Cæsaraugustam peruererunt. Conuocati autem ad solennia coronationis sunt, veneruntque ex omni ferme Hispania proceres. Portugallenses soli, præter Granatenses, non affuerunt, quod alieno à Castellanis animo essent: quorum Rex alioqui haud dubie, sicut Rex Nauarræ, regalibus festis ceremoniisque affuisset. Constat inter omnes qui illi festo vel præfuerunt, vel interfuerunt, nec vidisse nec audisse celebriores splendidiioresque pompas atque ceremonias. Ideoque de ea satius est tacere, quam parum dicere, ne aut longiores simus, aut non pro dignitate perstringamus. Augebant autem iucunditatem solennitatis, quod quinque filii circa patrem visebantur, quorum medius inspectante omni coetu, patrem, priusquam regali chrismate tingeretur, cinxit ense equerius, vt pote præditus illa dignitate, quod magister equerorum sancti Iacobi esset. Nondum enim Rex equerius erat, quales alii multi, quorum & Rex Petrus avus eius, fuerunt, & talem prius quam Regem necesse est esse. Sed aiunt eum qui creatus est Rex, posse sibi suapte autoritate tribuere illam autoritatem. Hæc est recepta hominum opinio, hæc militarium virorum velut sanctio, quasi quisquam sibi ipsi queat esse autor, ac se ornare dignitate, aut si habet, eam prærogativa Regii culminis opus sit ab altero quoque accipere, aut sacro sancta maiestas quæ ritu sacerdotum vngitur, vnde Christi vocantur, necesse habeat post hæc titulocquerii decorari, exili, friuolo, & ex ignorantia nato ausim dicere, quod pace cum aliorum, tum præcipue regum dictum sit, contumeliam regiæ maiestati faciunt, qui hanc dignitatem, si hoc nomen meretur, suscipiunt: non secus atque si supra diadema sertum ex rosis floribusque suspenderent. Postquam Rex ab episcopo Oscensi, quia Cæsaraugusta na sedes vacabat, archiepiscopi partibus fungente, vncus coronatusque est, deducitur ab omni illa celebritate è templo per urbem sub vexillis, primum in domum regiam, deinde in idem templum, in quo noctem illam per uigil armatusque iuxta vexilla, accensa ingenti vi cereorum, venerabunde religioseque permanxit. Postridie Alfonsum primigenium Gerundæ principem creat, quæ est peculiaris dignitas eius filii qui patri in regnum est successurus. Hic quoque die quidem cum mirifica pompa per populos suo diadema coronatus obequitauit: nocte vero iuxta vexilla per uigilum egit. Cæteraque haud admodum magna, nec ita digna memoratu, satius est omitti. Eodem anno legati à Sigismundo qui concilio Constantiensi præterat, vt Romanorum imperator, venerunt, postulantes vellet certum locum & tempus constituere, in quo possent vterque de republica Christianorum, quæ ad summum pontificatum pertinent, communicare. Eadem mandata habebant ad Benedictum, itemque ad Regem Castellæ. Rex animaduertens totum pondus hoc suis humeris incubere, non modo quod vtriusque regni vnuis ipse gubernaculum teneret, sed etiam quod Benedictum ad unitatem ecclesiæ solus adhortari posset, & prope impellere, legatum ad imperatorem misit, quem habuit honoratissimum Ioannem Isaci dominum, ex vetusta regum stirpe, & in literis humanitatis ex omni Hispania nulli secundum: idque quod mirabile sit, sine præceptore. ea est vehementis ingenii, & immortalis memoriæ felicitas. neminem ne ex iis quidem qui omnem operam atque omne tempus in studiis ponunt, videre mihi contigit, in quotidiano sermone abundantiorem veterum testimoniis præceptisque referendis. Auget etiam admirationem, quod corpus athleticum, decorque vultus ab omni eum studio reuocare debuisset, nisi ab ineunte adolescentia, non excellere literis puduisse, quem nemo nec genere, nec opibus, nec corporis atque animi dotibus, ex sua gente antecelleret. Huic mandatum est, non modo vt locum tempusque atque alia imperatori nota faceret, sed etiam vt eum eximio comitatu deduceret Perpinianum. Hunc namque locum delegerat, vbi certior factus esset, papam Regemq; illo se contulisse. Vbi legati imperatoris functi legatione apud Benedictum, in Castellam iter intenderant, Rex à papa per nuntios petit, quem ad locum diemq; libeari colloquium vtrunq; conuenire. Responso accepto, Moreliam, id nomen est loco, sed anticipato die venit, quasi officii gratia papam excepturus. Enimuero modestioris animi habetur præstolari nos eum qui par maior ve sit nobis, quam velle vt ille nos præstoletur. Id papa iniquo sane animo tulit, interpretatus se tanquam ad superiorem videri venisse, cum Rex ad papam vt inferior venire debuisset, nec excusationem vel officii, vel ignorantiae volebat accipere, vsque adeo vt vicario eius qui dixit, Discite à me qui mitis sum & humili corde, professâ dominatur ambitio. Multæ sunt latebræ in pectoribus humanis, atque abditi recessus. Id ipsum fortassis obtendebat papa, vt aliqua ratione postulatis Regis non acquiesceret: itaq; re infecta digressi sunt. Iterum post dies complures, cum

papa

papa in oppido cui nomen est sancto Matthæo ageret, illuc eum adiit, persuasitq; vt Petrinianum vna se conferrent, ne causam suam absentia, veluti diffidentia daminare videtur. Contendebant autem de papatu in tria membralacerato, ac tria capita diducto: Benedictus, qui Clementi: Gregorius, qui Innocentio: Ioannes, qui Alexandro successerat. Sed cum prius celebrare nuptias primigenii decreuisset, imperat ab eodem, vt Valentia ad sanctificandos coniuges profiscatur. Extructoque mirifico apparatu atq; omnifaria pompa quæ cum die coronationis certaret, aduenit Sancius episcopus Palentinus ducēs sponsam, pronubus & velut parens pueræ, cum Henrico Infante qui pro Rege Castellæ Perpinianum pergebat, cumq; omni nobilitate Castellana, eam benedicens & suo & matris, a qua vices acceperat, nomine, sponso tradidit. Quos ambos dehinc summus p̄tifex ut moris est sacerdotum, in templo multis cum ceremoniis sanctificauit atq; deduxit. Exornauit autem lætitiam nuptiale, tum anni tempus (sub extremum enim veris erat) tum nativa soli cœliq; temperies, pene ad nuptias contrahendas nata. Siquidem liquet hūsquā in omni Hispania vrbis sitū esse clementiorem. Quod indicant cum alia multa, tum vero horti non tantum citris consiti, sed etiam citreis parietib. viuente materia conclusi: ut dubites horti ne sint, an ædes. Nam cum nihil aliud insit quam arbores frugiferæ atq; felices manu positæ, institutæ, digestæ, quid nisi horti dicēdi sunt? Rursus cum audis extrinsecus esse parietes, intus autem aulam, conclauia, curiā: item facella, altaria, sedilia canonicorū, thronum episcopi, & cætera huiusmodi, non aliud quam ædes esse succurrit. Sunt enim parietes ex truncis citriorū confecti, & tamen frondibus vestiti, ut perspici introsum nequeant, ne dum intrari. Ita cū rami adolescent intorquētur atq; inflectuntur, ita insiti atq; inserti, consiti atq; conserti coalescūt, ut omnes rimæ expleantur, ut nihil vacui relinquatur, ut pariter firmitatis ex truncis, & decoris ex frondibus ratio constet. Eodem pacto introsum quæ enumeraui composita sunt, clericis per se, laicisq; deseruētia. Pauimentum laterculo quadrato, vitreatoque ac picto constratum est: ut non alias apud Elysium sedes beatorum, in nemoribus lucisque poetæ sint imaginati: nec aliae quodammodo in paradiſo terrestri innocentium hominum futuræ fuerint. Hi horti intra muros Valentia sunt: proxime eis amoenitate sunt, alteri extra pomœrium, secundum regiam domum quā pōs fluum amplectens, vrbī pene coniungit. Celebratio hæc per quindecim circiter dies extracta est. Post totidem ferme dies, nequa gaudia sine calamitate aliqua traducantur, sicut raro tristia sine aliquo solatio sunt (sic enim nos Deus admonet subinde, & nostræ fragilitatis, & suæ clementiæ) accidit ut Rex sicut sedebat cū domesticis colloquens, subita defectione corporis delaberetur, & inter assūtentium succurrentes manus aliquandiu intermoreretur, rumorq; in vniuersa non solum domo, sed vrbē quoq; vulgaretur, repentina morte subtractum. Medici, ut in extremo casu opitularentur, acciti, dicuntur se occultasse præ metu, neve in præteritum negligentia, neve in præsens inscientię penas luerent. Laborauerat quidē Rex ex renibus, vir alioqui prospera ac vegeta valetudine. Subiit autem morbum pituitæ volunt incurrisse ex assidua māsione sub dio per noctem: ad hæc frequentiore edulio cucumeris cuiusdam, quem vocant malignanum. Accitis tamē indigenis medicis, fomenta adhibita sunt aliæq; curationes: atque ita reuixit. Postero die post acceptam potionem cum melius haberet, gratulabantur ei nonnulli, quod hunc in modum vaticinio defunctus esset. Etenim fertur quidam siue ex prægnosticis corporis præagiens, siue oraculo aliquo instinctus (nam astrologiæ prædicere mortes non tribuo) dissipasse famam, nondum exacto quadriennio Regem vita defuncturum. Rex tamē neque prophetanti plane crediderat, neq; nunc magnopere consolantib. acquiescebat: plus suæ conscientiæ de valetudine sui corporis fidei habebat, quam in vtramq; partem aliorum verbis. Vbi aliquantulum conuoluisse visus est, hærebat in dubio, an appetente atq; instantे tempore Perpinianum se conferret: an Alfonsum pro se mitteret. Atque ut ipse ambigebat, ita diuersæ erant suadentium sententiæ, vel potius voluntates. Pauci namque in consulendo quod sentiunt, plætrique quod cupiunt, loquuntur: ut non sine causa Regis prudentia præstare cæteris debeat, cui non satis sit displicere quæ dicantur, nisi etiam quo animo dicantur. Nam frequenter consilium quod alioqui optimum videbatur, deprehensa consulentiis obliqua voluntate, autoritatem perdit, ac velut inane contemnitur. Non attinet affectus causasque omnium qui consulebant, ac mysteria proferre: tantum quid suaderent, & quibus rationibus adduci se dicerent, satis est attigisse. Alii hortabantur ad constitutum locum ire, ne imperatorem, ne summum pontificem, ne concilium senatumque Christianorum, ne gloriam suam contemptui haberet. Alii rursus adhortabantur, nunc rogantes nequid saluti suæ anti eferret, parceret domui quæ ex sua vniuersa vita penderet: nunc admonentes nihil transfigi, nisi in columni salute posse, nemini magis

quam pro viribus esse præstandum, excusare licere suam cuique incommodam valetudinem, cum præsertim id per alios reæte administrari possit. Rex verecundia tactus, ne in tanto theatro vbi papa & imperator digladiatur essent, incusaretur, quod filium adolescentem quam se interesse maluisset, honestatem saluti præposuit, si salus honeste negligi potest. Facto igitur profecitionis suæ papa certiore per complures antea dies, ne rufus quod in Morelia contigit, vsu veniret, cum omni familia mare ascendit. Nam neque reginæ tam affecta valetudine virum non comitari fas erat, & cum plæraque per Alfonsum in patris vicem administranda essent, inhumanum videbatur vxorem puellulam nuper ductam, domi solam in vrbe peregrina relinquere. Profectæ autem sunt eodem alia duæ reginæ Iolanta & Margarita Glores, humanaæ conditionis exemplum. Nullæ enim fœminæ infelicius viris orbantur quam reginæ sine communibus liberis. Iunior grandiori comes iit veluti matri, cum Sigismundo acturæ de cōcilianda amicitia, ineundoque fœdere inter generum & Ferdinandum, ad recuperandum illi regnum Neapolitanum. Rex prope omnem suæ ditionis oram quam longa est emensus, pluribus diebus aduersa tempestate vsus est, & cum altum tenere nollet, sed quo minus iactaretur, terram legeret, diutius iactatus est. Transierat autem iam æquinoctium autumnale, atque ita vexatus, ut per omne tempus quo fuit Perpiniani, decubuerit, nec vñquam equo vectus sit, ægreque aduenienti imperatori obuiam processerit. Nam papa (vt diximus) anteuerterat. Quod si Ferdinandus officiose & ex sua Cæsarisque dignitate egit, vt certe egit, quod illum præuenit, prudentium relinquo iudicio, an idem sit de illa Moreliana antecessione sentendum. Quantum autem certaminis fuerit Perpiniani inter multos canes ac vetulam vulpem, & prælongum est relatu, & à nostro nonnihil opere alienum. Cuius viri quantus animo vigor, quanta viuacitas fuerit, hinc fides documentumque accipi potest, quod iam ab omnibus fere destitutus quos sibi affuturos sperauerat, die quodam septem horis disputationem extraxit. Defatigatisque audiendo omnibus, ac plærisque iam abeuntibus, dicere perseuerauit citra signum vñnum defatigationis, cum maior esset septem & septuaginta annis. Nitebatur autem probare tum verum se papam esse, tum si renunciandum ob commune commodum foret, in se vno nonnullisque Romanis canonis quos ipse nuncupasset, consistere summi pontificis electionem. Nam se vnum omnium esse induxit, cardinalem, ab indubitate creatum papa: cum cæteri qui se eodem nomine appellarent, creati essent tempore schismatis, ut incertum sit, an veri sint cardinales, & ob id an rite diligere summum pontificem possint. Aduersus hanc orationem multis iam annis commentatam meditatamque, cum Rex eodem recideret (quid enim intererat an nulla ratione vellet abdicare se papatu, an villa) hortabatur Rex ut concordia ecclesiæ, ut saluti animarum, ut conscientiæ consuleret: commonefaciebat Alfonsus (nam is quam pater ad eum frequentius ventitabat) ut trepidationem animi, ut corporis periculum, ut præsentem & apud posteros futuram infamiam deuitaret: minabatur imperator suam vniuersalisque concilii censuram: obsecrabant amici ac familiares, ut certa commoda, quamvis minora, quam incerta quantumlibet magna, si qua modo magna supersint, præponeret. Non deesse spem recuperandæ dignitatis: quippe in tanta virtute ac literatura, qua non modo præstaret iis qui de papatu secum contendenter, sed prope nemini cederet. certe summum cardinalem, & secundum à papa futurum, si aliis fieret. Post quem defunctum aliam spem fore, habiturum legationes perpetuas, quibus pene par summo pontifici esset. Afferebatur ab omnibus exemplum Gregorii ac Ioannis, quorum uterque pontificatu se abdicare vel spondebat, vel cogendus esse dicebatur. At ille qui annum papatum mallet, quam longissimam vitam priuatus viuere, quique iam dediscere non posset alium quam papam agere, cætera neglexit præ vmbra illius nominis. Itaque in se Æto negotio, ac principibus legationibusque desertis, Colibrium abiit, ibique mare conscendit, ac Paniscolam petiit. Hoc loco Rex insignem atque maiorem multo quam videatur rem fecit, quod illum pro conuicto pronuntiari præcepit, ne minimeque ex suis & Regis Castellæ prouinciis ad Petrum Lunam, sed concilium Constantiense rerum sacerdotalium gratia pergere. Nam se autorem ille cogendi concilii de Rege declarando, se diligendorum iudicium principem, se iudicij maturandi ducem, se ut iudices ita sentirent atque auderent, effectorem suisse, dicebat. Nec id omnino falso prædicabat. Qua spes fuit non existimauit fore, ut ab eo Rege desereretur, de quo tam meritus esset. Sed is qui neglecta valetudine ad diem venisset, ut de iure papatus disquireretur, non potuit animum inducere post cognitam huius vel iniustitiam vel obstinationem, ut criminis tanti particeps ei esset: voluitque hominem huiusmodi veluti sectione aut adustione sanare, ne totus interiret. Duo quoque familiarissimi illius atque eloquentissimi viri, Vincentius

Ferra-

Ferrarius, & Philippus Malia: alter Perpiniani decretum regis aduersus Petru quondam Benedictum, notum populis fecit: alter pro legato Constantiam missus est. Quare auson affirmare, Ferdinandum regem ad unitatem ecclesiarum plus quam ceteros principes, etiam quam ipsum Sigismundum contulisse. Ille ut concilium in sua urbe ad finem perduceretur, vehementer annixus est: hic (ut cetera transeam) pontificatus ex urbibus suis exemit, amicissimum ac de se optime meritum virum a sede domoque sua eiecit, & omnem prope Hispaniam concilio & ignoto summo pontifici donauit. Quarto demum mense ab omnibus Perpiniano discessum est. Quia in urbe omni eo tempore victum gratuitum imperatori legatis que praebitum, & cunctis non carius mercatos fuisse homines, quam prius consueuerant, minora sunt, quam ut in tantis rebus memoranda sint. Reuersus illinc Ferdinandus rex itinere terrestri ob tardum maris, nondum defauiente hyeme, Barcellonam peruenit, extenuato corporis habitu praedictino morbo, cuius ortum ignota causa attulit, incrementum nauigatio, accessione cura laborque rerum cum imperatore ac papa componendarum, mœror quoque ex discessu tam obstinato amici, & necessitate sua, qui primus eum quodammodo ferire gladio regio coactus est. Addita sunt ad extremum ex ira atque indignatione & crudelini alimenta, & morti calcaria. Orta est ira atque indignatio ex re quam animo quidem iam pridem praeviderat, sed asperiori opinione sua expertus est. Et alioqui agroti hominis, ut corpus, ita animus grauius afficit omnis offensa. Paucis diebus quam Barcellonam venit, cum senihil sane ex morbo conualescere animaduerteret, dixit inter domesticos se in animo habere Castellam petere: primum ut in celo ac solo natali maturius ad bonam valetudinem rediret: deinde ut negotia regis pueri recognosceret, atque ordinaret: tum ut Granates bellum necessitate intermissum instauraret, cum propter superiores causas, tum vero ut eo parto, atque in manus Ioannis regis tradito, vicissim ab eodem grandi pecunia adiuuaretur ad luendum regni sui patrimonium. Sed multo magis esse sua tum dignitate tum virtutate, si citra alterius opem, & mutuo acceptam pecuniam, sola autoritate a suis populis quod suum esset recuperaret. Itaque aptius tempus esse ad rem tentandam, priusquam in Castellam iret, ne res ipsa diutunitate obduresceret, neve pecuniam hanc nisi ea indigeret, cogendam curaret. Quae cum cogi commode nisi se presente non posset, necessarium erat eodem iterum se redire, si obstinatos ad restituendum gratis patrimonium regium populos suos intellexisset. Nam quod se absente per alium isti ad hoc ipsum adducerentur, non erat sperandum. Voluit igitur a minimis tentare Barcellonensium animos. Siquidem ut minimus est, si pretium astimes, regem vestigial pendere ciuibus suis: ita maximus, si rei indignitatem, praecipue in emundis obsconiis, cuius vestigialis immunes sunt clerici, atque olim nobiles erant. Quae res adhuc in controversia est. Et contigit forte prima pugna cum lanio, a quo regius dispensator obsonium mercatus, in soluendo pretio cum portione illam vestigialis non connumeraret, primum lis, mox clamor, postremo atrox tumultus exortitur. Res hinc ad regem, illinc ad senatum magistratusque defertur. Omnia utrobiusque, ira, solitudine, querimonias, minis implentur. Rex iubet accersi principem magistratum senatoriumve, quos consiliarios vocant, numero quinque. Quorum princeps est, qui sapientius ceteris eum magistratus gesit: vocaturque consilii caput. Is erat Ioannes Ceuillerius, qui veluti ad mortem vocatus, cum detrectare non posset, initio concilio inter primores ciuitatis, iussus est bene sperare: si periret ipse, se parentatuos ei sanguine omnium qui apud regem essent. Neminem, si moriendum sit, honestius unquam aut mortuum, aut vindicatum esse, praestaret patriæ generosam animi indolem, redderet ceteros suo exemplo ad capessendam virtutem alacriores. Nullum veterum Romanorum præclarious fuisse facinus: hoc quoque aeternæ memoriae literisque mandandum. Haec tametsi excitabant animum, tamē magis ad non pereundum confirmabat, quod clavis tabernis videbat magnam partem populi in armis esse, & magistratibus operam suam polliceri. Disposita itaque re familiari, coditoque testamento, occlusis hostiis ac fenestrarum domus, extincto igni, sedentibus in paupimentu vxore atque filiabus, prosequenter aliquantulum collegis, ac ceteris veluti damnatum destinatumque inspectantibus ac miserantibus, ad regiam pergit. Iam magis ac magis tumultus inualescebat, iam vulgus passim fremere audiebatur, & se inuicem acuebant, nec exhortatores ex primoribus usquam deerant. Ipsi etiam magistratus palam consiliariorum regis culpam hanc esse dicebant, ideoque si male consultum sit in principem consilii publici, neminem ex his qui cum rege sunt, cedenti vitaturum, praeter uxorem ac primogenitum. Nam haec tres personae apud eos sacrosanctae habentur: Rex, regina, atque successor in regno: quamquam ille Gerundus per eos dies agebat. Vbi peruenit Ceuillerius ad ianuam coelouis, ubi ab rege expectabatur, pulsat ianuam. nam ministros in prima aula (ut moris est) reliquerat. Ianitor semiperito hostio, quis esset interrogat, an Ioannes Ceuillerius.

Hic aliquid fauoris ex nomine magistratus acquirere volés, cōfiliarius, inquit, sum ciuitatis. an Ceuillerius? ciuitatis inquā consiliarius. Respōde an Ceuillerius. Respōdeo quod cōfiliarius. Responde quod rego: nam alium quā Ceuilleriū intromittere iussus nō sum. An me intromitas, an excludas, in tua est manu: ego cōfiliarius vñus, sed pro omnib. sum. Ideoq; parui refert interrogare de nomine. Hæc cum ille ad regē detulisset: Aperi, inquit, Ceuillerio. Ex pertinacia enim se Ceuillerium esse confitetur, & contumaciam qua mecum vsurus est, in istis verbis quæ dixit haec tenus, præfert. Cum ingressus est hic, & regem adorauit: Q'io mihi, rex inquit, istam adorationem tanquam regi, quēm cogis veluti subditum pendere vectigal, & quidem subditum tibi tuisq; collegis? Nam cui tributum vectigalq; penditur, nisi his qui pendi cogunt? Vos ergo me ad hanc seruitutem cogere potestis? vos regem vestrum tributarium vectigalemq; facere vultis? vos regiam maiestatē vestro, si nomen meretur, magistratui obnoxia addictamq; videri non erubescitis? Quod (ni vos reges, nō ego, aut superiores rege estis) monstri profecto ac prodigiis simile, regem ciuib; suis pendere vectigalia. Episcopus, abbates, priores, canonici, & quicunq; sunt ordinis clericalis, immunitate hac fruuntur. Nobiles pro eadem recuperanda litigant: nam olim fruebantur. Nos reges infra nobiles, infra humilimos quosq; clericorum, quatenus ad immunitatem huius vectigalis pertinet, erimus? Non afferam ē regno patris mei, non ex aliis huius ætatis exempla. Certe Lacedæmonii apud quos bini reges erant, & magis perpetui consules quam reges, ita parum in vrbe, multum in bello poterant: voluerunt illos huius contumelias exortes esse. Taceo gentilia. Quis vnquam Hebræorum regum aliquando vectigal audiuit pependisse, & non potius regi vectigalia esse pensata? Non id nunc postulo, vt mihi illa pensentur, quanquam & possem, sed vt regiæ dignitatis ratio constet. Neq; enim de pecunia res est, de qua si certaretur, pudendum vobis erat tantulum sumptum regi vestro non gratificari: sed de pudore meo, de autoritate huius sedis, de fama apud exterias nationes. Quibus rebus cum vos tantopere aduersemini, quid aliud nisi cupidos esse significatis nostræ turpitudinis, dedecoris, infamiae, sine vlla vestra, si sapere-tis, laude ac dignitate? Et cum decorum vobis pulchrumq; ducatis regem vestrum affice-re contumeliis, tamen de vestra in regem fide atq; charitate apud nos aliasque nationes gloriamini. Ded. cus potius vestrum ac contumaciam perfidiamq; confiteamini. Licet & vobis persuasisti, hæc indigna mihi toleranda esse. Ego regnum filii fratriss propagavi, ego statum clericale, quantum per vnum regem præstari poterat, direxi, schismate ex Hispania exploso, meum ipsius ius negligam? ac maiestatem regiam ab improbis, ne vi magis videar vos quam ratione velle cohercere. Nec ignoro id vnum quod responsuris sit: sed istud commodius vbi abs te prolatum fuerit (vt ipero) confutabitur. Quare datur tibi potestas pro te respondendi tuisq; collegis. Tum Ceuillerius, Rechte tu quidem rex, quod ais vnum esse quod responsurus sum, & id quod opinor diuinus. Sed hoc ipsum vnu magni sane momenti, & quod in te cōformidasti attingere. Scis enim te iure iurando adactū promisisse conseruaturum nostra priuilegia, nec aliquod eorum rescindere conaturū. Idem superiores reges vt promiserunt sic excoluerunt. Quos cur nolis imitari rex, sed potius damnare, iuriandumq; tuum polluere, ac promissa tua facere irrita, magnopere miramur, & tua pariter ac nostra causa dolemus: tua, qui (cum bona venia dictum sit) iniuste facis: nostra, quibus iniuria fit. Ex quo pariter optamus tuam honestatem & nostram vilitatem incolumente esse. Neq; indignum duxeris rex clarissime, te pro nostra in principe nostrum obseruantia à nobis vel admoneri vel rogari, vt & pudor tuo & quieti tuorum populorum cōfulas. Sed ego plus quam vnum pergo dicere, nec de iure tantum loqui videor, sed etiam (quod absit) consilium dare. Quare id vnum quod inceperam dicere, pro nostro iure dictum sit, vectigalia reip. esse, non tua, eaq; cōditione nos te regem accepisse, teq; iure iurando interposito rata nobis hæc fore recepisse: ideoq; nos sanctius (iterū pace tua dictum sit) certare quam te. Verum quid ad tuam honestatem pertineat, ipse videris. Id tamen quod meum est, ac meorum collegarū, testatum apud te volumus, vt quantum coneris, intelligas, citius nos vitam quam istam libertatem tibi concessuros. Neq; enim honestior ac glorioſior nobis obitus contingere potest quam pro libertate, pro ornamenti, pro amplitudine patriæ. Nec minus nos defunctos celebrabunt ciues nostri quam suos celebrant Athenienses atq; Romani: tametsi, quod maximū est, merces nostra apud Deū veluti martyru (martyres enim sunt qui veritati ac iustitia assunt) nobis proponitur. Quo magis, vt bonos & Christianos decet, quod facere nolebam, admonere te habeo. Prospicio quo progrederaris, neve innocentia tua ciuitatis ac tuorū saluti male cōfulas. Non enim moriemur, si moriemur, inulti. Cum hæc rex audisset, conuerso ad assistentes vultu, Quanta versatur, inquit, in pectoribus humanis vesania: qui sub vmbra iustitiae nō intelligit

gunt patrocinium se auaritiae vanitatique præstare, & si pro ea pereant, non temerarie ac
 furiose perire, sed fortiter. Refers mihi non modo Athenienses Romanosque, sed etiam
 martyres: quasi tu pro honesto, pro vero, pro religione contendas, qui ne pro patria qui-
 dem verba facis, sed pro scelere, perfidia, superbia. Quo de periculo nunc agitur? & pro-
 pter quod tantas rerum verborumq; procellas cietis? Credo tempora spoliantur, innoxii
 homines ad necem suppliciumq; rapiuntur, ærarium denique, ne dicam grauiora, com-
 pilatur: pro quo conseruando tantum concitari tumultum deformissimum erat. Vectigal
 carnis similius que ne rex pendat ciuibus suis, id vos tantopere commouet? in hoc salus
 & amplitudo patriæ vertitur? pro hoc tibi mortem oppetere honestissimum ac gloriofis-
 sum est? hoc te Atheniensibus, hoc te Romanis, hoc martyribus similem faciet? O
 rem inauditam, regem suum in seruitutem ciuium suorum redigi velle! Id vero pul-
 chrum, laudabile, & immortali gloria dignum est? An non hæc abiectissimorum homi-
 num contumacia est, atq; ambitio, & Luciferi arrogantia? qui dicit, Ponam sedem meam
 ad Aquilonem, & ero similis altissimo. Iam posuisti vobis sedem ad Aquilonem, iam si-
 miles mihi estis, & nisi fallor etiam maiores. At enim iure iurando adacti sumus ad promit-
 tendum. Vos adegistis? an mihi erat integrum nolle iurare ac promittere, cui proponeba-
 tur conditio? Si regni possessionem vellem, iurandum pariter ac promittendum. Quid si
 non promittam? Rex non ero. Videtis quonam modo promittere cogitis, ac iurare, immo-
 peirare. Peierare enim est, non ex animi sententia iurare. Cuius tamen rei penes vos cul-
 pa est, nulla penes me. Ego enim id me præstiturum promisi (neque aliter licebat) quaten-
 us iustum sit. Nuc regni leges quas iurauit de cōseruando patrimonio regis, hoc me præ-
 stare prohibent. Quas infringere, quam istud ius iurandum, maius crimen est. Nam de
 superioribus regibus quorum culpa aut necessitate in hoc deuētum est, nolo dicere. Non
 enim regum nomina, sed egregia facinora habent autoritatem. Illi nauem hanc ad suum
 iudicium moderati sunt: ego qui nunc eius clavum teneo, non exemplum, sed rationem
 sequar. Iurauit: si recte, seruandum est: si fecus, corrigendum. Neque enim ius iurandum
 est, quod nec ius, nec iurandum est. Sed quid ego aduersus hunc dispergi qui non modo
 rationibus, sed minis mecum agere ausus est, & tumultum ciuitatis & cædem meorum o-
 stendere? Hoc plus est quam vectigalis iura defendere. Secede paulisper in conclave il-
 lud interius. Ille vbi introiit, vt postea retulit, circumferebat oculos, si quem laqueum, si
 quem gladium, si quem humorem vbi præfocaretur, si quam fenestram qua præcipitare-
 tur, videret. Omnia imaginabatur, omnia timebat, omnem sonum strepitumq; horrebat,
 tanquam nex sibi iamiam inferretur: & verba regis apud se voluētem aduentus sui pœni-
 tere incepérat. Interea rex cum cæteris consultabat. Omnes obsecabant, præcipue Ga-
 raus Ceruello præses Cataloniae, Guilielmus Raimundus Moncada, Bernardus Capre-
 ra, ne quid in consiliarium ciuitatis male consuleret, neve præsentem furorem plebis im-
 peritæ magis irritaret, daret rei spatium, nondum adesse maturitatem. Quod nunc negat,
 id vltro postea delaturos. Motum plebis esse torrenti similem, qui ad breue tempus infla-
 tus petennibus aquis concitatus fertur, mox æstum ac ferorem perditurus. cogitaret
 quod ipse perspicere poterat, necdum tatum benevolentia contractu esse inter se & gen-
 tem Catalana, vt onus hoc libentibus animis possent accipere. Eius rei causam esse, quod
 aliter quam fert eorum consuetudo, parum se familiarem præbuerit, ob ingentes fortasse
 cutas atque occupationes tot regnorum. Additum quoque est, non esse tentandum quid
 facere audeant, qui primigenio dicere ausi sunt die quodam in dissensione de suppicio
 fontis cuiusdam, nondum exiccatum esse atramentum, quo exarata sunt instrumenta
 declarationis de successione, & præter leges moresque iam fieri. Ignorabat id rei ipse rex.
 Namque eo in tempore in castris agebat. Qua audita vehementer commotus iussit e-
 uocati Ceuillerium, ad certam se mortem euocari opinantem. Atque ei prope exanguis,
 & timorem ipso vultus habitu atque incessu declaranti, inquit: Quid ita mortis metu a-
 pud te ipsum non videris esse, qui tibi pulchram ac gloriosam contra regem tuum mor-
 tem ducis? Ne timeto, viue, vt collegis tuis atque ciuibus respondeas, vectigalia vestra vo-
 bis incolmia esse, meque cedente ab hac pugna penes vos quidem esse victoriā, sed non
 tamen de me triumphaturos. His dictis Ceuillerius abiit, veluti qui de mediis hostium te-
 lis ægre elapsus est. Quem timorem magna apud ciues gloria compensauit. Et sane si pro
 patria contendisse dicendus est, eximiam magnanimitatis meruit laudem. Hunc subsecuti
 sunt, Garaus præses, & Guilielmus Moncada, vectigalq; ex suo pernumerauerūt, ne regē
 illi qui sibi soli utique volebant, soluere coegisse viderentur. Postero die rex, nullis præ-
 ter domesticos præmonitis, ex urbe excessit, lectica vectus. Id cum palam factum est in ci-
 uitate, partim letabantur quod tanta tempestas sedata esset: partim vicem regiæ dignitatis

dolebant, quod tali à suis ciuibus contumelia afficeretur, succensebantque superbiam atque auaritiae magistratum: partim, & hi plerique omnes, dolebant vicem suam, qui per magnis quæstibus ex regis absentia fraudarentur. Enim uero quemadmodum in præsentि certamine ciues fauebant causæ ciuitatis, ita puostquam resedit feruor animorum, ad repentinum turbati regis discessum, æquam fuisse causam eius affirmabat. Mittunt ergo qui orent, ne discedat ab eorum solo, neve hunc in modum declaret infenso se in suam ciuitatem animo esse, futuros se in officio, pensaturos obsequiis aliis, si quid offendisset. Hic cum regē circiter sex millia passuum extra murum nocti essent, breui responsione remissi sunt. Sunt qui dicant eum respondisse, si rediret, vt petebant, illorum malo redditum, & si viueret, Barcellonam castigaturum. Sed nō perinde compertum est, vt pro vero queat 10 affirmari. Et si dictum est, non nisi inter intimos dictum, vt aliquo potius familiarium vicem regis indignantium dictum est, atque ab aliis exceptum: ideo non ita pro magnō habitum. Vbi ad Aqualatam venit, quod oppidum Barcellona abest paulo plus itinere diei, grauius egrotare cœpit. Quem ad locum accurrit Alfonsus filius, nam Petrus aderat: duo, secundus ac tertius, in Castella cum patruelē degebant: Sancius paucis ante diebus, sed pater ignorabat, calculo deceperat paterno morbo. Hunc Deus ita præmisit, vt mortuum patrem in alio seculo exciperet, iucundus ac gratus post mortem, qui moriens nullum illi doloris vulnus inflixisset. Magnum itaque patri morienti solatium fuit, nescisse Sancium defunctum: sed maius, affuisse Alfonsum. In huius ore, in huius alloquio, in huius pietate acquiescebat, huius se præsentia existimabat diutius viuere, huic illud mirabile, quod non ab omnibus æque ac magnum est ponderatur, testimonium reddidit: Ex septem liberis nulli magis obitum suum doliturum esse, quam Alfonso qui defuncto patre foret regnaturus, ideoque si non primigenius extitisset Alfonsus, huic quantum in se esset, regnum relinquenter. Extracta est valetudo duos circiter menses, eoq; omnis nobilitas suorum regnorū atque Castellæ non ad id modo oppidum confluxerat, sed ad vicina quoque. Nam cuncti sedulitatem atque officium suum declarare studebant, non tantum regi, sed filio. Ibi testamentum condidit. Legata plurima reliquit, religiosa pleraque, ita ut non suppeteret pecunia quas relinquebat. Ante se mortuum stipendiorum quæ domesticis atque officialibus quocunque ex tempore debebantur, pernumerari voluit, & ab ilis ipsis certior fieri an pernumerata essent. Hæc atque cætera quæ ad animæ salutem, ad 30 domus incolumitatem, ad regni stabilitatem pertinebant, vbi prouidit, inter suorum colloquia atque amplexus ad extremum usque halitum plane loquens, velut in soporem solveretur, animam efflauit, quarto nonas Aprilis anni sextidecimi post millesimum quadringentesimumque. Cuius obitu præmaturo magnam non solum Hispania illa, verum etiam nomen Christianū iacturam fecit. Nemo enim regum Ferdinando maturius Granatam, ne dicamus Africam, subegisset. Siquidem constituerat non magis numero quam delectu militum Aragoniæ atq; Castellæ Granatam urbem obsidere, binis è regione positis castris, vnis Aragonum, alteris Castellanorum, vt certatim pro gloria gentis vel religionis dimicarent. Sed nonnunquam optimi principes culpa populorum ab æterno iudice subtrahuntur. Nam magis subditorum quam sua eum viuere intererat. Cuius fere 40 vita, sicut in plerisque licet, ex iucundis sane fuit tristibusq; permixta. Etenim Ferdinandus rege patre ortus fuit, sed illum ante tempus amisit. Ornamenta sortitus est animi corporisq; sed ea apud fratrem minus fauorabilia fuerunt. Felix fuit prouentu liberorum, sed ob hoc liuore proximoru perstrictus. Vedit filium regis generū, sed ne spe laberetur extimuit. Rursus, vt à malis incipientes in bonis desinamus, in administratione regni ac belli à fratre præteritus est, sed amicorum præsidio sua virtus non est destituta. Proditus ad Seitanillum, sed aliis victoriis cladē compensauit. Ad Anticheram sæpe frustratus, ad extremum voti compos effectus est. Rursusq; regnum hæreditarium sperauit, sed multis difficultatibus est iactatus. Adeptus est possessionem regni, sed rebelles cum magno status sui periculo compescere necesse habuit. Diadema cum tanto pompæ splendore accepit, nuptiasq; celeberrimas filii vidit, sed subito morbo decubuit. Aspexit Cæsarem in domo sua & papam, regiam opem auxiliuimq; deprecantem, sed contumacia suoru exulceratus est. Ita quicquid ex iusto vitæ spatio supererat, vt multa lata, sic multa fortassis tristia fuisset expertus: veluti illud quod ex quinq; filiis, quasi dexteræ digitis, unum iam se perdidisse rescisset. Quod si quemadmodum à sapientibus dictum est, acerbiora sunt aduersa, quam iucundiora prospera, dicamus præclare cum Ferdinando esse actum, quod viridis adhuc & in media ætate excessit è vita: cum præsertim hoc secum gaudiū tulerit, quod tribustis proximis denegatum erat, vt filio regnū per manus traderet, ne dicam tali filio, quatinus nemo unquam meliore gloriatus est. Fuit autem Ferdinandus natura sane sublimi, ab omni

tamen

tamen remota fastu: animo fidenti atque intrepido, sed aduersus iustitiam veritatemque demissu ac pusillo. In contumaces nocentesq; vehemens, sed erga eos qui allegarent necessitudines, paupertatē, morbum, ætatem, aliasquē misericordiæ causas clementissimus. Amator bellicæ gloriæ, sed ita ut pacē præoptaret. Liberalis inter primos, sed non nisi religiosis ac meriti causa. in admittendis ad intimam domum turbis procerū, & exercenda familiariter cum plurimis cōsuetudine non ita facilis, vt reges superiores extiterant, sed qui nunquam claudifores voluerit his qui se indigerent, & in cœtu aut in itinere faciendo, si quem non facile posse accedere videbat, iuberet homini viam aperiri, & ad loquendum hortaretur, comiterq; & audiret & responderet. Ab obsecnitate non factorū modo, sed etiam dictorum ita abhorrens, vt pene nimius putaretur. Cibi viniq; nullo paratu ad gulam, sed ob dignitatem personæ magnifico ac splendido. Veneris incredibi temperantia, & vt affirmabant, intra matrimonii sanctitatē. Nam vt incertū est, cum alia eum fœmina post coniugium habuisse vsum, ita nulla non nocte cum vxore cubasse compertū est. Neminem domesticorū patiebatur scortum in domum ducere, licet cuncta ut resciret flagitiadomestica, fieri non poterat. Si resciebat, præsenti poena plectebat. Forte die quodam cum apud eum inter familiares controuersia foret atq; altercatiō, vter præstantior in bello extitisset, Hector an Achilles, interuenit Ioannes Ferrandis, quæsiuitq; quænam tanta omnium altercatio esset: nemo enim non alterutri parti aderat. vbi controuersiam audiuit, Absit, inquit, optime rex in hoc apud te quæri patiaris, & fortissimū omnium & longe præclarissimū Hectorem cum fœdo ac flagitioso Achille comparari. Qua admonitione adductus rex, edixit, si quis domi suæ Achillem nominaret, continuo eum nunquam reuerteretur exploderent. Caste quidē rex ac religiose: sed Ioannes imperite sane atq; indocte, homo quidē grauis probusq; ac strenuus, sed idiota. Apud Homerū quidē qui hæc scripsit, longe abhorrent Achilles ac Patroclus ab omni suspicione flagitii. Quorum alter non modo Hectorem, sed omnes Troianos, auxiliaresq; principes atq; exercitus, solus fugauit, & nisi dii obstitissent, contrucidasset, ita ut ne vnu quidē fuerit superfuturus: alter qui aliquātulo maior natu erat, aut par Hectori fuit, aut fortior. Qualis fuit etiā Agamemnon. Nam Aiacem atq; Diomedem fortiores Hectore fuisse, qui eundem poetam sumpserunt in manus, non ambigunt. Itaq; in hoc errore non qui accepit, sed qui dedit consilium, reprehendendus est. Fuit enim Ferdinandus parum excultus literis, sed vt illo seculo, & vt in Hispana nobilitate, non indoctus: doctorum tamen mirifice fautor, & suorū ad studia hortator. Nulli domesticorū salarium numerari voluit, nisi qui testimonium à sacerdote attulisset eo anno se esse confessum, & corpus ac calicem Domini cōmunicasse. In honorem beatissimæ virginis ad Anticheram instituit, vt fasciam albam, quam stolam vocant, transuersam ad pectus cum hydriala volentes ferrent ab institutore impositam, certa lege ieuniorum ac precationū. Execrantum numina punitor acerimus. Aleatores vt pestes exodus. Nil enim boni viri adesse existimabat aleatoribus & blasphemis. Pro absentibus & quos ipse misisset, quam pro his qui aderant diligentior: quippe qui scripta eorum nomina in priuato quodam libello habebat, & quoties quippiam vacaret, quod conferendū esset, ad illud tanquam ad ephemeredem se conferebat. Nec pétentibus statim beneficia indulgebat, sed duo hæc prius animaduertebat, an alteri indultū esset, & an alias dignior. Nihil intercedente pecunia contulit: nam eius minime auatus. Auxitq; pecunia sua quam è Castella aduixerat, Aragoniam, Valentiam, Catalonia. Ideoq; ægre ferebat non posse munificentiam consuetam exercere in tanta prouentuum exiguitate ex suis regnis: solitus dicere, non agere regem qui non plus quam posceretur, donaret. In patrimonio regali tenax: quod qui alienarēt, aiebat inimicos potius sibi parare quam amicos, quia ex subditis illos quosdam regulos faceret, semper sollicitos ac suspicantes eorū iura licentiamq; iri deminutū. Statura fuit supra iustum, aspectu graui ac suaui, colore candido, satis plenis membris ac satis robustis. Elatus autem est maiori funerum pompa quam quispiam omnis memoriae Aragonum rex, inter proceres prope totius Hispaniæ, maioriq; & tempore & viarum spatio. Plus enim triginta millibus passuum ab Aqualata remotū est templum sanctæ Mariæ ad Populetum, vbi reges Aragoniæ sepeliuntur. Ita Ferdinandus rex non in sepulchra regum Castellæ suorum maiorum, sed in regum Aragoniæ illatus est. Illinc nemo regum qui ex ea familia fuit, abest, præter Ferdinandum: & hic nemo rex adeſt, præter hunc eundem ex aliena familia.

AELII ANTONIINE
BRISSENSIS, EX GRAM.
MATICO ET RHETORE HISTORIOGRA-
PHI REGII, RERVM A FERDINANDO ET
Elisabe Hispaniarum felicissimis Regibus ge-
starum, Decades duæ.

EIVSDEM AD CLARISS.
HISPA NIARVM, ATQVE VTRIVSQUE
SICILIÆ, INSVLARVMQVE MARIS NOSTRI
moderatorem Ferdinandum diuinatio in
scribenda historia.

NON POSSUM non magnificere tuum de me iudicium, clarissime Princeps, quod ex tanta doctissimorum virorum copia, qui per omne ditionis tuae imperium diffusi sunt, me potissimum delegeris, cui immortalia tua gesta Latino sermone describenda mandares. Vereor tamen ne hoc tuo delectu habendo tale aliquid tibi euenerit, quale Alexandro Macedonum Regi. Ille namque, ut scis, post superatam omnem Asiam & AEgyptum Magnicognomen adeptus editio publice vetuit, ne quisquam ex coloribus imaginem suam pingeret, nisi Apelles, nemo ex typis aream duceret, nisi Lysippus, nemo in anulorum usus gemmis insculperet, nisi Pyrgoteles: cum essent illi tres quisque in sua arte eminentissimus. Hoc nimurum famigeratus ille vir faciebat sapientissime, ne quisquam opifex artis imperitia quicquam ex vera facie depravaret. Quod si fuisset Alexander tam solers in nominandis autoribus qui literis mandarent res ab eo gestas & victorias, quibus totum prope orbem terrarum illustravit, quam fuit in diligendis artificibus qui lineamenta & corporis ductus effingerent, nihil profectio tanto Principe desideraretur quod ad summam hominis conditionem pertineret. Sed quandoctasit: ut nihil unquam natura omni ex parte absoluere (tanquam ceteris non sit habitura, sive inuncta concesserit) ille cui neque ingenium, neque doctrina, sed neque rerum usus defuit in cunctis artibus que sunt homine libero dignae, una tantum in re legitur fuisse deceptus. Extrema nanque poetarum, historicorum oratorumque copia, quibus tunc abundabat Gracia, unum Chærilum delegit qui res à se gestas carmine describeret, cum esset omnium sui temporis poeta incep- simus, innitans etiam illum proposita laboris mercede, pro singulis versibus aureo Philippo, magno ponderis moneta, quam pater Philippus percuti iusserrat. Hac sunt à me clarissime Rextam multis repetita, non quo velim me Apelli comparare ad depingendos fortuna tua successus incredibiles, non Lysippo ad exprimendas ingenii tui dotes innumeratas, non Pyrgoteli ad scalpendas figendasque posteritatis memoriae animi tui virtutes. Non commemoro nunc illas que sub fortuna dominio posita sunt, potentia, victoria, felicitas, in quibus nemo te fuit superior: non illas que sunt hominis propria, qua homo est, temperantia, fortitudo, mansuetudo, liberalitas, comitas, in quibus etiam priuatost excellis: sed illas que sunt Regum propria, magnificencia, magnitudo animi, clementia, iustitia, seueritas, grauitas, in cunctos mortales beneficentia, rerum omnium sub fortuna positarum contemptus. Quod vero Celsitudo tua me præceteris delegerit, cuius humeris tantam rerum molem imponeres, non deerunt qui existimenter non minori fuisse in errore, quam fuerit Alexander, cum nemo sit, qui non iudicet me multo esse Chærilo inferiorem, quippe qui fuerit posteritatis indicio poeta non contemnendus. Sed Alexandrum in tanta doctissimorum virorum multitudine qui tempestate illa floruerunt, non delegisse optimum, quis non posset iure reprehendere? Tu vero Princeps inuitissime, quos habebas Onescritos, quos Callisthenes, quos Clitarchos, quos Aristobulos, quos Ptolemaeos quos alios complures viros eruditissimos itineris tui comites, ut in diligendo historiographo non facilis esset ista deliberatio? Sed quod apud nos huiusmodi viri non facile reperiuntur, in Italiam puto eundum fuit, ut Angelus Politianus, ut Picus Mirandula, ut Hermolans Barbarus, aut ex iis qui supersunt, ut Antonius Flamininus, ut Aldus Romanus inde adsciret.

retur. Non tamen opinor satis tuto peregrinis hominibus historie fides concrederetur, Italis maxime, nullius rei magis quam gloriae auaris. Inuident nobis laudem, indignantur quod illis imperitemus, coniurarunt inter se omnes odisse peregrinos, nosque Barbaros opicosque vocantes infami appellatione fœdant. Quodque M. C. ad filium de Græcis scribit, possumus & nos de Italis dicere, quan-
 docunque gens ista nobis literas dabit, omnia corrumpet. An qui Latinæ linguae alterum lumen Quintilianum, qui Silium Italicum, quos Hispanos fuisse constat, qui alios complures, non veriti legem Fanniam de plagiariis, extorquere conantur, pure ac sincere Hispanarum rerum historiam prosequentur? Quid? quod res nostræ non minus ignota sunt illis quam nobis Italica, atque ut est in adagio illo vulgari: *Multo callidior est insipiens domi sua, quam sapiens aliena?* Sed esto,
 10 eque illis ac nobis res Hispaniae sint nota, utri magis ex animo res ipsas scribent, illi qui simulat et cu-
 iusdam libertatis amore regium nomen odere, regumque imperia detrectant, an nos qui sine Regibus degere nescimus, qui religiose Reges salutare consuevimus, de quorum salute non minus quam de nostra solliciti sumus, quos non minori obseruantia colimus quam ducem suum apiculæ? Et quoniam, ut inquit poeta, virtus nemo sine nascitur, optimusque ille est, qui minimis urgetur, uter
 20 virtus mitiore in partem nominabit, qui diligit, an qui negligit? Pater qui strabonem filium amat, patet vocat, varum, eum quis sit vatia sue compernis. Apelles ille nunquam satis in arte pingendi laudatus, cum Antigoni Regis imaginem pingeret, qui altero lumine orbatus erat, cata-
 grapham, id est, obliquam fecit, ut quod corpori deerat, picturae potius deesse videretur, tan-
 tumque ab honestiori parte ostendit, cum posset totam ostendere. Erit itaque historia tanquam pi-
 ctura, pulchra extollet, turpia, si tolerabilia sunt, dissimilabit, si latere non possunt, mihi vocabulo nominabit, fallatque potius virtutis specie virtus & umbra, quam is qui sit fortis, à timido vo-
 cetur audax, ab audaci timidus. At qui dicet quispiam, prima historiæ virtus est, ut vera narret.
 Sit ita sane: sed si paululum est à veritate declinandum, quia non est cuiusque medium asequi, tutius atque magis ingenuum in favorebiliorem partem declinare. Quando igitur ab Italia his ratio-
 nibus excludimur, forsitan ex Pannonia, aut ex Germania, aut ex Gallia suppetias implorabimus?
 Quid si apud nationes illas non minus literatorum hominum penuria est, quam in Hispania? Quid
 30 igitur in tanta rerum difficultate faciendum fuit? Nemirum, ut si optimi non possunt, elegantur
 tolerabiles aut minus mali. Hæc forsitan causa te Princeps sapientissime in mediocris literaturæ hominem impegit. Qui si non sumus ex prima classe, possumus tamen in secundacensi, & si non possu-
 mus magnitudinem rerum gestarum stylo ex aquare, at certe conabimur, ut imbecillitatem nostram
 atque ingenij paruitatem studio ac diligentia compensemus: et si Latinas literas in Latio non didici-
 mus, nec in Sarmatia quidem, sed in Baetica, que (ut inquit Strabo) prima omnium Hispanorum se
 in Romanos ritus & linguam transformauit: et si Romanum sermonem Romæ non didicimus, nec
 Lilybæi quidem, sed Bononia, urbe scilicet omnium bonarum artium altrice. Neque adeo à Musa-
 rum fonte abhorremus, ut non simus corriuales Columellæ, Canio, Silio, Hæne, duobus Senecis, uni-
 coque Lucano, aliisque poetis Cordubensibus, quamvis scribat Cicero pingue quiddam illos & peregrini-
 num sonare. Quid? quod his in rebus quas scripturi sumus, aut ipsi interfuius, cum gererentur, aut
 ab iis qui interfuerunt, accepimus: & quasi diuinarem fore, ut aliquando hanc operam nauaturus es-
 sem, ita omnia inquireram, omnia explorabam, omnia notabam. Vale Princeps clementissime,
 40 quo sospite nunquam res Hispana detrimentum patietur. Ex municipio Complutensi ad idus Apri-
 lis, anno salutis Christianæ M D I X.

AE LII ANTONII NEBRIS.
SENSIS, EX GRAMMATICO ET RHETORE
HISTORIOGRAPHI REGII, AD BENEVOLVM CAN-
didumque lectorem, vt Ferdinandi & Elisabes Princi-
pum auspiciis præclare res gestas legat,
exhortatio.

NULLVM fuit tempus, candide lector, in quo res Hispanæ ab idoneis scriptoribus magis illustrari cuperent, quam illud in quo nostra res publica Ferdinandi & Elisabes Principibus administrata est. Nunquam enim ad etatem nostrâ Hispania finitimus, nunquam longinquis nationibus armis circumfuit, quin potius è diuerso semper exterarum gentium præda fuit. Atq; ut à taclysmo illo ingenti exordiamur, in quo totus orbis terrarum aquis obrutus est, ac præter illas octo animas quas literæ sacrae commemorant, omne mortale genus intercidit: Iubal sive Tubal (nam de nomine inter autores non sat is constat) primus in Hispaniam venit missus à Noa, quem Berosus Chaldaeus Ianum patrem interpretatur, sub quo diluvius illa fuit memorabilis. Is Iubal regnare orsus est in Hispania anno post diluvium circiter centesimo quinquagesimo, ante salutem vero Christianam supra bis mille simum centesimo septuagesimo, regnauitq; annos centum quinquaginta quatuor. Cuius anno centesimo sextodecimo ipse Noa venit in Hispaniam, ubi duas urbes condidit Noelam & Noegam, priorem in Galicia, quam ex nomine nurus sue Iapeti uxoris cognominavit, alteram in Asturibus, dictam ex nomine alterius suæ nurus Chamii uxoris. Iubali successit Iberus, ex cuius nomine dicta putatur Iberia atq; Iberus amnis. Cui rursus Iubalda, à quo mons Iubeda cognominatus, qui postea dictus est Aucensis supra Burgos triginta millia passuum, in quo sedem regni sui fixisse autor est Berosus. Atq; ita deinceps ex eadem familia Reges alii successerunt, de quibus aliubi differemus, & quo ordine apud Celiberos rerum potiti sunt. Curetes præterea Iouis educatores Gargoro duce ex Creta in Iberiam venere, qui Tartessio saltu occupato quatuor millibus passuum à Calpe Tarteßi, qua postea cognominata est Carteia regnauerunt, unde iotam prouinciam moderatis sunt. Eo in saltu bellum contra gigantes per ea tempora gestum est, quod, quem admodum poeta dicunt, postea in Thessalia fuit finitum. Gargoro deinde successit Abydus ex filia nepos, atque deinceps alii Reges ex eadem familia, donec ad Arganthonium ventum est, quem regnasse annos octoginta, vixisse autem centum quinquaginta autores sunt Anacreon, Herodotus, Strabo, & ex Latinis Cicero, Valerius, Plinius, aliq; complures. Ante excidium Troiae, annos prope ducentos, quo tempore Israeliticum populum iudicabat Debora cum Baracho, qui fuit ante salutem Christianam annus millesimus circiter quadringentesimus, Dionysius, qui & Liber pater est cognominatus, cum exercitu in Hispaniam venit, non tam dominationis cupiditate, quam ut parem gloriam reportaret ei quam ex superata India retulerat. Itaque viator nullum aliud sui aduentus apud nos vestigium reliquit, quam quod in Baetica inter aestuaria Baetis fluminis Nebrisam patriam meam condidit, quodq; ex Lysia itineris sui comite ac socio Lysitaniam appellavit, atque ut in aliis multis, ypsilo verso in uocalem, postea cognominata est Lusitania. Eodem præterea tempore Zacynthis & ipsi quoq; Herculis comites ex Zacyntho maris Ionii insula, non procul à Cephalonia quam superioribus annis exercitus noster expugnauit, Hispaniam petiere, qui Sagunto urbe condita, Diana quam ex patria secum aduexerant, templum in signe construxerunt. Cuius religione inductus Hannibal cum oppidum expugnaretur, iusit parci & templo & iis qui se in templum receperant. autor est Plinius, quietiam addit, adhuc suo tempore durasse trabes ex iunipero, quibus templi contignatio erat contexta. Post Liberum patrem annos prope centum sub tempus Gedeonis iudicis Israel Hercules, quicunque tandem ille fuerit, Hispaniam illustravit, qui superato Geryone viator in patriam rediit, Ceretanis via sua comitibus relictis, qui Pyrenæi montis radices incoluerunt. Nam quod de Pyrene nympha ab Hercule compressa Silius Italicus prodit, tanquam fabulam Plinius excludit. Illa vero que de Caco sive Caio monte, & de Hispano, Liberia, Pyrrhoque dicuntur, à nuguendo quodam fabulatore conficta sunt. Troia euersa, ex Græcorum & eliquis complures eodem quoque tempore in Hispaniam nauigarunt, atque in primis Diomedes Tydei. AEtolorum Regis filius, qui post excidium Troiae cum comparsis et AEgialam uxorem à Cilleboro Siheneli filio adulteratam, præ pudore in Italiam migravit, conditam in Appulia urbe Argirippa, atque inde in Hispaniam prouectus Tyden in Gallicia urbem ex nomine Tydei patris sui dictam fundauit, populosque inter Minium & Lethen fluvios rexit, quos nomine corrupto pro Graisis, hoc est, Græcis, ulitera interiecta Grauios dixerunt. Sub idem quoque tempus

Teucer

Tenet Telamonis filius, atque Aiacis frater, quos pater ad bellum Troianum miserat ealege, ut alter sine altero non rediret, mortuo Aiae cum à patre in patriam non reciperetur, in Cyprum nauigauit, ubi Salamine urbe condita in Hispaniam proiectus, Carthaginem nouam, quae & Spartaria cognominata est, à fundamentis excitauit, quam postea Hasdrubal Carthaginem dux restituit. Teuerietiam comites Hellen & Amphilius in Galliciam inde profecti duo considerunt oppida ex suis nominibus appellata. Vlysses præterea in decennali illo suo errore Hispanie exteriore lustrauit oras, ubi Olysiponem urbem ex suo nomine cognominatam fundauit, atque ibi Miuerue quam peculiarier colebat, templum erexit. Autor est Asclepiades Myrleanus, qui in Turdetania prouincia Betica litterarii ludi magister fuit. Is monumenta quædam de Vlyssis errore in templo illo se vidisse commemorat, parmas suspensas, & aplustra, rostraque naualia. Per idem tempus, quemadmodum scribit Silius Italicus, Astur auriga Mennonis, quem Titonus ex Auriga genuit, in Hispaniam quoque nubibus est appulsa, ubi Asturicae urbi à se conditæ atque Asturibus nomen ex suo nomine communicauit. In eandem quoq; Hispaniam Iberes Asiae populos Albanis Colchisq; fini imos venisse, autor est M. Varro. Sunt tamen qui dicant nostros in Asiaticam Iberiam penetrasse, quod est consentaneum et quod in parte superiori de Ibero Rege scripsimus, ut in dubio relinquatur, utri populi alteris nomine in dederint. Ex Asia quoq; in Hispaniam nauigauere Phœnices octingentis annis ante Christianam salutem, quo tempore mari imperio potiti sunt. Causa vero huc nauigandi fuit mercium permutandrum ratio, auri maxime & argenti & æris, quæ ex incendio Pyrenæi montis fluxisse autor est Diodorus Siculus. Considerunt etiam in ea nauigatione urbes quamplurimas in insulis Hispanie adiacentibus, utræq; Baleares, hoc est maiorem minoremq; utramq; Pityusam, id est, Ebusum & Ophiasam, & in Oceano exteriori Gades Herculis cognominatas: in continentii quoq; in nostri maris ora Mellarium, Malacam, Hexos, Abderam. Ex Phocide inter Atticam & Boeoticam regione penetrauerant in Hispaniam Greci, urbemq; in collimitio Baeticae & Tarragonensis prouincia fundauerunt Castulonem, ex nomine Castaliis fontis in monte Parnasso, à quo Musæ Castalides cognominatae sunt. Ex eadem urbe Hannibal uxorem duxit Hamilcensem, ex qua natus est illi Aspar in obsidione Sagunti. Massilienses etiam à Phoenicibus oriundi Emporias Indigetorum urbem, & à qua non longe Rhodii Rhoden, considerunt. Lacedemonii quoq; Laconimurgos & Laconium in Baetica, & alterum Laconium in Lusitania posuere. Venere præterea variis temporibus Persæ, Massagetes, Sarmatae, Celtæ, qui per omnem Hispaniam oppida complura excitarunt. Annos circiter tercentos ante Christianam salutem Gaditani cum terra mariq; florerent, atque illorum potentia inuidiosa foret, à finitimis bello latetis supprias à Carthaginensibus petierunt, qui non modo consanguineis supplicibus opitulati sunt, sed & Hispanis bellum intulere. Quo deinceps cum validiori exercitu Barcam, deinde Hamilcarem duces suos miserunt. Hic per annos nouem magnis rebus gestis in insidiis ab hostibus illectus occiditur. In huius locum Hasdrubal gener est substitutus, qui & ipse octo annis omnem Hispaniam usque ad Iberum amnum Carthaginem ditionis subegit, & fædus cum Romanis renonauit, ut Iberus finis esset utriusq; imperii, Saguntinis qui in parte Carthaginem erant exceptis, propterea quod eo tempore in societatem Romanorum fuerant recepti. Sed & Hasdrubal à seruo, qui ut mortem domini uiciferetur, occisus est. In eius locum Hannibal Hamilcaris filius Imperator ab exercitu salutatus succedit, qui Sagunto expugnata, quod reliquum fuerat Romanorum, suo imperio adiecit. Circa ipsa 40 belli Punici secundi initia, Cn. & P. Scipiones in Hispaniam cum exercitu à Romanis misi, primo aduentu magnam prouincie partem in studia partesq; Romanorum flexere. Sed illis occisis cum omnia essent incerta, nemog; inueniretur qui succedere illis vellet, P. Scipio P. Scipionis nuper occisi filius, qui postea Africanus est cognominatus, imperium sibi depoposit, atq; in Hispaniam profectus exclusis Carthaginensibus uniuersam populo Romano restituit. Atq; ita sub Romanorum dominatione fuit ad Gotorum, Vandalorum, Alanorumq; tempora annos propemodum sexcentos. Hos Roderico ultimo Gotorum Rege fugarunt, atque Hispaniarum possessione spoliavere Pœni Mauri, qui totam fere aut magna ex parte per annos circiter septingentos quinquaginta tenuere, quoad nostra ætate ductu atque auspiciis optimorum Principum Ferdinandi & Elisabes pulsi sunt, atq; Hispania tota sibi ipsi restituta est. Quod vero Plato in eo dialogo qui Timæus inscribitur, atq; iterum in volumine quod de 50 bello Atlantico scribit, Atlantes ex Erythea insula Hispania adiacenti per Galliam Italiamq; cum magno exercitu omnia populantes inuasiæ Athenas, atq; tandem ab Atheniensibus fusi deletosq; totum hoc commentitum videri potest, quamquam Plato, non ut fabulam, sed quasi veram historiam senarrare testetur. Nam neque quæ sit Erythea insula Gadibus contigua ego video, neq; alios Atlantes noui, nisi qui sunt in Africæ continenti: nisi forte, quod refert Plinius, in totum abstulit terras mare quod nunc Atlanticum dicitur. Illud præterea quod in historia quam vocant generalem, vulgo legitur, venisse in Hispaniam nescio quos Almonides, nemo arbitror dicet mihi, qui sint illi, aut quid egerint, aut quo postea concesserint. Quin potius ausim affirmare, nunquam fuisse tale genus hominum, sed totum fuisse confictum ab aliquo fabularum concinnatore. Nisi forte quisquam velit dicere, sumptum esse illud ex Ouidio, qui in quintodecimo transmutationum volumine

scribit Mycillum Alemonidem ex Gracia in Italiam penetrasse, ibique Crotonem urbem condidisse, licereque historico atq; poetæ, undecumque accepta materia, suum opus contexere. Nam quod Diomedes Siculus scribit accolas Sicoris fluminis Hispani qui agrum Ilerensem rigat, venisse in Siciliam atq; ex suo flumine Sicanie nomen illi indidisse, cui Seruius quoq; Grammaticus aspiciatur, quid si magis credi oporteat Solino & Martiano, qui à Sicano Rege ante belli Troiani tempora eonauiganti ut regnaret, dictam fuisse putant? Sed esto, Hispani Sicoris accolæ venerint in Siciliam, hac erit rara Tarragonenses ad imperium eo acciti sunt, & ab hinc duo de septuaginta Alphonsus eorundem Rex fortunatissimus, huius nostri Ferdinandi Regis patruus, Neapolitanorum atque Appolorum regno potitus est. Sed unde obsecro tanta ignavia nostrorum animos occupauit, ut per tot annorum volumi na non modo non lacestierint bello exter as nationes, sed neq; se ipsos ab hostium incursu tutatis sint. Quo minus ignoscendum nobis est, quod non arma, non equi, non commeatus, non reliqua bellum instrumenta, non denique animus ad propulsandas atque etiam ad inferendas iniurias deest. Quid: quod ea est regionis natura, ut ab omni latere munita sit, hinc mari nostro, illinc Atlantico atq; Britannico, atque ubi continent adnectitur, arduis præeruptisque montibus inaccessibilis. Hispania, inquit Florus, nunquam animus fuit aduersum Romanos universæ consurgere, nunquam inferre vires suas libuit, neque libertatem suam tueri publice, alioqui ita undique mari Pyrenæoq; vallata est, ut ingenio situs nec adiri quidem potuerit. Sed antea à Romanis obsessa est, quam se ipsa cognosceret, & sola omnium prouinciarum vires suas, posteaquam victa est, intellexit. Hæc Florus. Vnde igitur iam grauitorpere passa est sua regna veterno? An quia gentes exteræ aut soli malignitate, aut finium angustia laborantes, cum nouas sibi quererent sedes, audita cali clementia atq; terræ fertilitate eos se consuluerunt, cum è diuerso indigenæ omnium rerum copia affluentes nullam haberent causam que illos cogeret patriam deserere? An quia ceteræ nationes quantumvis liberæ, ducibus suis in bello haud gruante obtemperant facilimeq; sub disciplina militari continentur? Ex quo fit, ut milites neq; tam cimbros commeatus petant, neque sint aut emaniores, aut stationum suarum deseriores. At Hispania est animi peruicacia, ut neque cupiditate aliis imperitandi, neque communis libertatis defendende causa, neq; vita dulcedine persuasi alteri quam Regi suo parere velint. Quare euocati non facile conueniunt, coactiq; diu per stare nequeunt. An quia cali vertigine impulsuq; syderum ab ortu ad occasum lege quadam fatali regna transmutantur? idq; experimento haud dubio videmus, quod cum ex paradiſo voluptatis qui ad Orientem solem à Deo plantatus est, primi parentes egressi genus homi, num propagassent, prima monarchia in Assyrios, & ab Assyriis in Medos, & a Medis in Persas, & a Persis in Macedones, & a Macedonibus in Romanos, & a Romanis in Gallos Germanosq; cum cali conuersione translata est. Nunc vero quis est qui non intelligat, quanquam titulus imperij sit in Germania, rem tamen ipsam esse penes Hispanos Principes, qui Italia magna partis atq; maris nostri insularum domini iam moliuntur bella in Aphricam transmittere, atq; missis clasibus cali motum secuti iam pertingunt insulas Indorum populis adiacentes. Neq; eo contenti, alterius orbis magna parte explorata parum abest, ut Hispania atq; Aphrica finis occiduus cum orbis terrarum fronte orientali adiungatur. Sed ut ad nostri sermonis exordium redeamus, vides amice lector, quantæ se nobis res describenda offerant, non modo bella, quæ fuerunt necessaria ad stabiliendaregnorum fundamenta cum Lusitanis, ut Hispania daretur unum caput, cum Pænis & Gallis ad consuendos resarcendosq; sinus quifuerant auulsi, cum Italiam ad augendas imperii vires, cum Indorum insulanis ad propagandam Christiani nominis religionem. Quid illa domestica repurgasse religionem, vindicasse reip. vicitoria, hoc est, regale patrimonium ius suum cuig; reddidisse. Vides, inquam, quam longe lateq; pateat rerum scribendarum campus, ut quanquam natura neget, ipsa tamen materia amplitudo, indulgentissimq; Principis nostri fauor, ingenii vires per quam exiguas excitare posset.

AELII ANTONII NEBRIS.

SENSIS, REGII HISTORIOGRA-

PHI, EXCUSATORIA PRÆFATIO, IN QVA ENUME-

rat difficultates quæ scriptorem rerum gestarum, tam Hispana-

rum quam Hispaniensium, ex locorum personarumque et a-

liarum rerum temporis nostri nominibus con-
sequuntur.

Scripturo mihi res Hispanas atque Hispanenses, quæ Ferdinandi atque Elisabes Principum auspiciis gestæ sunt, ingens quædam sylua occursat, immensumque aperitur opus, & quod ab vnius hominis integra ætate perfici non possit, nedum ab homine præcipiti iam senio confecto. Et quanquam sunt multa quæ mentis meæ aciem perstringunt, nihil tamen est quod me magis à scribendo deterreat, quæ locorum atque hominum propria nomina, quæ maiori ex parte usq[ue] ad eos sunt aspera & dura, ut nullo cultu molliri, nulla diligentia possint mansuescere. Accessit altera non minor difficultas in nominandis Latine publicis magistratibus, cum in plerisque alia sit nostro tempore forma reip. quam ea quæ

Hoc in loco in Nebrisensis autographis desideratur folium, quod ab improbo aliquo suffuratum non dubito.

rissima omnium foeminarum, atque proinde omni immortalitate dignissima huius nominis ^{tertia} Hispaniarum Regina. Frâscus Noianus in Sicilia Cephalœditanus episcopus & Antonius Geraldinus Apostolicæ sedis logotheta, viri pangendis carminibus omniumque qui apud nos peregrinati sunt (Petrum Martyrem meum semper excipio) eruditissimi, atq[ue] ingenio propemodum singulari, in epigrammatiis ad eandem Reginam scriptis Elisabetam vocabant, quam appellationem ipsa non dissimilanter auersabatur. Baptista Mantuanus adhuc licentius alludens ad nomen Didus, Elisam dixit adiecto Bel- la cognomento. Alii ex Euangelio cognominem Zachariæ vxori Elisabet vocitabant. Quid si nos non Elisabet, non forma declinabili extensione vnius syllabæ Elisabetam, nō Eulam Bellam, non corrupto nomine Isabelam, sed Elisaben cum doctissimorum virorum usq[ue] ex declinatione Græca dixerimus. Nam cum sit hæc vox origine Hebraica, eius literatura ex Hebræo fonte petenda est. Duas omnino huius nominis foeminas in sacra scriptura legimus, alteram in veteri Testamento, filiam Aminadab atque Aaron sacerdotis uxori, alteram ex qua, ut Euangelista scribit, Zacharias Ioānem Baptistam genuit, quæ prioris illius Elisabes quasi gentilis nomen referebat, cum præsertim fuerit ex eadem familia. Vxor, inquit, Zachariæ fuit de filiabus Aaron, & nomen eius Elisabe. Sic enim debet scribi, & non per t exile, ut Græci, vel per th aspiratum in fine, ut Latini scribunt, ex Hebraicaliteratura manifestum est. Interpretaturq[ue] Dei mei iuramentum, siue Dei mei septima, siue Dei mei saturitas. Sabe namq[ue] per sūn scriptum, iuram . . . in siue septem significat, per saine vero, abundantiam, ex Hieronymo, Remigio, Samuele Talmudista, omnibusq[ue] Hebræis. Vnde tamen siue t exile, siue th aspiratum in hoc nomine irrepserit, alibi disputauimus. Nos vero interim cum plerisque viris doctissimis Elisabe accentu in penultima acuto eademq[ue] breui ex Græcorum regula proferemus, quæ etiamsi sit breuis ex Græcorum regula, ultima existente longa non patitur accentum in tertiam à fine syllabam transferri.

Tertia difficultas à magistratibus.

TERTIA difficultas accessit à nominibus Principum, magistratumq[ue], & officiorum, ex eo quod apud antiquiores aliæ fuerunt rerum publicarum formæ quam sint nostro seculo, atque proinde alii magistratus, cum præsettum ex aristocracia Romatorum Latinæ appellationes in regiam gubernationem sint transferenda. Sed sunt quædam nomina Latina, quæ ex æquo Hispanis respondent, ut Regi, Rei: Duci, Duque: Comiti Cōde. Quædam cum sint multa, atque proinde videantur esse diuersa, in idem tamen recidunt, ut qui Regum temporibus fuit Tribunus celerum, sub Consulibus fuit Magister

equitum, sub Imperatoribus Præfectorus prætorio, si magistratus à nostris dicitur Capitan de la guarda, cum alioqui Præfectorus prætorio sit prouocationum Iudex. E diuerso idem nomen aliquando variis accommodatur officiis, vt præses, ei qui præsidio tenet arem, Alcaide vero Punico vocabulo Hispani vocant, & ei qui urbem, siue castellum, siue mōtium iuga, vel fauces, siue locum alium armis tueretur, Capitan de guarnicion vulgo dicitur. Qui præterea Hispane dicitur Corregidor, si urbem siue municipium præsidio tenet, præses est: si rem fisci agit, procurator: si tantum iuri dicundo præst, prætor: si vice regis fungitur, proconsul. Sunt etiam vocabula, quibus nihil in altera gubernatione respondet, vt ei quod est Dictator siue Censor apud Romanos, nihil respondet apud nos, & ei quod est apud nos Marques aut Almirante, nihil respondet apud Romanos. Quare in huius modi rebus nomina fingenda sunt, vt illum appellemus Marchionem, quasi à marcha, hunc classis præfectum, aut si te magis Græca delectant, Nauarchum siue Architalassum dicere licebit. Nam Archimarinus, quo aliqui vtuntur, neque Latine diceretur, cum nullum sit nomen quod ex duobus peregrinis componatur. Atque idem de aliis rebus est faciendum quæ non constant natura, sed hominum arbitrio cotidie immutantur. Ex hoc genere sunt vestes, arma, naues, vasa, instrumenta machinæ. Trecenti, aut non multo plures anni sunt, ex quo inuentum est hoc tormenti genus, quam vocant bombardam, & in eo genere multæ diuersitates. Sed cum res nuper inuentas non possis Latine dicere, fingenda sunt nomina, vt quod vir quidam doctus nimis audacter de Ostia Tiberina dixit: Tunsa iacet bombis ardentibus Ostia, &c. Alii sulphuratas aut nitriarias machinas, aut aliquid tale fingere ausi sunt. Nam sclopetra quod à sono dicatur, hoc est, ab spiritu illo sonoro qui ex buccarum perflatarum compressu erumpit, haud dubium est. Cum sit igitur à nobis omnium quæ scripturi sumus, reddenda ratio, illarum maxime quæ possunt lectorum vel auditorum aures offendere, visum est, anteaquam remissam aggrediamur, causas attingere, cur in eiusmodi nominibus præter aliorum communem usum tanta licentia vbi simus, ne sit nobis necesse, in medio operis cursu in hac tametsi non penitus aliena, diuertere: atque imprimis de iis quæ ad locorum rationem, hoc est ad cosmographiam pertinent.

Descriptio totius Hispaniae.

HISPANIA ab omnibus lateribus pelago abluitur, nisi quatenus ab Oriente, qua est angustior, aquarum diuortiis Pyrenæi mōtis à Gallia distinguitur. Is à Veneris templo, quod est promontorium prope Illiberos, initium capit, inde in ipsam Hispaniam, hoc est, in Caurum ventum incumbens porrigitur, desinit in ora septentrionalis Oceani ad Oeasonem. Vnde ipsius Hispaniæ septentrionale incipit latus, tenditque in Zephyrum, id est, occasum æquinoctiale per Vasconum, Cantabrorum, Asturum, Callaicorumq; littora, terminaturque in Nerio Artabrorum promontorio. Ab eo latus occidentale inchoatur, rectaque in Austrum per Callaicam Lusitanamque oram ad sacrum promontorium tenditur, deinde per Bæticæ littora hyemalem ortum versus ad fretum Herculeum contrahitur. Inter Calpen Hispaniæ & Abilam Aphricæ promontoria Oceanus ab occasu influit terras, quæ ante Herculem, quemadmodum est in fabulis, fuerant continentes. Atque ita novo Nostri maris nomine Hispaniam à læua, à dextra Mauritiam Tingitanam relinquens, ortum æquinoctiale, & quo ulterius procedit, magisque Europam vndis obrueus, dum se per Bæticæ atque Tarragonensis prouinciaæ oram meridionalem explicat, Hispaniam contrahit ad promontorium siue templum Veneris, vnde paulo ante illam fecimus exordium capere. Atque in hunc modum longior quam fuerit eius latitudo, & iuxta Pyrenæum non modo confini Gallia, sed angustior se ipsa, quemadmodum inquit Strabo, exhibet nobis imaginem pellis vaccinæ in solo explicata. Interna Hispaniæ in tres partes diuiduntur, in Bæticam, Lusitaniam, Tarragonensemque. Hæc citerior, illæ ambæ uno nomine Hispania ulterior vocitantur. Bætica à septentrione terminatur Anæ fluvio: ab occasu Atlantico Oceano, qui interiacet Anæ ostium fretumque Herculeum: à meridie mari Nostro, quod est inter fretum & Charidemi promontorium: ab oriente vero terminatur linea quæ protenditur à promontorio eodem per Castulonem, cuius vestigia hodie monstrantur, quindecim millibus passuum occidentem æquinoctiale versus à Biatia, deinde recta ad fluuium Anam, vbi est oppidum quod Oretania vetus cognominatur. Lusitania à septentrione terminatur amne Duria, ab ipsius ostio, qua erumpit in Oceanum Atlanticum flumine aduerso, ad pontem qui est è regione ad Septimancas. Ab occasu terminatur pelago Atlantico quod est inter Duræ atq;

atque Anæ fluuium. A meridie habet latus quod diximus à septentrione Bæticam habere. Ab oriente terminatur linea recta, quæ dicitur ab Oretania veteri ad pontem Duriæ, qui nunc est contra Septimancas. Quod reliquum est Hispaniæ complectitur prouincia Tarragonensis, quæ habet terminos à septentrione Oceanum Britannicum, ab OEasone ad Netium siue Artabrorum promontorium: ab occasu littus quod est inter idem promontorium & Duriæ ostium in Atlantico Oceano, & latera orientalia quæ diximus Bæticam & Lusitaniam habere. A Meridie terminatur latere quod à septentrione dedimus Lusitaniam, & nostri maris ora, quæ est inter Charidemi promontorium & Veneris templum. Ab oriente habet Pyrenæos montes, quibus diximus Hispaniam à Gallia disternari. Ex iis quæ dicta sunt, conuincitur error illorum qui eam quæ nostro sæculo Portugallia dicitur, Lusitaniam appellant: cum Lusitania latius pateat, quippe quæ complectatur Castrum, Castra Cecilia, Castra Iulia, Placentiam, Abilam, Salmanticam, & eam quæ nunc Ciuitas Roderici nuncupatur. Atq; è diuerso pars illa Tarragonensis prouinciæ, quæ interacet Duriam & Limiam, qui alio nomine Lethes quoq; vocatur, Portugallensium regi contributa est, quam tamen in historia Lusitanorum regem nominauimus, ita tamen per totum eius potissimum partem intelligamus. Eadem præterea ratione qui nomine corrupto nuncupatur Aragoniæ rex, Tarragonensium regem semper in historiæ diximus, cum alioqui Tarragonensis prouincia præter Bæticam & Lusitaniam, omne quod reliquum est Hispaniæ contineat, apud antiquissimos tamen Romanos Tarragonensis tantum vocabatur portio illa breuis quæ citra Iberum amnem erat, dicta à Tarracone eiusdem regionis vrbe nobilissima. Neque sunt audiendi qui furore quodam Bellonæ perciti diuinant, aut illa quæ somniarunt, dicunt se pro comperto habere, quod Aragonia dicta sit ab Arago nescio quo flumine, appellato sic ex eo, quod Hercules quo tempore in Hispaniam venit, ad ripas eius amnis aras erexit, ad quas egit pecudes sacrificaturus: itaque dictus Arago ab ara & agendo, vnde sit postea ductum Aragoniæ nomen. Hæc speciosa dictu sunt, si autore aliquo vel mediocri defendi possent. Quæ vulgo nunc Andaluzia, Gothoru temporibus à Vandals habitatoribus Vandalia nuncupata, ea putatur esse quæ fuerit apud Græcos & Romanos Bætica, & nos totam Bæticam Vandalia contineri dicimus, sed non idcirco tota Bætica est Vandalia. Nam Murgi, Mentesa, Vbeta, Biatia, Tarragonensi prouinciæ cedunt, quæ tamen sub Vandalia comprehenduntur. Portio illa quoq; Bæticæ, quæ protenditur inter Anam fluuium montesq; Marianos, quæ Magistratibus divi Iacobi & Traiano ponti contributa est, à nemine in Vandalia connumeratur. Quare & nos non omnia dabimus antiquitati, sed neq; semper incertū vulgus sequemur: fugiemus tamen, quoad fieri poterit, barbaras appellationes, sequemurq; voces sermoni Latinovisitaras, etiam si tantundem non valeant. Itaq; Portugallensium regem Lusitanoru potius appellabimus & Aragonensium regem potius Tarragonensium, & Nauarioru potius Vasconum & Castellanorum potius Hispanorum, non ignorantes Lusitaniam & Tarragonensem & Vasconiam latius patere. Apud antiquissimos sub Hispaniæ nomine continebatur Narbonensis prouincia Neumafium vsq; & Auenionem, deinde sub Romanis principibus contracti sunt fines ad Pyrenæum. Atq; iterum Goths reges ad terminos illā priscos extenderunt. Vnde & in cōciliis quæ sub Gothorum principibus in Hispania sunt habita, Narbonenses, & Bessenes, & Carcassenses, & Carpentoractenses, & Helenenses, & Beterenses Episcopi nomina sua in decretis subscripti serunt.

De montibus Hispaniæ.

INER Hispaniæ montes Pyrenæi altitudine cæteros excedunt, cognominati, vt Silius Italicus in primo Punicorum volumine scribit, à Pyrene nympha Bebrycis Indigenæ principis filia, quam Hercules illac traiciens violato iure hospitii vitiauit. Aut si quis non admittit poetarū fabulas, quemadmodum Plinius, qui tertio libro naturalis historiæ scribit totum illud de Pyrene fabulosum esse, credat Diodoro Siculo, qui libro sexto bibliotheces prodit, dictos Pyrenæos esse à pyr vocabulo Græco, quod Latine vertitur ignis, quo montes illi diu conflagrarent. Hi, sicut in superioribus dictu est, posteaquam à templo Veneris ad OEasonem disternarunt Gallias ab Hispania, per Cantabros & Astures maritimis porrecti occidentem æquinoctialē versus in Gallicia tandem euanscent. Idem præterea montes ab ortu solis in occasum porrigunt brachium per medianam Hispaniæ longitudinem paribus interuallis, ad eos quos diximus protendi per oram maritimam ab OEalone in Galliciā. Hoc Pyrenæi brachium distinguunt Hispanos, vt hi vocentur Citramontani, illi vero Ultramontani, terminaturq; ad in ora Lusitanæ occidentali. Est & lubeda mons, quem Saltū Aucensem hodie vocant, ab Auca vrbe antiquissima vnde

incipit, cuius vestigia cum nomine adhuc visuntur iuxta Villam Francam, oppidum supra Burgos circiter viginti passuum millia. Dicitus est autem hic mons lubeda à Iubeda Iberi regis filio qui à Berofo Chaldæo ibidem regnasse traditur. Hic mons ab Auca pretenditur meridiem versus & que distanter Pyrenæis montibus, arcens Iberum amnum ne fluat in occasum, quo cætera Hispanæ flumina maiora influant in mare occidentale. Mons quoque Orospeda initium capit non longe à noua Carthagine, tenditque in occasum per nostri maris oram maritimam tangens Illiberos, Malacam, Arundam: deficitque tandem in Atlantici maris ora contra Herculis Gades. Mariani montes incipiunt à Tygensi saltu, porrigunturque occasum versus per medium Bæticam, euanescuntq; in mari Atlantico. Hos Ptolemæus corrupto nomine Temerianos vocat pro Marianis. Sunt & atlanticis complures Hispanæ montes, sed ut brachia siue articuli superiorum quatuor sunt, aut per se colles potius dicendi, quam montes.

De maximis fluminibus Hispanie.

FLVMINA, quemadmodū & montes, crebro memorantur in historiis, præterea quod sunt à natura posita quasi fines regionum æterni, per quos in cognitionem multarum rerum perueniemus. Quare visum est de amnibus Hispaniæ qui maxime principes sunt, aliquid delibare, & in primis de quo Lucanus, *Qui ferit Hesperiam post omnia flumina Baetis.* Hic ortus in Saltu Tygensi non longe à Castaone fluit in occasum, atq; ab Andugaro Bæticam medium secat, & prouinciæ nomen imponens, eius vrbes nobilissimas Cordubam, Italicam, Romuleamque quondam Hispalim vocitatem præterlabitur. Hæc à Poeniss deinde Spilia, & à barbaris postea inuersis literis prioribus, & p in b mutata, Sibilia dicta, nunc Seuilla nominatur. Tandemq; per vnum ostium exit in mare iuxta municipium quod Luciferi templum ab antiquis dicebatur. Olim hic fluuius duo habuit ostia, quorum alterum quod erat meridionalius, oblitum est cum alueo eodem pertinente à Nebrisso per Astam coloniam ad Turrem Capionis. Ex quibus facile soluit illa dubitatio quæ solet harum rerum curiosos mouere, & meipsum plarumq; ambiguum reddidit. Cum Strabone, Ptolemæo, Mela, Plinio, omnibus cosmographis autoribus, Nebrisso & Asta colonia inter æstuaria Bætis positæ sint, qui potuit fieri, vt hodie non paucioribus quam octonis passuum millibus à flumine distent? Nimirum, quia vt statim dixi, alueus ille qui Nebrisso & Astam præterfluebat, oblitus est, sic tamen, vt illius vestigia hodie visuntur cum æstuariis atq; diorygibus manu factis, vt inquit Strabo, ad exportandas scaphis & lintribus fruges ex agris in vicinas vrbes. Sed quemadmodum à Bæti fluui Bætica nomen accepit, ita ab Ibero amne vniuersa Iberia cognominata est, qui vnum ex omnibus Hispaniæ fluminibus in Austros defluit, cum reliqui omnes ab ortu in occasum delabantur. Cuius rei causa altius mihi nunc repetenda est. Per medium totius orbis cognitioni ab ortu Solis ad occasum porriguntur excelsi montes, quasi dorsum quoddam terræ, ex quo omnia prope flumina oriuntur partim ad septentrionem, partim ad meridiem. Hi montes dum per Indias tendunt, appellantur Caucasus: cum per Syrias, Taurus: cum per Ciliciam, Amanus. Tum duo porrigit brachia, alterum per Isthmon interiacentem sinu Arabicum atq; mare Nostrum, deinde per medium Aphricam procurrente usq; ad t[er]r[am] maris Atlantici promontorium. Alterum præterea brachium porrigit per montes incognitos, qui iunguntur montibus qui diuidunt Thraciam à Macedonia, qui deinceps respondent alpibus Italiz, à quibus per omnem longitudinem surgunt in Apœnimum. Tum per Cemenos montes medias Gallias pertinentes applicantur Pyrenæo, à quo, quemadmodum paulo ante diximus, porriguntur montes qui Hispaniam diuidunt per medium longitudinem, desinuntque in ora maris Atlantici iuxta Lusitanæ oppidum. Cum itaque omnes fluuii capitales ex causa superius tradita partim in septentrionem, partim in meridiem delabantur, sola Hispaniæ flumina fluunt ab ortu Solis ad occasum, euntq; recta in Atlanticum pelagus, præter Iberum amnum, qui, vt diximus, à Septentrione labitur in Austru, ab Iubeda monte prohibitus ire occasum versus. Anas igitur in agro Laminitano prouinciæ Tarragonensis ortus, nunc se in terræ cuniculos mergens, nunc in stagna refundens, quemadmodum paulo superius dictu est, ab Oretania veteri secundo flumine Bæticæ à Lusitania disternat, præterlabiturq; Ceciliam Gemellinæ, Emeritam, Pacemq; Augustam Lusitanæ vrbes præclaras, factoq; flexu anteaquam in Atlanticum pelagus exeat, per duo ostia non procul à effunditur. Tagus in Celtiberia Tarragonensis regione ortus Carpetaniam secat, deinde Talabricam præterfluit, & à ponte quem nunc Archiepiscopi vocat, Lusitaniam diuidit medium, atq; non longe ab Olyssipone in Atlanticum erumpit Oceanum. Hic à Poetis aureas arenas in mare traditur voluere, quod non omnino fabulosum est, cum cernamus nunc in eo bracteolas aureas per medias arenas interlucere. Durius annis

amnis oritur in Pelandonibus prouinciae Tarragonensis, fluitq; in meridiem quoad perueniat Numantiam urbem Celtiberorum clarissimam, deinde flectitur occasum versus, præterfluensq; Clunensis conuentus oppida nobilissima à ponte qui situs est è regione ad Septimancas, Lusitaniam à Tarragonensi determinat, per Turrem sellarum, Taurum, & Oclum, tandem exit in Oceanum Atlanticum iuxta urbem quam vocant portum Callaicorum. In Lusitania flumen est Munda in eadem ortum, exitque in Oceanum quoque occidentalem. Est & in Bætica ciuitas eiusdem nominis, iuxta quam Cæsar Pompeii liberos superauit, bellisque ciuilibus finem imposuit, quamquam sunt qui accipiant urbem pro fluvio, & fluuium pro urbe, cum inter flumen & urbem interfint centum parasangæ, aut non multo minus. Limiam Gallicæ flumen, quod antiqui Lethen, hoc est, obliuionis appellauere, & Minium amnem quoque insignem eiusdem Gallicæ, quem Poetæ dicunt voluere in pelagus arenas aureas, id quod de Tago diximus. Et de amnibus Hispaniæ magis insignibus hæc dixisse sufficiat, nunc de regionib. populis, urbibusq; differendum est.

CÆTERA DESUNT.

ÆLII ANTONII NEBRIS-
SENSIS, HISPANARVM RERVM
FERDINANDO REGE ET ELISABE RE-
gina gestarum, primæ Decadis
Liber primus.

Præmittit quadam necessaria ad sequentis historiæ declarationem.

CAPVT I.

ENRICVS huius nominis tertius Hispaniarum rex, qui ex longa valetudine Valetudinarius est cognominatus, cum obiret diem suum, Ioannem bimulum fere puerum quem ex Catharina filia Ducas Ioannis ab Alencastro Britanni suscepserat, sub tutela eiusdem Catharinæ vxoris ac Ferdinandi iunioris natu fratri, hæredem regnique successorē ex testamento reliquit. Qui cum ad pubertatis annos peruenisset, vxorem duxit Mariam patruo atque tutore suo Ferdinandogenitam, ex qua Enriquum primogenitum procreauit. Hæc postea quā vita funesta est, alteram superinduxit Elisaben, Ioanne Ioannis Lusitanorum regis filio natam: ex qua duos suscepit liberos, Elisaben matri cognominem, quæ postea Hispanorum auspiciatissima regina fuit, & Alphonsum, qui inter ipsa statim regni exordia morte immaturitate interceptus est. Cum vero institutum nobis sit, Ferdinandi atque Elisabes vxoris historiam Latino sermone prosequi, pauca de Enriquo & Alfonso fratribus repetenda sunt, vt ostendamus quo iure, vel quo potius nomine ad Hispanæ reipublicæ moderationem peruenerit, & qua via Ferdinandum prouinciæ Tarragonensis atque insularum nostri maris regem designatum coniugio sortita est. Enriquus ab Enriquo illo primo huius nominis quartus Hispanorum rex, Ioanne patre defuncto regni administrationem iniit, qui sub ipsa regnandi initia optimum principem gessit. Nam & aliquot expeditiones in Mauros Bæticæ inquilinos fecit, & regni populos ciuitatesque in summum tranquillitate continuit. Hic cum adhuc princeps esset (sic enim vocant Hispani filium regis primogenitum, qui omnium procerum & ciuitatum populorumque iuriurando futurus rex designatur) Blancham Ioannis Nauariæ atque deinceps Tarragonensium regis filiam duxit vxorem, sed ab illius nuptiis se continuuit, siue impotentia sua conscius, siue ex alia quadam ratione incognita. vnde ingentes sequutæ sunt querelæ atque dissensiones, altero in alterum sterilitatis causam reiiciente: donec controversia ad summum Pontificem deuoluta est, qui facta partium disquisitione, illos ad certum tempus lege coniugali soluit. Facto itaque diuortio Enriquus alteram superiouxit Ioannam Eduardi regis Lusitanorum filiam, ex quâ nihil magis quam ex priore liberos genuit. Cumque apud omnes Hispanos atque exteris quoque nationes con-

staret regis infœcunditas, idque multis experimentis virginum corruptarum, natu gran-
diorum, atque mulierum etiam vulgo prostitutarum omnibus testatum esset, quinto an-
no postea quam conuenerant, regina præter omnium spem deprehensa est concepisse:
neque fuit qui dubitaret illam à quodam ex regis amicis adulteratam, cuius nomen ho-
noris causa etiam nunc tacendum esse decreui. Sunt qui opinentur regem ipsum ex ca-
cozelia per manus, vti aiunt, in manus amico potiundam tradidisse. Quæ res cum non
solum apud regni priores, sed etiam apud infimæ conditionis homines certo cer-
tior esset, indignitate rei omnes permoti regem aduersari detestarique: reginam ve-
ro non dissimulanter odisse, quod virum tam insigni macula dedecorauerit: ipsum
vero tanti sceleris autorem violatæ fidei publicæ atque proditionis insimulare. Nonde-
fuerunt interea præsules & religiosi atque ordinis equestris boni viri, qui tum sermone
præsentes, tum per literas absentes regem hortarentur, suaderentque fœtum illum male
ominatum turpique ex adulterio conceptum ablegaret aliquo, vbi lateret æternum: atq;
eadem via & regis ipsius ignominia dilueatur, & regni pernicioſa illa fax intercederet. At
rex secum reputans reginæ conceptum non posse celari, atque proinde si partus cuius-
cumque alterius nomine exponeretur, magnum dedecus inde subeundum, nullum ex-
hortationibus monitisque amicorum reliquit locum: quin potius quicquid regina pepe-
risset, decreuit tollere atque pro suo educare. Peperit itaque filiam, cui inditum est no-
men Ioannæ, quæ multorum postea malorum causa fuit.

Ioanna Enriqui designatur Princeps, eaque abiurata Alphonsus substituitur salutaturque rex, ex
partium diſudio pugnat, vinciturque Alphonsus.

CAP V T II.

REx cum putaret se turpitudini suæ quasi velum quoddam posse prætendere, si puel-
lam profiteretur ex se genitam, simul etiam vt suæ virilitatis argumentum aliquod
reliqueret: ex primoribus regni alias pollicitationibus, quosdam etiam præmis, nouul-
los quoq; precibus, complures & minis, cum quibus etiam & ciuitatum municipiorum.
que procuratores inducens eo rem deduxit, vt suppositiam illam recens natam pro ve-
ra filia iureiurando principem regnique hæredem ex Hispanorum consuetudine desi-
gnarent: id quod est Madriti gestum. Quæ res cum publice transigeretur, à plarisque ta-
men secreto reclamatum est, dicentibus se iusto terrore compulsos peierasse, propterea
quod regis potentia esset illis tunc formidolosa. Qui non multum post tempus conscienc-
tia tanti facinoris adacti, remque ipsam professi palam à rege descierunt, missis oratori-
bus qui dicerent illi, se nolle stare iuriuando quod esset ab illis extortum, aut minis, aut
illicitis pactiōibus: quin potius illum per superos, perq; maiorum suorum manes, & per
ipsius regni maiestatē obtestabantur, puellam vel ipso teste atq; iudice ex fœdo concubi-
tu genitam abdicaret, ablegaretq; aliquo vnde nec nomen ad Hispanos vñquam redire
posset. Petiere insuper vt Hispanæ reip. prospiceret, ne quid detrimenti pateretur: quod
fieri non posset facile, nisi Alphonsum fratrē natu minorē declararet principē hæredē re-
gniq; successorē. At rex permotus siue conscientia, quæ valet pro mille testibus: siue quod
verebatur, ne proceres atq; populi, nisi id faceret, se ab imperio subducerent: siue quod
intelligebat, vno omniū consensu fratrē expeti, qui sibi succederet: oratoribus responderet,
quandoquidē iusta & honesta petebat se illorū precibus velle acquiescere: id quod est ab
eo factū ē vestigi. Nam & Alphonsum fratrē principē sibi successōrē regniq; hæredē de-
clarauit. Quæ res omnibus omnium ordinū viris qui modo erāt pacis & quietis amatores,
iucundissima fuit. Nā ex ea principis hæredisq; nuncupatione pax Hispanæ reip. haud du-
bie promittebatur. Cum deinde rex cœpisset omnia ex arbitrio paucorum agere, quippe
qui erāt illi voluptatū administri, idq; regni priores ægre ferrēt, cum vellēt alioqui rerū
nouitatē experiri, publica vtilitate neglecta, & quisq; sua cōmoda securus, dissidiū fecere.
Nam & altera pars Alphonsum principē designatū salutauit regē, dicens non esse paren-
dū homini tam molli & effeminato, tamq; rerū gerendarū negligenti & securō, & qui ne-
que proprio decori parceret, neq; publicę tranquillitati p̄tospiceret. Quare apī exemplo
eum qui sit deterior ex duobus regibus, neci dedendū, ignauumq; fucos pecus à præsepi-
bus arcendū. Altera vero pars Enriquum secuta excusat, quod esset rex, & ab illo quidē
vñctus in regem, cuius manu cor regis est, & per quem reges regnant. Quodque si ex ea
causa rex esset abdicandus, quod male rem gereret, non esset tolerabiliō illa gubernatio,
in qua puer vñdecim annorū, cuius ætatis tunc erat Alphonsus, regnatus erat: at-
testante

testante scriptura sacra, Væ terræ illi, cuius rex est puer. His se vtraque pars rationibus tuebatur apud multitudinem, re autem vera secreto sua quisque commoda sequebatur. Nec tamen erat animus vtrisque bello decernendi, quam cunctando vtriusq; regis potentiam infirmandi, quo facilius possent deinde pro sua libidine regnum inter se partiri: id quod postea experimento compertum est. Sed cum vtraque pars exercitus cogeret, atque opportunam castris sedem exploraret, Vlmetum simul contenderunt: siue quod locus ille tali situ est, ut qui eo potiretur, meliorem esset belli conditionem habiturus: siue quod fatalis ille campus moliebatur tradere victoriam regi qui potiorem videbatur causam habuisse, exemplo illius pugnæ quæ eodem in loco Ioanni regi de Ferdinandi liberis victoriā dederat. Congregatis igitur vtrinq; copiis, cū de conditionibus pacis non posset conuenire, neque fieri, quin signis collatis dimicaretur, victoria penes Enriquum mansit. Quod vero ea pugna citra voluntatem primorum fuerit, ex eo facile cōiectare licet, quod victores in persequendis belli reliquis non persistiterunt. bellum namque non tam finire quam protrahere volebant. Cum essent in procinctu acies, diceretque quispiam, Nulla ratio inueniri potest qua prælium hoc possit dirimi? Optime, facetus quidam homo respondit. Qua nam inquit ille. At hic rursus, si alter exercitus aufugerit.

Alphonsus obit, illiusque partes hortantur Elisaben sororem, ut regni sceptrum arripiat: quod illa recusat.

CAPUT III.

ALPHONSVS acie superatus sub tutoribus illis qui sibi in bello fuerant adiutores, vixit annos tres, obiitque diem suum Chardenioꝝ agri Abilensis exiguo pago, in pestilentia illa infami quæ per id tempus grassabatur. Erant autem ea tempestate cum illo qui suarum partium studia fouebant, Alphonsus Charillus Archiepiscopus Toletanus, Ioannes Patiequus qui ex Marchione Villenati Magister militiæ diui Iacobi Spathiferi fuit, Aluarus à Stunica Comes Placentinus, qui deinceps fuit Areuacorum Dux, Alphonsus Pimentellus Comes Beneuentatus, atque alii complures omnium ordinum viri principes. Qui ex morte sui ducis animo consternati, formidantes Enriqui regis auctam ex Victoria potentiam, quem probris & maledictis per literas perq; acclamations sæpe lacescierant, nullum aliud sibi præsidium ab irato rege inueniebant, quam si in demortui fratris locum Elisaben sororem quæ eodem tempore atq; in eadem erat urbe, substituerent, reginamq; salutarent. Sic enim posse & factionem suam confirmare, & cōmissorum impunitatē assequi, cum esset præsertim regis filia atq; soror unica, ad quam non minus hæreditariū regni ius, quam ad Alphonsum fratrem germanū pertinebat. Adeunt itaq; illam, & dicta acceptaꝝ salute, Alphonsus antistes Toletanus cui reliqui omnes primas orandi partes dederant, huiusmodi fere sermonē habuit. Si apud Deum immortalē vota nostra valuissent, optima Princeps, & tu iucundissimo fratre tuo nunc fruereris, & nos habemus regē quem sequeremur obseruaremusq;. Sed quando superis ita visum est, vt ille ramperetur, ne malitia forte mutaret mentē, aut quia placita Deo anima illius, tu sola nunc restas altera spes atq; unica lux, quæ possit Hispanæ reip. tenebras illustrare. Quanta reipublicæ labes ab Enriquo fratre orta est, ex eo tempore quo supposititiā illā, & quam simulabat esse filiam, hæredem reginamq; futuram etiam iureiurando procerū interposito designauit, optimè nosti. Sed fuit tempus illud primū tolerabile. Postea vero cum neglecta regni administratione, omni voluptatū genere affluens per quosdam impuratos contuberniales vniuersa negotia exequeretur, iurisq; & iniuriæ nullum tum esset discrimin, coacti sumus quasi in demortui regis locum regem alterū nobis sufficere, qui illius negligētia rem perditā instauraret. At nunc illo acerba nec indigna minus morte perempto, quid reliquum est, nisi quod bonum, felix, faustumq; sit, vt regni gubernacula suscipias, fessisque rebus atq; luxatis operam tuam opemq; accōmodes? Neq; est quod oblatam à nobis conditionē recuses, nisi mauis te ipsam, tuosq; ciues ire perditū. Nam si tu, ad quam regni successio ex iure manu consertū pertinet, non arripis occasionē, vide ne frater auctus hac quoq; parte quam nos tibi tradimus, totam regni molem in subdititiam illam tui æmulam transeat. Hæc Toletanus præful, cui reliqui primores sunt assensi. At illa ex recenti fratris obitu in mœrore ac luctu degens, paululū lachrymis & cogitatione morata, paucis tandem respondit. Ego venerande Præful, vosq; principes mihi charissimi, voluntatem istam quam geritis erga me, admodum laudo, atque proinde magnifico, & si quando mihi dabitur facultas, gratiam vobis cumulatissime referam. Sed qualis antehac mihi animus fuerit, quemque in præsentiarum habeam, quia, vt intelligo, vobis perspectum non est, breui

ostendam. Quo tempore frater meus idemque germanus mihi dulcissimus vobis adiutoribus rerum potiebatur, quia discorditer cum Enriquo fratre communi viuebat, nullo modo poterat mihi placere status ille reipublicæ. Nam quis sanx mentis probaret fraternalis acies, alternaq; bella pfanis decertare odiis? quis fas & nefas misceri, legesq; & iura violari? Quæ omnia ex bicipiti gubernatione illa sequebantur. Sed quoniam sic fata voluerunt, vt ex duob. alter alteri cesserit, nō censeo amplius repugnādū esse diuinæ voluntati, quæ bis iam manifestissimis argumentis declarauit, quid nos sequi debeamus, semel cum victoriam, atq; iterum cum fratri vitam abstulit. Quod si vos, ô amici Hispanæ reipublicæ cura tangit, illud potius curate, vt res ad illius imperium deferatur, cui Deus ipso deferendum esse iudicauit. Sed quia non modo omnium ordinum consensu, sed etiam ipsi qui ab aliquibus dicebatur esse pater, iudice, abdicata est illa quam dicitis mei amulæ si me Ioannis regis filiam, si dignam tanto nomine putatis, efficite per ipsum regem, perq; reliquos Hispaniæ proceres, vt res Hispana in alienam familiam illegitime non transferatur, sed post fratribus obitum ad illam deuoluatur, cuius potior videbitur esse causa.

Agitur de concilianda Elisabe regi fratri, & Archiepiscopus Hispalensis negotium suscepit.

CAPUT III.

Ils rationibus commoti proceres abiuerunt, abdubitantes quam potissimum viam insisterent. Quos ancipiti consilio distractos Ioannes Patiequis Magister equestris ordinis sub diuo Iacobo merentis in hunc modum allocutus est. Quæ sit magnanima huius puellæ mens, sapientissimi viri, quod consilium videtis: quam non libido regnandi, non odia in partis aduersæ studioſos flexerunt, eam nos miremur oratione in sententiam nostram non potuisse impelli? Credite mihi ô proceres, magnum quiddam hæc indoles promittit. Non est puellæ huius ingenium vulgare. Nam quis illius rationes quibus nunc vfa est, confutare aut refellere potest? Quis enim non videt reipublicæ, atque etiam nobis ipsi magis conducere pacem, ad quam nos illa hortatur, quam bellum quod vtrisque perniciosum est? Nā timor ille noster à rege quæ ostēdimus, facile sedari potest vel per ipsam regni participem factam sororem, cuius ea est prudentia, vt vel vno verbo nos possit facere illi beneulos. Quid? quod ego pulcherrime noui regis ipsius ingenium? in media ira cundia, etiam minima excusatione placabilis est. Quare sententiam meam ego breui vobis ostendam. Sororem censeo fratri conciliandam ea conditione, vt ille solus imperio potiatur, illa vero si fuerit superstes, in regni administrationem succedat, idq; ex gentis nostræ consuetudine, procerum procuratorumque totius Hispaniæ iure iurando sanctiatur. In Magistri sententiam omnes pedibus manibusque tunc ierunt, quod videbatur & quilibet, & cui nemo possit obſistere, tametsi non erat illis ignotum ipsum iam pridem cogitasse de reditu in gratiam cum rege, quippe qui cotidie apud omnes testaretur, prædicareturque illum vnicum benefactorem suum, seque omnium fortunarum suarum illius esse debitorem. Ex quo factum est, vt omnes factionis illius socii, atque ille imprimis, cœpissent agere de concordia inter fratrem & sororem. Is namque autor fuit, vt Alfonsus Fonseca Archiepiscopus Hispalensis, vir bonus atque dicendi non imperitus, & qui vtriusque partis esset amicus, regem adiret, atque imprimis ab illo venia petita, de pacis conditionibus ageret. Qui vt erat homo ad res agendas natus, non grauate negotium suscipiens regem adit, apud quem huiusmodi sermone vſus est. Cum in constituendo regre, clarissime Princeps, omnia virtutum genera sint necessaria, & quæ possint illum, & bonum virum facere, & sapientem: duæ tamen iure videntur primas sibi vendicare sedes, clementia & iustitia, quæ sola possunt efficere mortales proxime ad Deum accedere, qui & ipse clementissimus iustissimusque est. His duabus ita moderatur orbem, vt in suis operibus nunquam altera sine altera reperiatur. Pars illa, optime rex, quæ fratre tuum sequatur, forte sibi persuaserat se à tua Celsitudine duriuscule tractari, quod videbat te propensiiori quodam modo amicis quos tibi priuatim delegeras, indulgere, quodque beneficia quæ consueuerunt à regali beneficentia profici, non peruenirent ad illos prudignitate. Sed esto partim inuidia, partim indignatio illos à te alienauerit, iam pudet eos pigetque facti, iam fatentur se & tuo Marte, & diuina sententia viatos. Erit igitur clementia tuæ, & illos facere tibi obsequentes amicos, errata illis condonando, & iustitia, si regni tui vires sparsas recollegaris, composuerisq; rerum statum præsentē, & deinde futuræ tranquillitati prospexeris. Quod vtrumq; vno tuo singulari beneficii in remp. efficies, si sororē iam prope vno omniū consensu principē nō modo expectatā, sed animo quoq; designatam,

gnaram, tu tibi illam successuram, regnique legitimam hæredem declaraueris: atque eadem via te ab omni molestia liberabis, omnesque primores obnoxios tibi facies, & rebus Hispanis quietem pacemque in longum relinques, efficiesque ut misericordia & veritas obuient simul, & iustitia & pax osculentur se. At Rex tametsi erat illis non dissimulanter iratus, à quibus hæc petebantur, benigne tamen patienterque Archiepiscopum audiuit, responditque se die postero illi responsa daturum, atque ita illum in hæc verba dimisit. Erant familiares atque amici Regis secti in factiones duas, altera quæ studebat Regis sorori, altera quæ partis supposititiae illius filiæ sustinebat. Qui audit alegatione cum intelligerent Regis ingenium flexibile, atque paruo momento posse hoc vel illuc impelli, regem 10 aggrediuntur, tentantque rationibus ad rem accommodatis, quæque pars in sententiam suam pellicere. Qui adulterinæ Regis filiæ partes tuebantur, dicebant venisse tempus in quo Deus traderet hostes in manus suas, quando spoliati duce, atque consilii inopes, ne sciebant quo se conferrent, nisi ad eum quem re & verbis læserant. Reuocaretque in memoriam, quo pacto ab imperio suo descivierunt, atque contra diuina & humana iura creato sibi Rege, armati etiam in acie contra suum verum Regem decertauerint. Meminisset quæ probra & maledicta in vulgus sparserint, atque etiam ad principes exterarum gentium scripserint ea quæ de maiestate regia confinxerunt prædicaueruntque, quibus etiam scorta & prostibulæ meretrices abstinerent. Quare huiusmodi hominum generi, non modo veniam non esse dandam, aut in gratiam recipiendos, verum etiam bello persequendos, exagitandoisque ad extremas mundi oras, quo abluerent commissa, dignasq; pro suis sceleribus pœnas reportarent. Exaggerabant præterea hominum superbiam, vel impudentiam potius, qui cum debuissent petere veniam supplices, postularent suo arbitrio designari debere principem regnique hæredem, imponentes legem quam victores vicitis imponere consueuerunt. At pars altera, siue quod diffidebat Regis ingenio, quod erat magis pronum ad ocium atque socordiam, quam ad decertandum vindicandum que bello iniurias, siue quod intelligebant regni hæreditatem ad sororem pertinere, siue quod videbant mala impendentia nullum esse habitura finem, nisi frater & soror rediret in gratiam, obtestabantur Regem, vt ex hostibus faceret amicos illos qui antehac sibi obstiterant, simul etiam sororem sibi benevolam faceret, declararetque illam principem regnumque futuram hæredem, si foret sibi aliquando superstes. Erant qui suaderent illi omnia superiora per simulationem esse facienda, quoad soror in potestatem suam redigeretur, posse enim tunc illam alicui externalum gentium principi matrimonio locare, atque eadem via tradere filiæ, siue putatiæ, siue ex se genitæ, regnum, quod à maioribus suis receperat.

Regem dubium in Elisabes partes Andreas Caprarius priuorem facit: si autem tuuntur juxta pacis conditiones.

C A P V T V.

Ex tā variis sententiis Regē ancipitē, dubiumq; quid faceret, Andreas Caprarius quem Magisterio domus præfecerat, & cui ex omnib. amicis magis fidebat quā nulli alteri, hunc in modū est allocutus. Etsi intelligo, clarissime Rex, me apud Celsitudinē tuam nō habere tantū autoritatis, vt audeā te aliqua de re admonere, est tamen fidei meæ & obsequii quod tibi debeo, testatū apud te relinquere, quid ego sentiam de hoc negotio quo te implicitū esse video. Audiui nuper ex quodā viro doctissimo qui se philosophum profitebatur, scriptū esse apud Platonē, tantum quemq; in sua rep. debere contendere, quantum ciuibus suis persuadere posset. Nam quemadmodum patri, sic etiam patriæ non esse vim inferendam. Omnibus regni primoribus simul & vulgo, atque omnium ordinum viris persuasum est, hanc quam Regina vxor tua peperit, non esse ex te genitam, idq; factum est illis probabile argumentis, quæ nos amici tui qui s̄pē cum populo disceptamus, nulla ratione possumus dissoluere. Si tibi animus est, quam cupis credi tuam esse filiam, regni hæredem relinquere, tota erras via. Nam est nemo qui non indignetur parere illi, ad quē regni successio iure nō pertinet. Quod si viderint te arces munitionesq; & castella præsidio firmare, atq; amicis tuis credere, vt post obitum tuum filiæ tradant, hoc est patriæ vim afferre, hoc est contendere plus quam effici possit, hoc est Gigantum more, contra superos pugnare, voluntatiq; diuinæ obsistere. Neq; imperio tuo subditi magis id patientur, quam si velis illos in manus infidelium tradere. Si respublica Hispana loqui posset, non aliud opinor diceret, quam quod ego nunc sentio, esse videlicet ignoscendum illis qui pro fratre tuo contra te arma sumperunt, qui forte non tam offendendi tui causa, quam utilitati

publicæ prospiciendi id fecerunt. Deinde sororem tibi conciliandam, tractandamque proinde ac si esset filia ex te genita, quandoquidem ita Deus voluit, ut tu sine prole decessurus essem, illique regni successionem volens nolensque decernas. Hac enim via omnes tibi fatebuntur esse debitores, tibique libentissime obtemperabunt, tu summo ocio & tranquillitate frueris, res Hispanæ in dies magis magisque efflorescent. Pro quibus in re-publicam meritis illud præmium tibi dabitur, quod omnibus qui commissum sibi imperium conseruauerint, adiuuerint, auxerint, à Deo propositum est. In hanc sententiam quæ ex altera parte timorem intentabat, ex altera ocium pollicebatur, Rex facillime acquieuit, iubetque vocari Archiepiscopum, cui respondet, velle se reipublicæ & communis utilitatis causa condonare illorum errata qui ab imperio suo descierint: velle præterea sororem sibi conciliare, atque in principem regnique succetricem cooptare, modo illa in sua verba persancte iuret suo iniussu nuptum ire mortalium nemini. Suscipit Archiepiscopus se & illorum quibus est concessa venia, & sororis designandæ Principis, & Hispanæ totius reip. nomine immortales gratias agere pro tam mansueto benignoque ingenio. Tum agi cœptum de conditionibus pacis, iustumque fœdus est in hæc pœcta conuenientia: Imprimis, ut soror princeps designanda, & Ioannes Patiequus Spatharius Magister, & ex reliquis qui in eadem causa fuerunt, qui vellent, regalem curiam frequentarent, quo per omnem Hispaniam redditus in gratiam atque concordiam illustrior esset: quodque Rex intra quatrimestre tempus Reginam ex furtuo illo concubitu filiam dimitteret in Lusitaniam, curaretque per pontificem cum illa diuortium facere, quandoquidem cum fœdus coniugale cum illa inierat, ad præfinitum tempus fuere legibus soluti, experiundi tantum gratia in utro esset dignandi defectus, cum alioqui permanendum illi esset cum priori vxore: tum demum, ut in alimenta sumptusque nouæ principis decerneret stipendiaria oppida cum iurisdictione, ex urbibus Abilam, Optum, Molinam, Vbetam, ex municipiis Methymnam campestrum, Vlmetum, Ascalonem. Ipsa vero Princeps iurauit statibus his conditionibus, nisi per Regem fratrem liceret, se nemini mortalium nupturam. Constitutum est præterea ad præfinitum diem, ut Rex & soror conuenirent in æde ac cœnobio diui Hieronymi, quod est ad locum quod vulgus Guisandi tauros appellat.

*Enriquus & Elisabes soror conueniunt, rursus designatur princeps,
& Ioanna regina fugit.*

30

C A P V T . V I .

RAT ea tempestate Rex in oppido quod ipse plurimum frequentabat, antiqui Cartaginæ Mantuam vocabant, nostra ætas Madritum nominat. Soror vero Abilæ morabatur. Quæ accepto Regis responso conuocatis primoribus, cum primum potuit, venit Zebreros comitatu virorum principum frequenti, inter quos erant ex ordine ecclesiastico Tolitanus & Hispalensis Archiepiscopi, & Enicus Manriquius præfus Cauriensis. Ex ordine vero militari Magister diui Iacobi, & Placentinus, Beneuentanusque, & Osorius, Comites, aliquique complures utriusque ordinis principes viri. Rex vero ex Madrito profectus, venit ad Cadahalsum, qui in agro Ascalonitano pergrandis est vicus. Locus in quem constitutum est se conuenturos, distabat utrinque interuallo parti. Quo postea quam conuenerunt, seque inuicem salutarunt, Rex benigne ac comiter sororem longo post tempore visam breuiter allocutus est. nam cætera dixit, se in aliud tempus reseruare. Tunc accedens diui Iacobi Magister, genua Regis amplexus, pauca pro se atque pro ceteris qui in eadem causa fuerunt, est locutus, partim excusans, partim confitens suum atque aliorum errorem, pollicens suo atque sociorum nomine compensaturos se obsequiorum crebritate pristinas offendiones, si quid fuisset in quo læserint regiam maiestatem. Erat in ea conuentus celebritate ad hoc ipsum inuitatus Antonius Venerius Apostolicæ sedis legatus, idemque Legionensis Episcopus, & qui deinceps fuit Conchensis præfus, atque S. R. E. Cardinalis. Is petente ipso Rege absoluit, atque relaxauit à priori iure iurando illos omnes qui iam pridem Madriti iurauerant principem regnique hæredem futuram illam quæ falso dictabatur filia Regis. Atqui Rex ipse declarauit extemplo imperii successionem, hæreditatemque, ac regni dominium ad sororem pertinere, quemadmodum & antea Alphonsum fratrem futurum Regem designauerat. Quo intercepto in superstitem vnicam sororem hæreditarium ius esset devolutum. Nam quæ sua dicebatur esse filia, illam abiurabat, abdicabatque perinde atque alienam. Iurauitque euestigio in Apostolici legati verba, se hanc vnicam sororem regni hæredem agnosceret, & præter eam

eam neminiē, atq; hāc hāredis institutionē declaratioñē q; sub eodē iureiurando affirmāuit se nunquam per se aut per alium quempiam interpellaturum. Idemque coegit omnes omnium ordinum viros, summates & infimates, qui aderant, iureiurando sancire. Peredita quoq; præcepit, vt omnes ciues, oppidani, municipes, & populi suo imperio subditi idem secum iurarent, atque si contingaret, ipsum ē vita priorem excedere, haberent illam certam, legitimam, & indubitatam Reginam. Edixit præterea, vt omnes ciuitates, oppida, municipia mitterent procuratores suos Ocaniam, vbi futurus erat conuentus procerum, in quo de statu reipublicæ decerneretur. Per idem fere tempus Ioanna Regis vxor quæ mittenda fuerat in Lusitaniam, ex certis quibusdam causis posita est sequestro in potestate Archiepiscopi Hispalensis, qui tradidit illam adseruandam Petro à Castella ex sorore nepoti suo, in arce quam ipse ædificauerat munitissimam Alahegiis. Egregia interea coniux, quo mariti dedecus magis testatum esset cunctis, oculos in adolescentem coniecit, & non multos post dies comperta est ex eo prægnans, neque eo contenta, ausa quoque est ingens facinus. Agit cum adolescente, vt illam per muros noctu deducat. Composita re cum fecellisset custodes primum, deinde circitores & vigiles, lapsa per funes, atque crepens, tandem veredo imposta duce adultero postridie Butracum venit, quo in loco erat Ioanna filia quam ex furtivo concubitu generat, obseruabaturque publice ab Enriquo Mendoza Tendillano Comite. Exactis diebus paucis, Rex cum sorore principi cæteroque procerum comitatu venerunt Ocaniam, procuratores quoque ciuitatum & municipiorum eodem conuenerunt, quemadmodum per Regis edicta illis fuerat imperatum, qui & ipsi procuratorio nomine iurarunt se habituros illius sororum loco principis hāredisque, & post eiusdem obitum pro vera, certa, legitimaque Regina.

*Agitur de coniugio Elisabes principis cum Alfonso Lusitanorum rege,
& cum Ferdinando Siciliæ.*

C A P V T V I I .

ALTERA vèrō pars quæ Vlmetano prælio Enriquum Regem secuta fuerat, indignabatur, quod non fuisset habita ipsorum ratio in illa Regis Principisque concordia: nihilominus tamen partim illuc accessere, partim misere procuratores suos, qui vtrique illud idem iureiurando sanxerunt. Hi fuerunt Marchio sanctæ Julianæ, Comes Pharius, Episcopus Secontinus, aliique complures eiusdem factionis. At Rex, siue Magistri Spatharii suauis, siue quod ipse per se natura erat varius & mutabilis, nihil eortum exequebatur, de quibus cum sorore transactum erat, quin ē diuerso per literas egit, vt Alphonsus Rex Lusitanorum qui tunc orbatus erat vxore, peteret coniugio sororem principem designatam, eoque venit Archiepiscopus Olyssiponensis cum literis, & mandatis, & procuratorio ipsius Regis nomine. Archiepiscopus Toletanus ē contrario laborabat illam iungere Ferdinando Regi Siciliæ, ac Principi hāredi Ioannis Tarragonensis Regis. Qui, vt posset commodius atque citra villam suspicionem peragere negotium, concessit Hyppepos ditionis suæ municipium, cœpitque exequi tem per Gutterrium Cardenium ipsius Principis structorem, vt spretis Lusitanorum Regis conditionibus, acquiesceret portius Regi Siciliæ. Rationes autem quæ possent illam in Siciliæ Regem pellicere, atque ē diuerso à Lusitanorum Principe deterrere, complures fuere, sed illa imprimis quod Entiqui fratri consilia eo tendere videbantur, vt sororem extra regni limites ablegaret, nulla dignitatis habita ratione, dum modo efficeret quod cupiebat, id est, quo posset contodus subdituam filiam in regni successionem substituere. Ex quo illud efficiebatur, vt quoniam Lusitanorum Rex haberet ex priori coniuge filium hāredem, si susciperet ex caliberos, relinquere eos exhāredes. si minus suscepisset, ipsa nihilominus maneret indotata. At Rex Siciliæ idemque Tarragonensium Princeps designatus, qui necdum vxorem duxerat neque liberos procrearat, non modo posset habere filium qui succederet in gubernationem, sed etiam posse fieri, vt autum regnum cum regno dotali coniungere tur. Accedebat etatis æ qualitas, quæ ad animos conciliandos valet plurimum, cum aliqui Lusitanus esset natu grandior. Eo quoque accedebat, quod si res in discrimen esset ventura, vt inter duos Principes armis decerneretur de regni possessione, quod Rex Siciliæ idemque Tarragonensium Princeps habebat in Hispania ex primoribus complutes sanguinis propinquitate coniunctos, qui cuperent ipsum potius quam alienum regnare, & qui si vires suas cum ipsius Principis viribus coniunxissent, facile possebant submouere, atque semel ex Hispania æmulam illam atque in ipsius regni perniciem genitam.

eradicare. His suasionibus apud Elisaben Principem Gutterius vtebatur. Quas illa secū reputans, simul etiam quod videbat fratrem Regem nolle stare pactis conuentis, neque tradere illi vrbes & municipia, quemadmodum inter eos conuenerat, sed illud imprimis quod frater nihil aliud moliebatur quam ipsam ex Hispania pellere, atque perinde regni successione spoliare, facile assentiebatur structoris admonitionibus: sed pudebat illam publice fratris voluntati obſistere, qui per ſe atque per amicos instabat, vt in hoc ſibi obſequeretur, promittens (vt aiunt) maria & auri montes. Quare vtriusque partis rationibus obtusa, & dubia quid potissimum ſequeretur, tandem respondit ſe huius deliberationis curam omnem ad Hispaniæ proceres velle deferre, precata Deū imprimis, vt quod reipublice foret vtile, ſibique honorem, id illis animum induceret. Sed cum vtraque pars instantius vrgeret, atque intelligeret plarosque omnes ex proceribus atque infimæ mediocrisque conditionis hominibus in Siciliæ Regem propensiōres, Olyſſiponensi Archiepiscopo respondit, velle ſe hanc rem tam grandem, & quæ non tam ſua quam omnium communis eſſet, cum Hispaniæ primoribus commentari: atque ita demum re cum omnibus communicata, ſe per oratores ſummam totius negotii missuram Lufitanorum Regi. In hæc verba Archiepiscopus eſt dimiſſus. At illa ſecreto per ſtructorem Toletano præſuli responderet, ſi per primores proceresq; regni ſibi liceret, ſe fakturam quod ille tam inſtanter efflagitabat.

Enriquus à pactis conuentis diſcedit, atque in Bæticam profeſturus Comiti Placentino Areuacum cum Ducis titulo dono dat.

C A P V T VIII.

CÆTERVM Rex cum videret omnes conatus cogitationesque suas in caſſum recidiſſe, veritus ne ſe inuitio ſoror nuberet, cui minime ipſe vellet, cœpit agere cum amicis quo pacto illam poſſet in vincula coniicere: idque feciſſet, niſi timeret ne proceres ab eo deſciſerent, illamque bello vindicarent. At Toletano præſuli factus eſt infeſtior, tanquam autori conciliatorique matrimonii ſororis cum Rege Siciliæ. Succenſebat præterea illi, quod ad priſtina ſua errata hic nunc cumulus acceſſiſſet maximus, in re præſertim quæ ſua omnia interturbaret consilia. Itaque cum pararet cohortes quæ illum comprehendērent, ſuſpicio fuit Magiſtrum Spatharium feciſſe Præſidem omni de re certiore, monuſſeque vt caueret ſibi. Idque faciebat non tam quod Archiepiscopus erat ſibi aut amicus, aut ſanguine propinquus, quam quod ſecreto fouebat alterius partis primores, vt ex illa cunctatione discordiæ in dies crescerent, vnde ſibi putabat magnas fieri poſſe fortunæ accessiones. Quare cum ad conflictum erat veniendum, nunquam ſinebat alteram partem euadere ſuperiorem, ſed ſubleuabat ſemper partem quæ eſſet abieciſſor. His artibus & alterutra pars & illius ope indigebat, & iſpſius potentia cotidie augebatur. Rex cum neque blanditiis, neque precibus, ſed neque minis poſſet ſororem in ſententiam ſuam attrahere, neque auderet illam in vincula coniicere, ſtatuit ad tempus diſſimulare, atque in Bæticam proſifici, vt conciliaret ſibi vrbes, & municipia, atque illius prouinciæ primores qui Alphoniſi fratris factionem aduersam ſecuti fuerant. Et quo id facilius aſsequereſſet, extorſiſt à ſorore literas quibus ſignificaretur cum illo reditus in gratiam, neque alia ex cauſa iſpſum illuc proſifici, niſi vt res vtrique communes agerentur. Profeſtusque eſt cum illo Magiſtrus Spatharius aliique complures ex primoribus. Princeps vero vt daret inferias, iuſtaque per ſolueret Alphonſo fratris defuncto, profeſta eſt Areuacum municipium illud ornatiſſimū, quod decretum erat in ſumptu Eliſabes Reginæ iſpſius Principis & Alphoniſi Regis matri. Tenebatur autem præſidio à Placentino Comite, qui veritus ne Princeps illum excluderet, atque municipium ſibi præſidio muniret, egit per Spatharium Magiſtrum, vt Rex donaret iſpſum & municipio & Areuacorum Ducis cognomine. Magiſtrus vero reputans ſi rem perageret, eadem via & Regis potentiam debilitari, ſimil etiam & Comitem Placentinum qui eo tempore inter Hispaniæ proceres eminebat, apprehensa municipii poſſeſſione in ea tantum re implicitū fore, egit cum Rege, vt donaret illum & municipio, & municipii titulo ſub Ducis nomine. Quod Rex fecit non grauate, ſiue vt ſorori negotium faceſſeret, ſiue quod erat ingenio facilis ad euertendum regale patrimonium. Hanc largitionem tam profulgam omnes omnium ordinum viri a greſſe ferabant, partim inuidia, quod videbant Comitem Placentinum in dies fieri potentiores, partim quod regiæ vires huiusmodi largitionibus minuebantur, partim etiam quod Reginæ viduæ miserebantur calamitatem, cum illud vnicum ſuæ viduitatis ſubſidium eripiebatur. Princeps itaque ab Areuaco pulſa, contulit ſe Abilam, vt defuncto fratris parentet.

taret. Ludouicus interea Gallorum Rex factus certior regnorum Hispaniæ successionem ad Elisaben Ioannis Regis filiam esse deuolutam , simul etiam peti coniugio à duobus Principibus sibi ex factione publica infensis , quod illorum erat uterque confederatus Britannorum Regi, veritus ne ab altero illorum duceretur vxor , atq; proinde partis aduersæ vires augerentur, & suæ decrescerent, statuit mittere legatos qui peterent illam cōiugio Caroli fratri sui Aquitaniæ Ducis. Erat autem legationis eius princeps S. R. E. Cardinalis. Cum interim Princeps obtunderetur cotidie rationibus, vt in alterutrum ex duabus competitoribus flecteretur, ecce legatio à Gallorum Rege aduentabat. Erat illa tempestate Elisabe Princeps in municipio Matricali, quod quemadmodum de Areuaco diximus, erat decretum Elisabes Reginæ matri. Quo posteaquam oratores accessere, da-
taque est illis copia Principis adeundæ, cum assisterent aliquot ex optimatibus qui illam affectabantur, Cardinalis hanc orationem habuit.

Cardinalis oratio, in qua Elisaben Carolo Gallorum regis fratri coniugem petit, cui excusans se illa respondet.

C A P V T I X.

N Is i Galliæ regnum atque Principum Hispaniæ vetus amicitia & fœdus æternum apud omnes nationes testatum esset, atque iam inde à multis illustribus officiis confirmata societas, poteram ego clarissima Princeps multa nunc commemorare quæ ad eā rem pertinerent. Sed in hac causa de qua oratores aduenimus, nolo proposit nobis fuisse Gallos Hispanis semper amicos atque socios, idemque semper de re communi sensisse. Non nobis proposit Celsitudinis tuæ competitores semper fuisse aduersæ factionis, semperque Britannorum Regi confederatos. Nolo commemorare nunc immortales inimicitias & incurabile odium inter vrosque populos confirmatum multis stragib; hinc inde acceptis. Illa tantum prosequar quæ sunt propria huius causæ, vt competitorum meritis detur tantum victoria. Petit connubia tua Lusitanorum Rex, petit Rex Siciliæ, petit Aquitaniæ Dux. Consultatio tibi est, quis ex tribus sit deligēdus. Lusitanorum Rex omnino excluditur, & quod est natu grandior, & quod habet filium hæredem, vnde quot tuæ dignitatibus sequantur incommoda, facile est videre, querelæ propter ætatum disparilitatem, quod filii à patre futuri essent exhæredes, quod inter Lusitanos & Hispanos semper est simultas, atq; vtriusq; partis alterius contemptio. Atqui Siciliæ Rex tametsi ætate florescit, noster tamen illi non cedit & corporis elegantia, & ingenii acrimonia, & animi sapientia. Sed neque est illi potentia inferior. Neque enim Aquitania aut soli benignitate, aut fortunis, aut tractu cœli, prouinciae Tarragonensi cedit. Esto tamen sint vtriq; omnia paria, non valebunt in electione hinc amicitia, illinc inimicitia paternæ & auitæ: nō summus consensus maiorum huius cum Ioanne patre tuo, cum quo illius pater ingentes egit inimicitias? Quod si apud eos qui vita excesserunt, aliquis est rerum nostrarum sensus, nihil magis oblectabit vtriusque Regis defuncti manes. Quare quemadmodum in vita se ipsi dilexerunt, ita & posteri sui in eadem maneant charitate. Quid quod hac via & frater iratus tibi reconciliabitur? idque Rex Ludouicus curabit atq; conficiet. Aut si tibi pro regni possessione fuerit cum æmula disceptandum, vnde tibi certius, vnde firmius subfundum putas venturum à Lusitanorum Tarragonensium ve principibus, an à Galliarum Rege potentissimo? Quare vt uno verbo legationis huius mandata colligam, Rex Gallorum offert tuæ præstantiæ coniugio bellissimum fratrem, viribus ingenioq; præstantem, patrimonio amplissimo præditum, cuius maiores cum maioribus tuis vixerunt in summa concordia: quo pignore & antiqua fœdera renouabuntur, & vtriusq; regni vires cotidie magis magisq; inualesceant. Idq; vt facias, non solum te vehementer rogat, tibiq; oblitus se Regem, supplicat, atq; eo nomine omnia quæ possidet, non modo vtenda, sed etiam abutenda permittit. Ad hanc Cardinalis orationem illa respondet, recordationem auitæ amicitiæ atq; societatis antiquæ fuisse multo iucundissimam, & si quando rerum Hispanarum potiretur, se curaturam vt idem fœdus vinculis firmioribus sanciretur. Simul etiam dicebat se agere Ludouico Regi gratias immortales pro eo animo quem erga se resq; suas ostendebat, quodq; dignam existimaret, cui fratrem matrimonio coniugi peteret: sed se ea de re omnem curam in regni proceres optimatesque reieceris, quandoquidem sibi nō esset pater qui patrimonium fundaret, neq; frater qui vtriusq; parentis curam sustineret. Rogabat præterea Cardinalem, vt se apud Regem excusaret, quod nō fuerit in potestate sua, vt illius voluntati obsequeretur, quoniam hæc deliberatio iam nō ex sua, sed ex optimatum consultatione pendebat. In hæc verba oratores dimissi, re infecta domū redierūt.

*Elisaben quid faceret dubiam, structoris impellit oratio ut Ferdinando Siciliæ
Regi nubat: celebranturq; nuptiæ.*

C A P V T X.

AT Princeps non tam à competitoribus iam efflagitabatur, quam ab ecclesiis ac præfatis, reliquo, optimatibus ciuitatum, regni primoribus, domesticis ac familiis, vt ex tam longa deliberatione tandem decerneret, cui potissimum vellet nubere: quanquam plerisque omnibus videretur Siciliæ Regem esse cæteris præferendum. Id etiam vt faceret, Enriquii fratris amici ac familiares clam admonebant. Adiurabant etiam obtestabanturque illam, vt prospiceret rebus Hispanis, quæ proculdubio tendebant in interitum, nisi daret operam, quemadmodum ex se prolem relinqueret. Sed imprimis structor ille suus qui hac de re sæpius cum illa familiariter loquebatur, cogitans secum hunc esse virginum morem, vt præ pudore nolint facile connubio præbere assensum, his illam verbis adortus est. Scio ego, clarissima Princeps, cum de maritandis virginibus agitur, non ad ipsas, sed ad parentes, ad propinquos, ad tutores, atque ad ipsos in quorum potestate sunt, adiri solere: tuæ vero Cœli itudini omnia hæc propinquitatis vincula fors admet. Pater qui hac de re imprimis consultare debuit, obiit diem suum. Mater quæ secundas post illum debuit obtinere partes, vni tantum viduitatis suæ dolori indulgens in luctu ac mœrore degit. Frater qui debuit utrique succedere, te indotatam regno spoliare nititur. Familiares & amici restant soli, qui non sine lachrymis tibi supplicant, ne stabiliendi regni quod tuæ posteritati relinquas, tantam occasionem oblatam amittas. Hoce Prælati omnes ecclesiastici obsecrant, hoc primores populi, hoc regni proceres, hoc ciuitatum optimates, hoc omnes omnium ordinum Hispani, conscientiam tuam testantur, ne fraudes illos legitimis successoribus, ne sinas regnum Hispaniæ in alienam transire dominationem, ne des locum, vt frater à te vera indubitataque hærede, in subditiam atque ex turpi concubitu genitam transferat imperium. Vides te à tribus potentissimis Principibus peti, decerne quis illorum tibi magis animo sedeat. Quod si te pudor impediat, quo minus edas nomen, dicam ego quod sentio, ex illis omnibus magis tibi conduce-re Siciliæ Regem, eundemque Tarraconensium Principem, est tibi coævus, est robore atque animi virtute præstans, habet regnum tuo confine, habet in Hispania tua propinquos à viribus & diuitiis præpollentes. Proh Deus immortalis, quid dubitas uno verbo tot bona, tot commoditates, non modo tibi ipsi, sed tuis omnibus atque vniuersæ Hispaniæ reipublicæ præstare? His verbis Princeps iam victa, Quando, inquit, omnibus ita visum est, me debere assentiri coniugio, non credo id sine quodam numine atque diuina prouidentia evenisse. Quare vos ô amici efficite quod videbitur è republica debere fieri, neque amplius hac de re sententiam meam expectetis. Quicquid enim de me statueritis id ratum, firmum, gratumque habebo. Sed huius meæ voluntatis facite imprimis certiorum Archiepiscopum Toletanum, qui huius mei sensus semper mihi fuit autor. Quem ego certo scio, cum acceperit hunc nuncitum, peculiari quodam gaudio gausurum. Archiepiscopus certior factus his de rebus, venit Fontiueros Abilensis agri vicum pergrandem, quo se iam Princeps è Matricali oppido profecta receperat, atque inde profecti sunt Valladolitum, ubi tunc erat Archithalassus Fredericus Regis Siciliæ maternus avus, aliquique complures ex regni primoribus, qui eo conuenerant ad sponsaliorum pacta conuentata nuptiarumque lætitiam celebrandam. Rex ipse Siciliæ idemque Tarraconensium Princeps venit tandem comitatus Petro Manriquo Comite à Triuilio, qui deinceps fuit Dux Naiarensis, atque ex prouincia Tarraconensi aliis quamplurimis proceribus optimatusque. Longum esset enumerare, qui complexus & quanta gaudia utriusque partis fuere. Nihil illustrius illo die Hispania vedit, in quo nuptiæ tantorum Principum celebratae sunt. Nemo enim fere fuit qui non lætitia gestiret, non exultaret, non Deo gratias age-ret: non municipium, non ciuitas, quæ non supplicationes ludosque publicos decer-neret.

ÆLII ANTONII NEBRIS.

S E N S I S , R E R V M H I S P A N A R V M

A T Q V E H I S P A N I E N S I V M H L

storici, Decadis primæ Liber

secundus.

De epistolis Ferdinandi & Elisabes Principum ad Enriquum regem missis.

C A P V T I.

NPTIIS fœliciter peractis, instauratisque repotiiis, visum est Princi-
pibus facere omni de re certiore Enriquum regem, atque per lite-
ras excusare, quod illius iniussu nupserit soror. Missæ itaque per ho-
nestos viros literæ cum mandatis in hæc verba. Enriquo Hispaniarum
regi, fratrique pientissimo, Elisabe Princeps eademq; soror bene
agere. Non sum ignara te mihi succensere, quod iniussu tuo regi Si-
ciliæ nupserim. Sed cum audieris causas rationesque quæ me id face-
re coegerunt, facile opinor placaberis. Nam si aliqua in re culpa est, illam non mihi, sed
tibi ipsi imputabis. Scis humanissime rex (neque enim te latere potuit) quali animo fue-
rim erga te, cum Alphonsus frater regium sibi nomen assumpsit, & quam mihi dissidiū il-
lud displicebat, quamq; detestarer inter duos fratres decertari de regno quod alter possi-
debat, alter si foret superstes, possessurus erat. Scis præterea post illius obitum, quam sine
cunctatione vlla regnum quod mihi ab aduersariis tuis offerebatur, abdicauerim, dicens
te superstite nō licere regnare. Adhuc nihil est in meis operibus quod tibi displicere pos-
sit. Iussisti me venire quo tu volebas, declarasti me Hispaniæ Principem, fecisti quod iure
debusti facere, tametsi ob id factum magnas tibi habeo gratias. Pollicitus es te intra qua-
tuor menses repudiaturū vxorem, si vxor appellanda est, quam neque per iura diuina ne-
que humana tibi habere licebat, missurumq; in Lusitaniam cum filia tali matre digna. Pol-
licitus quoq; es te mihi traditurum in sumptus oppida quædam veſigalia. Acta transacta
omnia, iuraui stantibus his conditionibus, te inuitō me nupturū nemini. Possest tu me eo
nomine periurii accusare, si fecisses illa quæ te facturū mihi promisisti. Nunquid repudia-
sti vxorem? nunquid alegasti illam cum filia? nunquid tradidisti municipia & vrbes, vn-
de hoc inane principatus sustinarem? Omitto cætera quæ sunt omnibus nota, quo me ni-
tebaris obtrudere, al: eramq; quasi in demortui locū substituere. Quādo igitur cu mihi nō
prospexit, prospexi egomet mihi. Conscientiam tuam recole, compieres me fecisse nihil
cuius pudeat pigeatve. Sed omnia hæc omissa faciamus. Mihi nunc idem est animus qui
fuit semper, te diligere vt fratrem, te colere vt patrem, te obseruare vt regem, precarique
Deum immortalem, vt quam diutissime viuas. Quod si tu aliud cogitas, aut me cupis regni
hæreditate mihi per leges debita spoliare, iniurius es in me, conquerar apud regni proce-
res, & apud optimates ciuitatum, cōtestabor vicinos reges, deferam querelam meam de-
nique ad Deum immortalem. Hæc sunt, quæ putauit ex cordis mei penetralibus depro-
mtere, vt animi mei sensum tibi declararet. Quæ sequuntur, in eo atq; dulcissimi coniugis
meinomine rogo, vt quæ gesta sunt, boni consulas, probesq; nosq; ambos in filiorum nu-
merum adoptes, vitæque necisq; ius penes te sit, perinde ac si ex te essemus procreati. Va-
le. At Siciliæ rex in hunc modum. Etsi decretum mihi fuerat non dare literas ad illustris-
simam Dignationem tuam, quod mihi foret compertum, quali animo esses in me, con-
sideri iugemque meam, eamdemque sororem tuam, non potui tamen non obsequi voluntati
illius, cui nihil denegare possum, quæ me admonuit, vt aliquid omnino ad te scriberem.
Sed impræsentiarum quid aliud debeam scribere non occurrit, nisi vt petam ab
humanitate tua obtesterque, vt quæ facta sunt te absente, æquiori animo feras, quo-
niam Deo imprimis auspicie, & cunctorum deinde summatum infimatumque consen-
sus facta sunt. Neque te iniquorum consilia transuersum agant, qui sua commoda, non
tua & quæ reipublicæ sunt, requirunt. Scis, opinor, optime Rex, quos significem.
Quod si tibi animo est alienos tueri, non idcirco tuos abalienare debes, & si nobis volue-
ris esse pater indulges, & nos erimus tibi filii obsequentes, & si fueris nobis rex mitissimus
& nos erimus tibi clientes obseruantissimi. Cætera per amicum ac familiarē meum Petru-

Yyy

Vaccam qui isthuc cum his literis ac mandatis proficiscitur, commodius loquuntur. Cui vt Dignatio tua fidem habeat, vehementer oro. Vale. At rex ut erat natura incertus animi, siue Magistri illius Spatharii suasu, cuius arbitrio agebat omnia, non literis, non mandatis, non viris qui ad eum fuerunt missi, respondit aliud quicquam, nisi velle se ad eam rem consultandam conuocare regni proceres, ut ex illorum consilio daret responsum quid facturus esset.

Magister Sancti Iacobi agit per literas cum rege Gallorum, ut Carolus frater Ioannam Enriquiam filiam ducat uxorem.

C A P V T II.

AT Spatharius Magister qui ægerime tulerat matrimonium illud, dies noctesq; nihil aliud moliebatur, quam quemadmodum impedit labefactaretque successionem illam Principum qui iam omnium ordinum consensu fuerant adiurati. Angebat callidissimi hominis spiritum, quod ex illarum nuptiarum foedere dissoluebatur patrimonii sui fundamentum, quod ad illum deuenerat ex iactura Infantium. sic enim appellant Hispani filios regum post primogenitum, qui posteaquam adiuratus est successor atq; regni heres, dicitur Princeps. Filii namq; Ferdinandi illius qui Ioannis regis fuerat tutor, atque ex tutela fuit adscitus ad Tarragonensium ac Siculorum insularumq; nostri matis imperiū Infantes sunt cognominati. vnde & Gentilitii agri qui hodie à Mendocinis possidetur, Infantatus appellatur. Igitur cum Enriquus Princeps adhuc ab Ioanne rege patre suo disfideret, hic Ioannes Patiequus autor fuit, ut pater cum filio rediret in gratiā, ut ex ea concordia vtriusque copiis viribusq; coniunctis Ioannes Nauariorum rex, idemq; pater Ferdinandi huius Siciliæ regis & Tarragonensium Principis, cum Entiquo fratre, qui & ipse fuit vnu ex Infantibus, regno pellerentur, spoliarenturq; Gentilitiis hæreditatibus, quæ illis ex testamento Ferdinandi patris obtigerant. His regno pulsis fugatisque bello, bona publicata sunt, ex qua bonoru publicatione Marchionatus Villenensis Ioanni Patiequo cessit, quem deinde transtulit in filium primogenitum hæredem. Magistratus quoq; ordinis Cisterciensis à Calatraua cognominatus, quo fuerat multatus Alphonsus Ferdinandi regis Tarragonensium filius, codemiure, siue iniuria, ad Petrum Geryonum eiusdem 33 Ioannis Patiequi fratrem deuolutus erat. Qui cum videret Hispaniæ regnum per illas nuptias ad regem Siciliæ peruenturum, veritus ne postliminii iure Marchionatus & fratri Magistratus ab illo repeterentur, nihil omittebat, nihil intentatum relinquebat, quo minus omnia interturbaret, cœlumque ac terram misceret. Itaque secreto mittit literas ad Ludouicum Galliarum regem, hortans illum, ut mitteret petitum connubio Ioannam quæ dicebatur Enriqui regis filia, fratri suo Carolo Aquitaniæ Duci, qui iam pridem fuerat repudiatus ab Elisabe Principe, quemadmodum in libro superiori diximus. Per idem tempus Enriquus rex erat in oppido quod vocant Methymnam ad carnipum, emporium illustre Hispanorum. Atqui rex Galliarum qui ex petitione illa passus fuerat repulsam, iratus Elisabæ Princi, & quod sibi atque fratri suo cōducere videbantur huiusmodi nuptiæ cum Ioanna Principe altera designata, atque iterum si opus esset designanda: mittit oratores, quorum princeps fuit idem Cardinalis S. R. E. quem superius dictum est venisse ex simili causa petitum Elisaben principem. Erant cum Enriquo rege Methymnæ complures ex regni primoribus, sed imprimis Magister Spatharius, Archiepiscopus Hispanensis, Episcopi Secontinus & Burgensis, Rodericus Pimentellus Comes Beneventanus. Quo cum venisset Cardinalis, honorificeq; esset exceptus, vsus est eadem prope oratione qua in petenda Elisabe Principe antea fuerat vsus, commemorans Gallorum atq; Hispanoru regum antiquam amicitiam, sociosque penates, quod foedus dicebat nunc arctiori vinculo posse cōnecti, si regis filia traderetur coniux Duci Aquitaniæ. Ostentabat præterea Galloru regis potentiam, si inter duos principes de regni possessione decernendum foret. At rex Enriquus, & quod sorori erat infensus, & à Magistro Spathario pulcherrime subornatus, non habita iuris iurandi ratione quo illa principem declarauerat, non curans quod ex tam turpi facinore multa sequeretur mala: respondet se libentissime velle facere, quod petebatur, seq; daturum operam, ut quamprimum fieri posset, filia princeps regniq; hæres à cunctis iuraretur. Et ne res aliqua ex causa interpellari posset, dixit se statim velle exequi quod spondebat. Itaq; comitatus quibus dictū est proceribus, & Gallis oratoribus, cœpit tendere iter Butracum, ubi erat Ioanna iunior cum Ioanna matre. Quæ aduentante rege profecta est in occursum cum filia virgine iam nubili, ad quatuor millia passuum

stipa-

stipata ex primoribus Marchione Sanctæ Julianæ, & Comitibus Cluniensi, & Tendillano, aliisq; compluribus ex eadem familia viris nobilissimis. Atque ita in medio agro utriusque consistentes, proh pudor Hispani sanguinis, illi iidem qui ad Tauros Guisandi, atq; interum ad Ocaniam Elisaben iurauerant Principem, nunc eandem abiurarunt, atq; in eius locum Ioannam antea abiuratam, regnorum Hispaniæ Principem hæredemq; iure iurando rursus sanxerunt, perinde ac si, vt clavis clavo, sic iuramentū per iurio refrigeretur.

*Sponsalia Caroli cum Ioanna celebrantur, & Enriquus literis Ferdinandi &
Elisabes Principum incusat.*

CAPUT III.

Tempora, o mores! strenui milites illi & duces qui sub priscis regibus fuere, cum pro religione atque pro republica multum sanguinem fudissent, equum & arma merebant, qui regni fines propagabant, pauca agri iugera quasi magnū virtutis suæ præmium assequebantur, sic Hispana respublica in dies crescebat. At nostri proceres pro iuris iurandi contempta religione præmia petunt. Alius perfidiæ suæ præcium urbem pacificatur, alius municipium, alius arcis præsidium, vnde iniquam possit exercere dominationem a grossque populetur, alius tertias decimarum ad commeatus limitaneorum decretas, alius ex decimis regalibus decies centum millia dipodium annua, alius vicies, alius tricies, aliis Episcopatū, alius Magistratum, & quisq; pro sui sceleris magnitudine debitam mercedem. Quod nisi ciuitates & populi sibi ipsis consuluissent, seq; integrōs venturis Principibus reseruassent, actum erat de pulcherrima Hispanorū respublica: nullam certe hodie haberemus. His transactis, Cardinalis procuratorio nomine Dux Aquitanæ & noua Princeps se inuicem coementes, ille promissis arris, hæc spe regni dotalis, ex more antiquo, & Romanæ ecclesiæ consuetudine, sponsalia contraxerunt, signatae tabulæ, dictum fœliciter, ingens coena sedet, nihil aliud defuit, nisi vt iaceret gremio noua nupta mariti: inde Segouiam regiam urbem profecti, vnde Cardinalis cum cæteris oratoribus collegis dimissus est. Et populi, ciuitatesque, & optimates, immo vero optimus quisq; audita sponsaliorum celebritate, quasi iam Galli transcenderent Pyrenæum, & ex altera parte cogentur exercitus ad decertandum armis ciuilibus, ita miserabuntur fortunam Hispaniæ, ita flebant omnes casus impendentes, & quæcumq; solent in bellis intestinis accidere. Erant tamen plæriq; omnes in Ferdinandum & Elisaben animo propensiores, oderantque in dies & regem & Magistrum, tanquam omnium impendentium malorum autores concinnatoresq;, sed Magistrum imprimis, qui nouam Aquitanorum Duxis sponsam curauit, vt in potestate suam redigeretur, quo pignore vti atq; abuti posset regia potestate pro arbitrio suo. Quo nuncio ad Ferdinandum Elisabenq; Principes delato, cum intelligeret omnia iam ad arma spectare, constituerunt antea quam aliud quicquam molirentur, obtestationibus ipsum regem ab incepto detergere. Qui si nolet absistere, illum diris imprecationibus execrari, tanquam artificem & fontem malorum quæ inde prouentura foret. Literæ autem in hunc fere sensum scriptæ. Superiori anno misimus ad Celsitudinē tuam literas cum mandatis, in quibus cōtinebatur excusatio, quod te incōsulto iniimus fœdra coniugalia, quodque id non est à nobis peractum eo animo, vt regiam Dignationem tuam laederemus, quin potius vt liberius illi obsequeremur, inserviremusq; non tanquam alieni, sed vt filii obnoxii atque obærati, cuius animi nostri certa quedam pignora nos daturos esse pollicebamur. Responsum est certi nihil potuisse nobis rescribi, nisi re communicata prius cum quibusdam ex regni primoribus quos Celtitudo tua erat ad hoc ipsum conuocaturus. Quod responsum expectantes nihil interim omisimus eorum quæ probos atque obtemperantes filios facere decuit, tum honorifice de humanitate tua, & loquentes, & sentientes, tum etiam alios ad illud idem faciendum exhortantes. Testes sunt complures ciuitates & municipia, quibus suasimus, vt tibi tuisque iussis obsequerentur, atq; imprimis ornatissimum hoc oppidum Valladolitum quod à Celsitudine regia plane descuerat. Quod si aliud officium nostrum desideratur, parati sumus illud crebritate obsequiorum refarcire. Erit itaq; tuum iubere, nostrum vero iussis obtemperare. Cum vero supplicationis nostræ oraculum expectaremus, non modo nihil responsum, sed etiam facti sumus certiores te animo in nos hostili excitare exteris nationes genti nostræ inuisas in perniciem euersionemque reipublicæ Hispanæ, quodq; ægrius ferimus, id non tam arbitrio tuo, quam suasu quorumdam hominum, qui neque tuum obsequium, neque publicam utilitatem, sed propria commoda sequuntur. Nam quæ alia potuit esse causa tantæ nouitatis post iuramat à te imprimis, deinde à cunctis summatibus & infimatibus, re-

gni successionem nobis per iura diuina & humana debitam, cum præsertim nihil omissimus eorum quæ filios erga parentes facere oportuerit? Quod si nos, cum eo simus animo, non impetramus tanquam à patre, at liceat nobis obtainere tanquam à bono viro iustoque iudice, vt ius nostrum non amittamus. Id autem quo pacto libere possit fieri, nos hanc rationem excogitauimus, nisi alia potius tuæ videbitur prouidentiæ. Constituatur municipium natura arteque munitum, idque teneatur præsidio quatuor ex regni primis, ex vtraque parte duobus, qui sub fide publica præstent securitatem de suo iure disceptantibus, atque etiam ipsis iudicibus de causa decernentibus. Eo conueniant omnes omnium ciuitatum Hispanæ procuratores, & viri religiosi probatæ fidei, iidemque doctissimi quotquot in regno parari possint, qui persancte imprimis iurati se decreturos quod ex iure decernendū esse censuerint, audiant rationes quas vtraque pars pro suo iure tuendo attulerit. Quorum sententiæ ex hoc tempore nos statuerosque, neq; vñquam prouocatueros pollicemur, cui discrimini causam nostram subiicimus, ne ciuibus atque peregrinis armis diuini cultus obseruatio intermittatur, & regni tranquillitas perturbetur. Atq; vt ad breuiorem numerum iudices redigantur, simul etiam, vt suspecti reiificantur, liceat vtrique parti quinquagenos, aut centenos, aut quotquot visum fuerit, ex omni numero reprobare. Quod si, vt plerunque fit, inter ipsos iudices non conuenerit, est Petrus Verascus Comes Phatius vir bonus, idemq; sapiens, vel vtriusq; partis, vel potius omnium consensu huiusmodi iudicatus. Is cum quatuor viris religiosis, quatuor ordinum prælatis, beatorum Francisci, Dominici, Hieronymi, Cartuxensis, qui & ipsi iure 10 iurandi addicti pro arbitrio suo atque conscientia decernant atq; componant inter partes quid sequi, aut quid fugere debeant. Quando igitur non sine villa doli suspicione submitimus causam nostram iudicio talium virorum, petimus obtestamurq; per ipsum qui est iudex viuorum & mortuorum, scrutans corda & renes Deus, ne deneges nobis id quod nec infimo cuiquam ex tuis subditis denegare potes. Quod si neq; hoc quidem impetramus, ipsam cœli pietatem quæ talia curat, imploramus, quæ distribuit cuiq; pro meritis, his præmia, illis peñam. Nos plane omnis celere immunes erimus, tibi omnia reip. atque diuini cultus detrimenta imputabuntur. Vale. Ad hæc omnia rex nihil respondit aliud quam ipsam potius sororem fuisse autorem omnium malorum quæ ex illo connubio prouentura erant, quando se inuitò, immo etiam prohibente, ausa esset maritum sibi querere. Mala igitur omnia quæ ominabatur, in se ipsam, atque in eos quibus talia placebant, potius esse retorquenda.

Sepulueda, Arunda, Agreda, Turdesella municipia Ferdinando & Elisabe Principibus se dedunt.

CAPVT IV.

AT Principes habitò regis responso, quo tutiore in loco essent, ex Domni contule- runt se Methymnam ad flumen Siccum, quod municipium erat Hispaniarum Archithalassii, ibique aliquot dies manserunt, expectantes quid rex interim moliretur. Magister vero ille Spatharius cui nihil vñquam satis fuit, petiti à rege artis suæ stipendum Sepuluedam municipium ornatissimum, quod sibi atque posteris suis hæreditario cederet iure. Quod rex non grauatae, quemadmodum & alia huiusmodi multa concessit, paratus etiam donare quicquid per improbitatem ille ausus esset petere. Id fuit initium, vt vrbes, oppida, municipia, castella, & arces, non habita villa regis ratione desciscerent, quando videbant patrimonium regale tam facili ex causa dissipari. Sepuluedani itaque facti certiores de municipii sui alienatione, munire oppidum vallo & fossa, reficere muros & pinnas, disponere pluteos & propugnacula, intendere tormenta & machinas, parati vitam pro libertate pacisci, macti virtute, quos non validissimus hostis, non iniqua regis iussa & interminationes flectere potuerū. Sed quia deerat illis tam præclarí facineris autor, adscierunt sibi Principes, ad quos videbāt eius oppidi quemadmodum aliarū omnium rerum possessionem ex iure peruenturam. Qui nuncio accepto, ne amitterent occasionem, accurrerunt. Itaq; in hunc modum oppido sunt potiti, atq; ex eisdem oppidanis disposito præsidio profecti sunt Complutum, ubi erat Archiepiscopus Toletanus, ibiq; per aliquot dies morati sunt. Per idem vero tempus Arundam ad Durium municipiu pulcherrimū, quod erat decretum Ioannæ reginæ sumptibus, pulsis qui eiusdem reginæ nomine res administrabant, se quoque Principibus dediderunt. In eorundem quoq; potestatem venit Agreda municipium item celebre, quo rex donauerat Ludoivicū Cincinnatum Comitē Methymnæ celi. At oppidanī quanquam ex hoste detinenta multa pertulerat populatis agris

agris & parte oppidi ambusta, nihilominus tamen se in libertatem vendicarunt. Peridem quoq; tempus castris Inui præses, qui longe lateque per vias publicas, perque agros vicosque grassabatur, præsidio occupauerat oppidum Turdesellas ad Durium flumen. Id hac ratione venit in Principum potestatem. Erat Alphonsus Quintanilla unus ex familiariis Elisabes Principis, vir ingeniosus & prudens, & cuius opera posteaquam Principes rerum potiti sunt, fuit in repub. singularis. Is egit cum quibusdam oppidanis, vt deceptis vigilibus & circitoribus, ostenderent aditus per quos Principū milites auxiliares in munitiones penetrarent. Re composita Princeps ipse cum Duce Albanorum intempesta nocte bipartito agmine oppidum adorti sunt, alteri à Durii fluminis parte secreto scaphis 10 cymbisque inuecti, alteri à parte fluminis aduersa, tandemque admissi oppido sunt potiti. Præses vero per tenebras fugiens in castrum Inui se recepit. Hæc quatuor municipia venerunt in ditionem Principum anno à natali Christiano millesimo quadragesimo septuagesimo secundo.

*De morte Caroli Aquitanie Ducis. Laborat quoque Henrillus, ut det filiæ sponsum
Alphonsum Lusitanorum regem, & deinde Enriquum
Enriqui filium.*

CAPVT V.

ANNO insequenti Carolus Aquitanæ Dux, cui aubus sinistris Ioannam filiam putatiuam, immo nec putatiuam quidem, Enriquus rex desponderat, veneno extinctus est, cum esset O' Easone Vangionum Aquitanæ municipio nobili. Fuerunt qui opinarentur a Ludouico fratre Gallorum rege perpetratum id facinus, propterea quod sentiebat cum Ducibus Britannorum Burgundiorumq; acerrimis hostibus regis, aliisque quamplurimis qui in illius perniciem coniurauerant. Qui nuncius cum ad Enriquum regem peruenisset, doluit plus quam pro materia, cum præsertim hominis ingenium esset, vt ille doleret nihil quod soleat homini dolorem incurere. Itaque exclusus illa spe aliam viam aggressus est. Agit per nuncios cum Alfonso Lusitanorum rege, vt contenerant ad Pacem Augustam, quæ ciuitas est in collimitio vtriusque regni, commentaturi scilicet de rebus ad vtriusque regis utilitatem spectantibus. Igitur constituto loco & tempore conueniunt ad præscriptum. Qui collocuti inter se quædam communia, paucaque ad rem pertinentia, cætera quæ ad sponsalia conducebant, egerunt per amicos & familiares. Petebat Lusitanorum rex arraboni siue pignori earum rerum, quæ spondebantur, certas quasdam vrbes, & municipia, & castella, arcesq; in limitibus vtriusq; regni: id quod Enriquus nullo pacto præstare poterat, propterea quod illius vires & potentia erat iam perexigua, atq; multo minor autoritas in alienandis maxime rebus quæ ad regale patrimonium pertinebant. Quare nihil est effectum iis de rebus propter quas eo conuenerant. Fuit suspicio Lusitanorum regem declinasse coniugium illud propositis conditionibus, quas intelligebat adimpleri non posse, re autem vera alias fuisse causas: siue quod diffidebat iuri neptis ex sorore, eo quod iam erat diuulgatum reginæ sororis adulterium, neque poterat salua conscientia huiusmodi vxorem ducere, cuius dos iniuria foret repetenda: siue quod intelligebat dari sibi acerrimum competitorem Siciliæ regem, qui præter suas vires quæ erant alioqui satis validæ, haberet in regno de quo certandum erat, complures ex primoribus sanguine & affinitate propinquos, atq; alios complures amicos, ad hæc ipsius regis Siciliæ propria. Quid quod iam præiudicata atq; adiurata erat regni successio Elisabæ Principi ab optimo quoque viro, atque urbium populorumque procuratoribus? Itaque ex superioribus causis colligebat, non tam dari sibi eo nomine vxorem regno dotatam, quam bellum quod in perniciem suam suorumque complures annos videbatur duraturum. Atque infectio negotio digressi sunt. Exclusus ea quoque spe Enriquus rex, iniecit animum alio. Erat Enriquus Ioannis Tarragonensis regis ex Enriquo fratre nepos, quem posteaquam ex vulnere quod Vlmetano prælio acceperat, diem suum obiit, perinde atque filium ex se genitum educarat. Huic Enriquus rex destinat despondere quam volebat nuncupari filiam, vt inter patruieles de regno dotali disceptaretur, agitque per Rodericum Pimentellum Beneuentanum Comitem, qui erat Enriquo propinquus arctissimo sanguinis vinculo, vt ascisceret illum ex Tarragonensi prouincia, exposita causa cur inde venturus esset. Factus igitur à Comite certior omnibus de rebus, non accepto, neque petito à patruo rege commeatu, properat ad regni spem, tametsi sciebat, cum patruole sibi fore decertandum, cuius aduentus Enriquo regi fuit iucundissimus.

Magister sancti Iacobi disturbat Ioannæ sponsalia cum Enriquo Enriqui filio, obtinet Madriti arcem, petitque Segouensem.

CAPVT VI.

INTER Spatharium Magistrum & Comitem Beneuentanum illius generum erat non obscura simultas ex eo, quod cum esset Comes in ipso articulo magistratum illum assequendi, sacer quibusdam cauillis anteuerit negotium, ac veluti ex generi manibus extorxit dignitatem quæ post regiam in Hispania habetur omnium prima. Videns itaq; Magister Comitem fuisse autorem euocandi Enriquum alioqui propinquum suum, veritus 10 ne si ad regni fastigium aliquando peruenisset, inde sibi labes aliqua suboriretur, contulit se ad artes consuetas, cœpitque disturbare nuptias, cum præfertim sponsa foret in potestate sua. Cumque rex instaret perducere rem ad id quod iam diu concupierat, Magister causabatur inimicitias cum genero, atque proinde cum Principe futuro, petebatq; a rege arcem Madriti, quo posset tuto in curia permanere, quandoquidem rex municipium illud frequetare consueverat. Arx illa tenebatur præsidio ab Andrea Caprario, quem rex præfecerat domui suæ villicum, & cui ex amicis fidebat plurimum. Is semper fuerat autor reconciliandi Magistrum regi, iam inde ab eo tempore quo descuerat, sequebaturq; partes Alphonsi fratri, & Magister ipse fatebatur se eo nomine multum villico debere, sed in hac re quæ sibi esset tam conducibilis & opportuna, non debere illum, dicebat, sibi obfistere, cum præfertim aliis in rebus quæ ad illius utilitatem honoremque pertineret, posset illi gratificari. Quod si animus erat, qualem se esse profitebatur, ex lege quæ de amicitia est a philosophis constituta, negotium erat dimidiendum. Ea est, quod amicus debeat reddere amico, si ex ipsius paruo detrimento sequantur amico grandia commoda: & quæ poterant esse maiora quam sui capit is securitas: quæ proculdubio sponderi videbatur arce illa occupata, militisque sui præsidio munita. Sed nihil villici preces, nihil officiorum commemoratio, nihil querelæ atque parum grati animi incusationes valuerūt, quin Magister ex præcepto regis arce potiretur. Qui factus voti compos nihilominus nuptias inturbabat, causatus iterum pericula quæ sibi inde tam à genero quam a futuro Principe impendebant, neque satis illi esse ad sui capit is in columitatem tutandam Madriti arcem, nisi etiam Segouensis adiungeretur, propterea quod illud quoque oppidum & maiori quidem anni parte Rex frequentaret se autem non posse consistere, nisi vbi Rex senatus que regius & curia esset. Quod si impetraret, se daturum operam pollicebatur, quemadmodum ex Regis voto omnia conficerentur. Cæterum Rex intelligens se delusum Magistri dolis & quod post traditam illi arcem Madriti, petebat rursus Segouensem, quam si traduceret, suspicabatur pari ratione aliud quicquam petitum, cœpit subindignari Magistro. neque enim id palam facere audebat, veritus ne si beneficium beneficio non cumularet, omni sua spe fraudaretur, & amicum qualitercumque fidum perderet, maxime cum in illius potestate filia esset, quam cupiebat Enriquo Infanti quamprimum collocare. In ea igitur perplexitate positus, dubiusque quid facheret, secutus est tandem aleatorum 40 perditum illud consilium:

Sic ne perdiderit, non cessat perdere lusor.

Imperat præsidi, ut tradat Magistro arcem. Is erat idem Andreas Caprarius, qui cœpit iludere regis iussa, dicens nihilo magis Magistrum effecturum quæ pollicetur arce obtenta, eo argumento, quod qui vna in re fidem fefellerit, credibile esset & in altera simili patria facturum. Inde Magistri cum regis villico inimicitæ confirmatæ, neque id iam occulis odiis, sed palam, donec ventum est ad arma, Magistro nitente oppugnare arcem, præside non modo propugnare, sed ipsum oppugnatorem vrbe atq; suburbio pellere: id quod factum est, nec difficulter quidem. Nam & portæ vrbis, & templæ, cæteraque munita loca 50 tenebantur à præside, in quem oppidani erant propensiores, vt in bonum ciuem, potiorumque causam defendantem. Magister vrbe pulsus, se Madritum contulit. Peridem tempus Petrus Mendoza Episcopus Secontinus à Sixto Pontifice huius nominis quarto creatus est S. R. E. Cardinalis sub titulo sanctæ crucis, vocatusque est deinceps Cardinalis Hispanus. Isdem præterea diebus Michaelus cognomento Lucas, quem rex Comestabilem creauerat, per tumultum à Mentesena plebe armis obrutus est, in cuius locum sufficitur Petrus Verascus Comes Pharius, idemque regis cubicularius maximus.

Deud-

*De aduentu Vicecancellarii Cardinalis in Hispaniam, & quod Enriquus redit
in gratiam cum sorore Principe, & deinde frustratur.*

C A P V T VII.

ANNO in sequenti, qui fuit quartus & septuagesimus supra millesimum quadringentesimum, Rodericus S. R. E. Cardinalis Vicecancellarius cum potestate legatidetere venit in Hispaniam. Qui primo suo aduentu cœpit agere de concordia inter Enriquum Regem, & sororem coniugemque illius Principes designatos, quibus imprimis curauit Magistrum reconciliandum, quod intelligebat illum esse inimicitarum caput atque interpellatorem pacis. Cæterum Rex cum videret ex ea cum Magistro reconciliatione consilia sua impediri, & ipse per amicos egit, quemadmodum Principes in gratiam secum redirent. Qui cum eius accitu venissent Segouiam, eos benigne exceptit, atque verbo & opere illos honorifice tractauit. At Principes è diuerso se posthac Regi obsecuturos, neque ab illius voluntate deinceps vnguem transuersum declinaturos professi sunt, simul etiam se illi ostensuros dicebant, quibus præstigiis à quibusdam hominibus eluderetur, qui non ipsius Regis decus, non reipublica. vtilitatem, sed sua propria commoda sequerentur. Hic reditus in gratiam Magistro permolestus fuit, cœpitque & ipse nouas aliunde amicitias quærere. Venit itaque Collarium, quod municipium erat Ducis Alburquerque (is erat qui putabatur à cunctis subdituæ Principis alterius pater) agitque cum illo de moliendis rebus nouis contra factionis aduersæ partes, sed imprimis contra Regis villicum qui conatus suos in obtinenda Segouiensi arce impedierit. Interim homo callidus, & qui nihil unquam intentatum, nihil inausum relinqueret, secreto Regem sollicitat, si vellet omnia ex voto sibi succedere, filiamque sine controuersia cui destinata, matrimonio tradere, atque proinde dum viueret, nullo interpellante regno potiri, atque post obitum certam regni hæredem filiam relinquere, uno facto hæc omnia facile posse confici, si principes simul & Archiepiscopus Toletanus cum Andrea Caprario in vincula coniicerentur. Ex altera quoque parte Comes Beneuentanus qui summope-
re cupiebat propinqui sui cum subdituæ Principe nuptias quamprimum confici, Regem ad properandum facinus extimulabat. Cæterum Rex homo natura quoquo versus impelli levissimus, simul etiam maturandi filiæ matrimonii cupidus, neque minus Toletani præculis puniendi auditus, non veritus fidei atque violatae amicitiae iura soluere, non abnuit scelus oblatum. Ad quod peragendum constitutum est, vt milites clam intra urbem certis in locis disposerentur, qui signo dato erumperent ex composito, remque cōficerent. Non defuerunt qui Regi dicerent tam pessimi exempli facinus non attentandum. Posse enim fieri, vt ciuitates & populi indignitate rei permoti iudices assertoresque accurrerent, ipsiusque Regis capite lueretur, quicquid consiliarii pessimi delirarent. Certiores facti Principes omnium quæ aduersum se gererentur, Ferdinandus in castellum munitissimum Turocanum se recepit. Elisabe vero vxor tametsi admonebatur à cunctis, vt & ipsa quoque ad tempus secederet, voluit potius fortunam suam atque amicorum fidem experiri, magnoque animo, magna que sui fiducia perstat in urbe, curatque per Regis villicum cæterosque amicos fidos, portas, & templas, & urbis loca munitissima præsidio firmari, ne quid detrimenti ab aduersariis capere posset. Rex cum videret se frustratum sua spe, cessit urbem sorori, seque Madritum contulit, quem è vestigio secutus est Magister, vt odii stimulos aciores admoueret in sororem, coniugemque ipsius, atque imprimis in villicum Segouiensis arcis præsidem, tanquam in præcipuum excludēdiab urbe Regis autorem.

*De castri Iulensis arce Magistro sancti Iacobi tradita, deg illius obitu, & con-
certationibus inter competitores Magistratus.*

C A P V T VIII.

INTE R urbes & municipia quibus Rex Magistrum donauerat, fuerant castra Iulia, quod oppidum vulgo dicunt Trogilium, & ingenio situs, & ciuium opulentia in Lusitania nobilissimum. Eius arcem sub fide publica tenebat præsidio Gratianus quidam cognomine Seffius, qui nolebat Magistro possessionem cedere, quamquam esset id sibi à Rege crebro imperatum, causatus nescio quos sumptus quos in munitiones & milites præsidiarios distribuisset. Qua de causa Rex eo profectus non potuit alia conditione Gratianum arcis præsidio extrudere, quam si hæreditario iure concederetur illi castellum.

sancti Fœlicis Callaicorum cognomento. Quo die tradita est arx cui Magister suo nomine tradi voluit, ipse ex abscessu quodam perniciose in altera maxilla oborto diem suum obiit in vicinio sanctæ Crucis, qui distat à castris Iuliis austrum versus duodecim milibus passuum. Cum animam singultaret moriens, quærebatur identidem ab adstantibus, an Iuliensis arx præsidi suo iam esset tradita. Pulchra in morte cogitatio, atque vitæ exactæ similius. Sed proh Deus immortalis, quam dissimilis hic Epaminundæ illius Thébani, qui cum apud Mantineam quo prælio Lacedæmonios superauit, pro patria pugnans vulnus illud letale accepisset, noluit ferrum ex vulnera trahere, quoad audiuit victoriam penes Thebanos esse, quærens quo in statu res Thebana foret: hic vero querit moriens, an arx iniuria & contra rem publica sibi donata præsidi suo per manus, ut aiunt, tradita sit. Sed neque qui precio arcem prodidit, superuixit diu. Siquidem à Sancti Fœlicis sui inquinis, lapidibus per tumultum obrutus, poenas suæ proditionis debitas exoluit. Ex obitu Magistri aliquot sequutæ sunt simultates, atque Spathiferorum ordinis dissidium inter duos acerrimos Magistratus competitores, Rodericum Manricum Parietinum Comitem, eiusdem militiae Commendatarium à Secura, & Alphonsum Cardenensem prouinciæ Legionensis commendatarium maximum. Cumque illius ordinis duæ sint prouinciæ, Legionis altera, cuius conuentus est sub primore diuini Marci, altera Castellæ, cuius conuentui præsideret primor Vclensis, vterque ex competitoribus curauit ab altero Primoribus fieri conuocatione tredecim commendatariorum, ad quos Magistri electionem ex ipsis ordinis consuetudine atque decreto pertinebat. Parietus namque Comes conuocationem illam dicebat fieri debere ex antiquo ritu, à Primore Vclensi: Commendatarius maximus è diuerso, à Primore sancti Marci, cum præsertim in ipsis ordinis constitutionibus esset definitum, comitia debere fieri in illius prouinciæ conuentu, in qua Magister diem suum obiret, obiisse autem decesorem in agro Castroliensi, qui proculdubio ad Legionis prouinciam pertinebat. In hac controuersia suffragatoribus ab utroque Primore conuocatis, vterque ex competitoribus eligitur, salutaturque Magister, Comes Parietus Castellanæ prouinciæ, Commendatarius maximus Legionensis. At parte ex alia Iacobus Patiequus Ioannis Patiequi successoris Magistri filius, idemque Marchio Villenatum, dicebat patrem cum adhuc viueret, abdicasse Magistratum in manus summi Pontificis, spestaretque in dies Apostolicæ sedis confirmationem, habere que sui studiosos fautoresque nonnullos ex tredecim viris, atque imprimis Osornini Comitis Castellanæ prouinciæ Commendatarii maximi suffragationem non contemnendam.

De institutione prima ordinis militiae Sancti Iacobi, & quomodo deinde propagatus est.

C A P V T IX.

SE quando in Spathiferorum ordinis, ipsisque Magistratus, quæ dignitas post regi-
40 autem, apud Hispanos habetur prima, mentionem incidimus, neque satis constat inter autores, quo tempore, aut quibus initii, & per quos fuerit tam insignis militia constituta, visum est hoc in loco quid hac de re pro comperto habeamus exponere. Sunt qui dicant hunc ordinem coepisse sub Alfonso, cui foret cognomen Casto, Christianæ salutis anno circiter vigesimo supra octingentesimum. Sed neque produnt quis fuerit ordinis instituendi autor, aut quis illi tanta vestigalia donauerit, vnde tam numerosus exercitus ali possit, aut quid tam longo temporis spatio per ensiferos equites sit gestum, cum nulla ipsorum in historiarum libris quos ego legerim, mentio sit habita. Quantum vero ex priuilegiis huic ordini concessis colligere possumus, hæc militia videtur initium habuisse sub Alfonso Hispanorum Rege huius nominis nono. Extat in monumentis Alexandri tertii Pontificis maximi, anno Pontificatus sui septimo decimo, salutis vero Christianæ 50 sexto & septuagesimo supra millesimum centesimum, in fauorem ordinis priuilegiū concessum. In quo refertur fuisse in Hispania temporibus illis viros quosdam nobiles ordinis equestris, qui se ipsis omniaque bona sua Christi militiae deuouerunt, professi quoad viucent, se gesturos bellum contra nominis Christiani hostes Saracenos, qui totam prope Bæticam magnamque Tarragonensis prouinciæ partem occupauerant, tenuerantque per annos circiter quadringentos. Fuerunt autem ea tempestate equitum illorum facultates per quam tenues, quippe qui non multo plura quam viginti castella, & ea quidem munitissima possiderent, quæ subobscurus nominibus in ipso priuilegio numerantur. Per idē tēpus Magister ipse cui Petro Ferdinandi nomen erat, cū plarissq; sui ordinis

equi-

equitibus Romanis profectus, suo atque suorum omnium fratrum nomine rem omnem cum personis Apostolicæ sedi subiecit, supplicauitque ut ab eadem in proprios ac peculiares filios admitterentur, traderetque illis viuendi normam: id quod est à pontifice factū. Nam & illos in filiorum suscepit locum, & bona omnia sub Apostolicæ sedis patrimonio reposuit, normamque viuendi tradidit, quam deinceps in ordinem cum monitorio pœnali Magister Albertus S. R. E. Cardinalis vir plane optimus, atque eiusdem militiae admodum studiosus, quam nostra quoque ætate recensuit confirmavitque Iulius secundus Pontifex maximus anno Christianæ salutis septimo supra millesimum quingentesimum. Ex paruo itaque illo principio per quosdam incrementi gradus eo potentia hic e-
10 questris ordo peruenit, vt nostro sèculo mille cataphractos equites bello armare possit, quas copias beneficio Principum acquisiuit, ob insignes res gestas in bello quod sine intermissione contra Mauros Bæticæ iniustos possessores ad hæc tempora gessimus. Nam & pugna illa memorabili qua Miramamolinū superauimus, sub Petro Atio eiusdē ordinis Magistro singularem operam nauauit, quæ victoria parta est anno salutis duodecimo supra millesimum ducentesimum, Hispanorum Rege Alphonso nono. Atque deinceps Ferdinando Rege in oppugnatione Vbetæ, & Cordubæ perquam strenue hic ordo militauit, sed præcipue in obsidione Hispalensi, ubi Pelagius Corrigia cognomento, ensifero-
10 rum equitum Magister, firmissimum tenuit præsidium. Fuere deinde huius ordinis Magistri viri splendidissimi, quorum insigni opera in bellis Reges vni sunt, quæ contra nominis Christiani hostes Mahometis cultores gesta sunt. Vnde militia hæc diui Iacobi nomine instituta, ex præda hostium, Regumque beneficio, & Pontificum benignitate opulē-
tiam, ex crebris victoriis immortalem gloriam consecuta est. Sed de ordinis huius origi-
ne atque regulæ primordiis fortasse plura hoc in loco, quam oportuerit, dicta sunt, cum de magnis rebus satius fuerit omnino silere quam pauca dicere.

*De Marchione Villenate comprehenso & absoluto, & de obitu Enriqui Re-
gis, eiusq; habitu & moribus.*

C A P V T X.

SE VT EO Vnde digressi sumus, aliquando reuertamur, dum Iacobus Patiequius Magistratus obtinendi causa suffragatores ambit, simulans innocentia suæ fiduciam, sed re-
vera cupiditate quadam præcipiti, Osornino Comiti qui & ipse eo dignitatis aspirabat, se
satis inconsiderate credidit, à quo ex insidiis quas parauerat, comprehensus, & in arcem
commendati sibi oppiduli Fontis dominæ cognominati perductus, custodiæ adseruan-
dus traditur. Cuius rei nuncius cum ad Regem esset delatus, magis quam pro materia, &
quam Regem decebat, ægre tulit. Amabat namque præ cæteris omnibus amicis Marchi-
onem, atque illa potissimum causa fuit Osornino Comiti eum comprehendendi, quod
putabat illo pignore se habiturum magis propitium ipsum Regem ad magistratus conse-
cutionem. Erat autem Rex licet natura & voluntate abstemius, lithanicus tamen & ne-
10 phriticus & ileosus, quibus morbis eo tempore vehementius vrgebatur. Qui tametsi à
medicis prohiberetur iter facere, intentantibus imminens periculum quod inde seque-
batur, nihil tamen segnus iter arripuit. Quem affectati sunt Cardinalis Hispanus, Com-
estabilis, idemque Comes Pharius, Marchio sanctæ Julianæ, Comes Beneuentanus, Co-
mes item Cluniensis, aliisque complures ordinis equestris primores. Conuenerunt præ-
terea eodem Archiepiscopus Toletanus, & Episcopus Burgensis. Qui omnes pro parte sua
negocio insistentes, rem sic transfegerunt, vt Marchio sub certis conditionibus tandem
absolueretur. Cœptum est præterea ibidem agi, de concordia Regis cum Principibus,
sed dum altera pars Regem placat, exulcerat altera, nihil est confectum. Rex vero cum in
dies morbi conualescerent, nihil iam medicis promittentibus, Madritum rediit, ubi vi-
10 ta defunctus est, quinto decimo posteaquam eo concesserat die, qui fuit tertius ante I-
dus Decembris, anno à natali Christi quarto & septuagesimo supra millesimum qua-
dringentesimum: regnauitque annos viginti, menses quatuor, dies duos & viginti: vixit
annos quinquaginta. Depositum est corpus in cœnobio diui Hieronymi iuxta Madri-
tum, deinde non multos post dies translatum est in monasterium Guadalupi, ubi cum
moreretur se humandum præceperat. Inferias duxit, curauitque funus, & cum depone-
retur cadauer, & cum transferretur, Cardinalis Hispanus, qui Mausoleum quoque illi, vt
benefactori suo, simulachrumque faciendum locauit. Instituit præterea duorum sacer-
dotum collegium, qui bis illi cotidie parentarent. Testamentum quod cum solennitate,
quemadmodum dicitur, fecerit, repertum est nullū, nisi quatenus cū moretetur, dictauit

pauca voluntatis suæ verba , quæ notis exceptit Ioannes Ouetanus , cui ex omnibus Scæcretariis maiorem habebat fidem. In quibus continebatur tantum dare se conficiendi testamenti facultatem atque voluntatis execuendæ Cardinali Hispano & Marchioni Villenati. De Principe vero quæ diceretur ipsius filia putativa, fieret quod ab eisdem testamētatiis & insuper à Marchione sanctæ Iulianæ & Areuacorum Duce & Comite Be-neuentano faciendum decerneretur. Fuit statura aliquanto procerior, corpore bene compacto, facie latiuscula, nasoque complanato, citra deformitatem tamen. Delectabatur plurimum in venationibus, propter quas frequenter petebat solitudines & loca deserta. Insumebat multum temporis in Musica, tum audiens cantores fidicinesque, tum ipse per se fidibus accinens, & quidem cum vocis quadam suavitate. Erat mirum in modum adificandi cupidus, vnde & arces complures muniuit, & desque sacras à fundamentis excitrauit, monasteriaque construxit, locupletauitque vectigalibus & donatiis. Fuit natura clementior quam regnorum gubernatores decet, profusior in largitionibus quam Regum magnificentia postulat, sed præcipue in excipiendis exteratum gentium legationibus. Vtebatur vestibus, neque ex preciosa materia, neque figura exquisitiori, sed qualibus mediocris conditionis ciues honeste vti possent. Exercitum pergrandem alebat, tum prætorianarum cohortium, quæ semper exuberarent in armis, tum etiam euocatorum, quibus utriusque summa fide stipendia statutis temporibus reddi curabat, & hæc omnia usque ad regni sui annum decimum, in dies conualuerunt. vnde non subditis modo, verum etiam finitimis Regibus erat verendus, cum subito paulatim omnia defluere atque deinde in præceps ire coeperunt, alteroque decimo tantarum gloria rerum intercidit, vt ne vestigium quidem illius ullum relinqueretur. Nam & amicorum suasu, quæ prima labes mali fuit illi, prætorianas cohortes emisit, quibus exarmatus cum voluptatibus suis indulget, primum ab iis quibus fidebat, deinde ab alienoribus contemptui simul & ludibrio haberi cœptus est, atque eo tandem calamitatis deuenit, vt ex publicis vectigalibus nihil aliud reciperet, quam quod per regni primores gubernatoresque ciuitatum licet. Quæ omnia fortissime patiebatur, non tam ex insensibilitate, cum alioqui natura esset ingeniosissimus, quam ex quadam sibi innata animi æquitate, iocabaturque sepe in fortunam suam. nam fuit & in hoc emunctæ naris, ac perquam facetus. Cum aliquando insimularetur quibusdam de rebus quarum non erat sibi conscius, Miror, inquit, cur me non insimulant quoque quod monetam ferio, quod de falsariis dici consuevit. Cumque illius iussis non obtemperaret quispiam, non abibit mihi impune dicebat. nemo enim me unquam læsit qui non è vestigio debitas mihi penas exoluerit. Sed de vita & moribus plura, si contigerit nobis aliquando illius historiam latiori stylo prosequi.

ÆLII ANTONII NEBRIS SENSIS, RERVM HISPANARVM ATQVE HISPANIENSIVM HISTORICI, Decadis primæ Liber tertius.

Elisabe cum Ferdinando coniuge Rex & Regina declarantur, & ex primoribus, qui obsequium exhibuerunt, qui restitere contumaces.

CAPVT I.



Vo tempore Enriquus Rex vita defunctus est, Elisabe Princeps agebat Segouia. Quæ cum primum facta est de obitu fratris certior, inferias illi iusta que magnificissime persoluit, seque Reginam declarari salutarique ab omnibus curauit. Nam coniux ea tempestate aberat, ex bello Ruscinocensi multis negotiis in Tarragonensi provincia implicitus. Paucis enim mensibus ante Ioannes pater Perpigniana obsidione à Gallis oppressus, suppetias à filio implorauerat, qui comparato quam maximum potuit exercitu ex Hispanis Tarragonensisbusque, tum gravis, tum leuis armaturæ militibus, patrem de facienda sub inquis conditionibus deditio-

ne cogitantem, repente suo aduentu obsidione liberauit. Segouienses ciues editissimo suggestu facto, quo omnium ordinum viri conuenerant, signa vexillaque regia substulerunt, inclamantes identidem Ferdinandum Regem, Reginamque Elisaben iustos, legitos, & indubitatos hæredes ac dominos Hispaniarum naturales. Ipsi deinde Reginæ in subjectionis argumentum ex patria consuetudine manus exosculati, sub fide publica iurarunt, se futuros illi atque suo coniugis subditos fideles, obnoxios, atque iussorum omniū obtemperantes. Comes deinceps Beneuentanus, Marchio sanctæ Julianæ, Dux Albanus, Comestabilis, idemque Comes Pharius, Beltranus Dux Alburquerque, Comes Triuinius, Architalassus quoque Alphonsus Enriqui ipsius Ferdinandi Regis auunculus, aliquie complures regni proceres, optimatesque ciuitatum. Ac præterea ex antistitum numero imprimis Cardinalis Hispanus, idemque Archiepiscopus Toletanus, aliique Præsules eodem conuenerunt, qui Reginæ fidem quoque suam iure iurando simili obstrinxerunt. Quibus aliqua ex causa facultas veniendi non fuit, misere procuratores, qui suo nomine idem munus exequentur. Qui omnes postea eandem fidelitatem se præstaturos Ferdinando Regi, persancte polliciti sunt. Is namque accepto nuncio rerum omnium quæ gerebantur, ad Reginam vxorem magnis itineribus contendit. Atqui alia ex parte Areuacorum Dux, Villenas Marchio, in cuius potestate adseruabatur Ioanna, quæ falso dictabatur Princeps, Magister à Calatraua, Vrenas Comes, Marchionis vterque patruelis, neque eodem venerunt, neque suos misere procuratores qui obsequium debitum Regibusque nuper creatis exhiberi solitum deferrent. Areuacorum namque Dux petebat Areuaci titulum, atque Ioanni filio Magistratum à Traiani ponte confirmari. Marchio petebat Marchionatum, quo Ioannes Tarragonensium Rex fuerat superiori bello civili spoliatus, verebaturque à Rege filio repetendum: insuper & vrbes, municipia, castella, vectigalia, quæ pater suus Ioannes Patiequus ex patrimonio regali fuerat depeculatus. His adiungebat Magistratum diui Iacobi quo pater fuerat perfunctus, debere sibi reddi, cum reliquis omnibus quæ sibi hæreditario iure obuenerant. Neque tantum ea efflagitabat quæ ad se pertinere diceret, sed quæ ad fratres, ad propinquos, ad clientes, ad amicos, quæ omnia, si Principes illis indulssissent, magnum regale patrimonium, atque proinde respublica Hispana detrimentum pateretur. At Principes interim tempori cedere, responsa in longum protrahere, dubios præmiis pollicitationibusque allicere, amicos honorifice alloquendo, comiterque tractādo in fide retinere. In perduelles nihil nouidecretum. Creati sunt quæstores maximi Gutterius Cardenius, quem superiori parte diximus fuisse matrimonii conciliandi autorem præcipuum. Gondisaluuis Caconius, & ipse quoq; Reginæ antiquus familiaris: adiectus, & tertius Rodericus Vlloa, qui & ipse Enriquo Regi fuerat quæstor quoq; maximus.

Legati ad Regem Gallorum mittuntur qui de fædere confirmando & de Ruscinone cum illo agant: interg. Regem & reginam disceptatio.

C A P V T I . I .

ATQVI Rex & Regina ut aliquod specimen futuræ gubernationis ostenderent, sacerdites iusserunt iustitiae administratos in grassatores, latrones, homicidas, depeculatores, reliquosque id genus facinorosos homines. Quæ res quemadmodum optimum quæque ad bene de republica sperandum erexit, ita criminosos alienauit, coegitque scelerum suorum impunitatem quærentes se perduellibus adiungere. Horum cum esset magna copia, ex qua partes aduersæ videbantur inualescere, temperari iussum est ab hac iuris animaduersione, data maleficiorum impunitate ab ea die, in qua regni gubernacula inierunt. Ex antiqua præterea consuetudine obseruata inter Hispanorum & Gallorum Reges, ut cum eorum quispiam decederet, alter de illius obitu fieret certior, missi oratores qui Ludouico Galliarum Regi nunciarent Enriquum vita funeratum, foedusque & antiquam societatem renouarent, simul etiam Regem admonerent, vt si amici, si boni, si iusti Principis munere fungi vellet, restitueret Ioáni Tarragonensium Regi Comitatum Ruscinonis, quem illi Gothanicō bello sub certis conditionibus oppignerauerat, quib. non obseruatis ad pristinum dominum debere reuerti. At Gallus accepto nuncio de Enriqui obitu aliquot sui doloris argumenta monstrauit, atque è diuerso de noua Regis & Reginæ successione oratoribus est gratulatvs, velleque se libentissime antiqua fœdera instaurare respondit. Quod vero ad Ruscinonis Comitatum attinebat, dixit se nihil ex conditionibus oppignerationis immutasse, quin potius deberi sibi summam illam aureorum stipendii nomine quod bello Barcinonensi suus exercitus meruerat, velleque se mittere

iurisconsultum qui suam causam tueretur, doceretque penes se debere pignus retineri, quoad stipendium sibi redderetur. Venit itaque consultus, cum Principes essent Valladoli, disputataque est causa in senatu regio, cumque nihil inter partes ea de re conueniret, decretum ut tam ad iuris disquisitionem, quam ad fœdera renouanda mitterentur vtrinque oratores ad vtriusque regni collimitum, qui procuratorio nomine rē omnem transigerent. Per idem vero tempus cum Rex & Regina Segoviæ agerent, cœptum est inter virum & vxorem de iure successionis gubernationisque disceptari, non tam æmulationis dissidiique causa, cum alioqui omnibus in rebus esset inter illos tanta concordia, quanta nunquam inter alios binos coniuges fuerit, sed quod ea iuris disceptatione prospiceretur in futurum, ne regni administratio in alienam familiam transmutaretur, si filia superstite eademque hærede succederet ex propinquis qui esset ex consanguinitate proximus, id quod in Gallia aliisque in nationibus obseruatur. Ex primoribus Hispaniæ qui erant Regi sanguine propinqui, asseuerabant, quandoquidem Enriquus sine prole decesserat, successionem ad Ioannem Tarragonensem Regem esse deuolutam, quippe qui esset Ferdinandi Tarragonensis Regis filius, atque Ioannis primi Hispanorum Regis nepos, eodemque iure ad Ferdinandum huius Reginæ coniugem pertinere successionem, regnique administrationem non quasi dotalis, sed quasi hæreditarii. E diuerso pro parte Reginæ obiicitur ex legibus atque Hispanorum cœluctudine, Castellanorum præsertim, virili sexu ex stirpe regia deficiente, fœminas esse legitimas hæredes, regnique iudeas moderatrices, afferebanturque exempla iam inde ab Infante Pelagio repetita, cuius filia Ormisinda cum virilis ille sexus liberos non haberet, in Legionensis regni hæreditatem successit, nupsitque Alphonso qui Catholicus est cognominatus. Odifinda quoque Froila fratre defuncto sine liberis in eodem regno successit, nupsitque Siloni. Eodem præterea iure Xanthia Ferdinandi cognomento Magni vxor ad eiusdem regni successionem peruenit, Veremundo fratre sine liberis extinto. E regione etiam Castellæ afferebantur exempla, quod Eluira ex Vasconum Regina hæreditario iure obtinuit Castellæ Comitatum, cuius filius Ferdinandus primus Castellanorum Rex fuit. Vrraca etiam quæ Raimundo Tolosatum Comiti primum, & deinde Alphonso Tarragonensem Regi nupsit, Castellani atque Legionensis regni hæres fuit. Berenguela quoque, Enriquo fratre immatura morte Pallantiæ intercepto, regni hæreditatem adiit. Catharina præterea Britanni Ducis filia cum Enriquo primi Ioannis filio omnium ordinum consensu adiurata est Hispaniarum Princeps. Idem è contrario asseuerabant, ex historiis nusquam exemplum reperiri in Hispania, quod relicta hærede fœmina, ex laterali serie quisquam in regni gubernationem adscisceretur, quo iure Ioannes Tarragonensem Rex omnino excludebatur. Quod vero ad regni administrationem attinebat, pro parte ipsius Reginæ obiectum est, ad eandem pertinere, ad quam & regni dominium pertinebat. Quod si quemadmodum legibus definitum est, regnum dotis nomine marito non potest tradi, neque gubernatio quoque. Nam quo iure qui rei dominus non est, aut regale patrimonium administrare, aut in bene merentes ex regio censu collocare beneficia, aut arcum præsidia sub publica fide alicui potest credere? Hec partium concertatio, tandem hunc in modum composita est, regni hæreditatem successionemque ad ipsam Reginam pertinere, tametsi fœminam, propterea quod esset vñica Ioannis Regis filia superstes à Regibus Castellæ & Legionis recto stemmate descendens, neque posse ad alium quemquam pertinere hæredem qui per lineam lateralem ab eisdem Regibus descenderet. Definitum præterea ad eandem pertinere regni administrationem, in tribus præsertim illis quæ in parte superiori memorata sunt. Hunc itaque in modum rebus compositis, Reginahis verbis Regem allocuta est.

Post disceptationis definitionem oratio Reginæ ad Regem.

C A P V T III.

NI opus fuerat ô iucundissime coniux altercatione tam longa, vbi tanta est animo. rum coniunctio. Nam si quemadmodum audiui ex quodam antiquitatum peritissimo, in sponsalibus hæc fuisse verba sponsæ ad sponsum, vbi tu Caius, ibi ego Caia, hoc est, vbi tu dominus, ibi ego domina, cur mihi non liceat inde mutuari, vbi ego Regina, ibi & tu quoque Rex: qui cum sis mihi coniux dulcissimus, idemque dominus non modo meus, sed rerum omnium mearum, quidquid ab his legum cœsultis decretum sit, nihilo minus tu Hispaniarum Rex es, quam ego Regina, mihi que hoc animo sedet, æternumque fede-

sedebit, me atque omnia mea tuo arbitrio administranda permittere, cum præsertim futuri sint nobis omnium rerum nostrarum communes hæredes. Sed quando ita visum est regni primoribus qui hoc negocium in controuersiam deduxerunt, non ab re fuerit hanc iuris ambiguitatem, quæ aliquando in dubium venire possit, ex legibus & consuetudine Hispanorum decidisse. Vides optime cōiux vnicam esse nobis filiam Elisaben, ad quam, nisi quicquam Deus interim prospexerit, regni successio ex Hispanorum legibus pertinebit. Quod si quispiam ex regia stirpe stemmate recto non descendens afferet rem Hispanam ad se pertinere, quia vir: non ad communem filiam, quia fœmina: labefactaret profecto, aut, quod Deus auertat, forsitan posteritatis nostræ seriem conuelleret. Quæ res quam sit indigna vel miseranda potius, nemo est qui non intelligat. Sed esto, sine vlla controuersia rerum potiatur ex nobis genita, nubatque cuiquam externo Principi, num minus periculum inde sequetur, si regnorum gubernatio in illum transferatur? Fieri namque potest, vt ille quisquis est nobis futurus gener, arcium præsidia, publicorum vectigalium quæsturas, dignitates ecclesiasticas, atque publicos magistratus ad eos sit delatrus, non qui sunt Hispaniarum indigenæ, sed qui exteri ac peregrini. Quare illa iuris decisio, quod ad nos attinet, nihil profuerit, nihil nocuerit, sed fuerit quasi quoddam præiudicium ad ea quæ possunt aliquando contingere. Atqui rege intelligentे quæ sunt ab uxore perorata, non solum veritati consentanea, sed esse quoque iusta & æqua, imperatum est ab utroque, vt hac de re imposterum non disceptaretur, constitutumque inter eos, vt diplomata, & dicta, literæque publicæ sub utriusque nomine ederentur, quodq; sigilli characteres sub Hispani Tarragonensisq; regni insignibus fierent. In moneta quoque percutienda utriusque imago cum nominibus in typis excuderetur.

*Villenatum Marchio & Archiepiscopus Toletanus prætendunt causas à regis
& regine obsequio discedendi.*

CAPVT IIII.

DVM hæc Segouiae geruntur, Marchio Villenatum literas cum mandatis ad regem reginamque mittit, quibus postulabat Magistratum sancti Iacobi sibi debere decerni, quo dicebat patrem suum Ioannem Patiequum adhuc viuentem se abdicasse, ea conditione, vt sibi traderetur, quodque subditua illa Princeps quæ suæ fidei credita erat, locaretur viro decenti, pro personarum dignitate constituta dote. Quorum utrumque si denegaretur sibi, se habiturum causam iustissimam, vt aliunde sibi rebusque suis prospiceret, quasi vellet interminari se facturum dissidium cum reliquis primoribus earumdem partium studiosis. Ad hanc Marchionis postulationem responsum est, tametsi Ioanna quæ falso diceretur esse Princeps, non erat iis natalibus procreata, cum qua homines rerum nouarum cupidi possent in Hispania dissidium facere, cum satis constaret non esse neque vñquam fuisse habitam Enriqui regis filiam, quodq; Magistratus iam esset partim in potestate Comitis parietini, partim Commendatarii maximi Legionensis prouinciae, quorum uterque fuerat de republica Hispana pulcherrime meritus: vt tamen res ad concordiam regniq; tranquillitatem perduceretur, sibi placere Ioannam decenti marito collocare, libellosq; supplices ad Pontificem maximum mittere, quibus peterent Magistratum eidem Marchioni à sanctitate sua decerni, sed interim Ioannam sequestro deponendam, ne ante aut post illius nuptias quicquam emerget, vnde Hispana respublica aliquid detrimenti pateretur. Ad hæc Marchio respondit se non traditurum mulierem fidei suæ creditam mortaliū cuiquam, nisi cui fidem ipse haberet, cum que de sequestre non conueniret, cœpit res in dissidium tendere. Marchioni accedebant omnes qui scelerum suorum pœnas extimescebant, quique erant rerum nouarum studiosi, sed imprimis eiusdem Marchionis fratres patruelæ, omnesque illorum clientelæ, quæ per Hispanias longe lateque patebant. At Marchio interim per fidos internuncios clanculum agebat cum Alfonso Lusitanorum rege, eodemque Ioannæ auunculo, vt neptem ex sorore uxorem duceret, seque habere dicebat eiusdem consilii socios ex primoribus Hispaniæ tantam multitudinem, quæ sufficeret rem inceptam conficere. Archiepiscopus Toletanus qui usque ad id temporis fuerat anceps vtras partes sequeretur, audita Marchionis rebellione, cœpit prætendere causas quibus honeste posset à regibus ad perduellium partes desciscere. Poscit ab illis munera quæ diceret sibi promissa iam inde ab eo tempore quo fuerant adiurati Principes, & quæ fuerant iam in benemerentes collocata, petit & alia cōplura, qualia solent ab iis qui occasionem querunt ab amicitia discedēdi. Atqui rex memor obsequiorum, atque hospitalitatis, qua fuerat aliquando usus apud illum, cœpit

hominem placare, tum datis præsentibus, tum futurorum pollicitationibus, tum honorifice compellando, tum communes mittendo amicos qui illum in fide retinerent, obtestarenturque ne vellet ab officio desistere. Ipse præterea rex per seipsum eadem omnia exequebatur, etiam diuersorum adeundo, quem honorem ad ea tempora alteri præstiterat nemini. At ille nihilo magis flecti, aut sententia sua pelli potuit, quin immo quo magis rogabatur, eo obstinatius in cœptis persistebat. Neque fuit qui dubitaret, pertinaciæ suæ causam extitisse æmulationem quam non dissimulanter gerebat cum Petro Mendoza S. R. E. Cardinale Hispano, cui ex omnibus rex & regina plurimum indulgebant, cum esset Archiepiscopus alioqui natura factiosus, & qui plurimum delectaretur armorum strepitu, familiaque nobilissimorum hominum ampliori. Atque ita cum neque blanditiis, neque precibus, neque pollicitationibus Principum ullum reliquisset locum, frendens, tremensque, & minabundus ex curia discessit, stimulosque perduellibus facesque ad bellum ciuale concitandum admouit. Non multos post dies rex & regina Segouia profecti Methymnam campestrem venere, petieruntque à Duce Albano eiusdem municipii arcem quæ ipsius præsidio tenebatur, id quod ille haud grauate fecit. nam continuo arcem tradidit, cui Principes tradi iusserunt. Deinde Valladolitum iter facientes, ab oppidanis magnificentissime excepti sunt, vbi per aliquot dies omnigenis ludis atque celebritatibus operam dedere. Veniebant præterea eodem ciuitatum populorumque procuratores qui antea non venerant, obsequium debitum sub fide publica oblaturi, inualecebantque in horas causa iustioris auxilia.

*Marchio per literas Lusitanorum regem ad bellum capessendum hortatur,
regisque ad Marchionem responsum.*

CAPUT V.

INTEREA Marchio non cessat sollicitare quos secum ad studia Ioannæ Principis trahat, simulque mittit ad Lusitanorum regem literas cum mandatis in hanc sententiam. Iam sibi exploratum esse, quemadmodum ex obitu Enriqui regis hereditas cum administratione deuoluta erat ad Ioannam filiam, quam omnes priuiores bis iam iureiurando declarauerant Principem, regnique paterni heredem unicam. Quodque rex Siciliæ atque Elisabe coniux, humano atque diuino iure contempto, rem Hispanam nihil omnino ad se pertinenter arripuerint. Ioannam ex sorore sua neptem, paterno atque aucto imperio spoliatam, non habere alium quemquam ad quem cōfugeret quam ad ipsum, quippe qui esset sibi auunculus, & quidem potentissimus, & qui posset illam solus ab iniuria vindicare. Obtestabaturque, vt puellam omni præsidio destitutam, aut cum regno dotali uxorem acciperet, aut propinquitatis iure, vt legitimus tutor, non pateretur ab iniustis possessoriis bona illius occupari, idque fore factu facilimum, si comparentur utraturumq; partium vires. Habiturum illum ex primoribus Hispaniæ belli firmissima robora, atque imprimis se fratresque suos patruelis, Magistrum à Calatrava, atque Comitem Vrehatem, nec non sororum suarum maritos, Gaditanum Marchionem, Alphonsum Aquilarium, Comitem Beneuentanum, Archiepiscopum præterea Toletanum, Ducesque Areuaci atq; Alburquerque cum suis appendicibus, & clientelis, atque hi omnes hostes ex professo infestissimi: quatuordecim quoque vrbes, quæ nihil aliud expectant, nisi ducem quem in bello sequantur. Quod si semel Hispanorum regis sibi nomen assumperit, atque in ipsum regnum potenter penetrauerit, complures alios ex Hispaniæ Principibus futuros qui declarent odia sua in aduersarios, quæ nunc futuræ dominationis timore occultant. Adiungebat superioribus, omnia Hispaniæ oppida in duas factiones esse diuisa, quarum alteræ necesse erat vt Lusitanorum partes sequerentur. Iam vero quod ad ipsos belli gerendi imperatores attinet, regis Siciliæ vires esse perquam exiguae, quippe qui esset in summa rerum omnium egestate, & in maximo ære alieno, & qui non modo non haberet, vnde posset stipendia militibus soluere, sed neque ad sumptus cotidianos pecunias, nisi emendicatas, aut violenter extortas. E diuerso Lusitanorum regem habere exercitum robore ac numero firmissimum: habere pecuniarum tantam vim, quæ sufficiat ad alendū milites, quo ad res conficiatur: habere commeatus, cæteraque alia belli adiumenta. Cumq; semel per Hispanorum agros vel vnam excursionem populabundus fecerit, fore vt ciues, oppidani, agricolæ, mercatoresq; illum sequantur, seque eius arbitrio ac fidei continuo tradant. Ad hæc Lusitanus, tametsi animo secum versabat quātum facinus aggredieretur, quamq; foret arduū cum possessore in ipsis regni penetralibus decertare, reſcribit tamen velle se oblatam belli conditionem accipere, neq; tantum ex sorore sua nepti regnum afferere, sed & illam,